
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 B
21





CURSUS
PHILOSOPHICUS
Ad usum Studentium totius Ordinis Minorum.

TOMUS SECUNDUS

Complectens octo Libros Physicorum, ac Tractatum de Cœlo, & Mundo.



AUCTORIBUS

FR. PETRO A S. CATHARINA,

ET

FR. THOMA A S. JOSEPH

Ejusdem Ordinis Strictioris Observantiæ Provinciæ S. Joseph Discalceatorum in Hispania Sacræ Theologiæ Lectoribus.





VENETIIS, MDCCXIV

Apud Paulum Balleonium.

Superiorum permissu, ac Privilegiis.

PRÆLUDIUM QUODDAM.



Hilosophia est nomen Græcum, quod, juxta etymologiam, idem est ac Latinè *amor*, seu *studium sapientiæ*, eò quòd sit compositum ex duabus dictionibus, scilicet, *philos*, quæ significat amorem; & *sophia*, quæ significat sapientiam. Vnde Philosophus, juxta nominis etymologiam, idem est ac Latinè *sapientiæ amator*, seu *studiosus*; tamen jam communiter *Philosophia* idem est ac *sapientia*; & *Philosophus* idem ac *sapiens*; quæ acceptio ortum habuit à tempore Pythagoræ, qui interrogatus, quæ præcipuè in re *sophus*, id est sapiens esset? Respondit, se, non *sophum*, id est sapientem, sed *Philosophum*, id est, sapientiæ amatorem, seu studiosum esse.

2 Sumpta Philosophia in communi dicitur ab Aristot. 1. Met. cap. 3. *cognitio rerum ut sunt*: ut communiter dividitur in Philosophiam Naturalem, Moralem, & Rationalem. Naturalis dicitur, quæ rerum naturalium cognitionem ostendit. Moralis dicitur, quæ in instruendis moribus occupatur. Rationalis dicitur, quæ ad dirigendas operationes intellectus inventa est. In præsenti solùm de Philosophia naturali sermonem instituemus; de Morali autem, quæ etiam dicitur Ethica, egit Arist. in libris Ethic. & de Rationali, quæ etiam dicitur Logica, egimus cum ipso Aristot. tom. 1. nostri Philosophici Cursus.

3 Adhuc Philosophia naturalis dividitur in tres scientias reales speculativas, teste Aristot. 2.Met.text.3.scilicet, in Mathematicam, quæ ad nostrum institutum non spectat; Metaphysicam, de qua alibi; & Physicam, quæ communiter accipitur pro illa scientia, quæ solùm de substantia corporea, & illius affectionibus disputat; quapropter dicitur Philosophia naturalis, seu Physica, à nomine Græco *Physis*, quod naturam significat.

4 Physica ergo, ut traditur ab Aristot. plures comprehendit tractatus. Primus dicitur de physico auditu, seu auscultatione, in quo de substantia corporea naturali in communi, prout continet principia, causas, & proprietates rerum naturalium, disputat Aristot. Secundus dicitur de Cœlo, & Mundo; in quo disputat de substantia corporea naturali, ut in se continet principium motus localis. Tertius dicitur de ortu; & interitu; in quo disputat de substantia corporea naturali, ut in se continet principium motus ad formam in communi. Quartus dicitur de Meteoris; in quo disputat de substantia corporea naturali, ut in se coutinet principium motus ad formam mixti imperfecti. Quintus dicitur de Mineralibus; in quo disputat de substantia corporea naturali, ut in se continet principium motus ad formam mixti perfecti inanimati. Sextus dicitur de Anima; in quo disputat de substantia corporea naturali, ut in se continet principium motus ad formam mixti perfecti animati in communi; & specialiter agit de Anima intellectiva. Septimus dicitur de vegetabilibus, & plantis; in quo disputat de substantia corporea naturali, ut in se continet principium motus ad formam mixti perfecti animati anima vegetativa. Octavus dicitur de animalibus; in quo disputat de substantia corporea naturali, ut in se continet principium motus ad formam mixti

per-

perfecti animati anima sensitiva. Alium tractatum scripsit Arist. quem de parvis naturalibus appellavit, qui non continet specialem considerationem substantiæ corporeæ naturalis; sed tantùm est quasi complementum cæterorum tractatuum.

5 Divisit Aristot. tractatum de physico auditu, seu auscultatione (quem hoc nomine appellavit, eo quod, cum in se contineat obscuram docendi methodum, speciali attentione, & auscultatione indigent auditores) in octo libros; de quibus ipsum Arist. sequentes, & ordinem, quem in Logica observavimus, observantes, in præsenti disputabimus. Pro majori autem claritate sequentem disputationem, tanquam procemium, præmittemus.

DISPUTATIO UNICA
Procemialis.

PLura diximus in procemialibus Logicæ ad disputationes procemiales cujuscumque scientiæ pertinentia; ideòque illa iterum repetere necessarium non est; quapropter in hac disputatione tantùm ea, quæ ad naturalem Philosophiam, seu Physicam in tota sua latitudine spectare videntur, investigabimus. Sit ergo.

QUÆSTIO I.

An Philosophia naturalis sit scientia?

1 SUpponitur tamquam certum, dari in rerum natura naturalem Philosophiam, seu Physicam, quæ, si ad objectum illius attendatur, sic definitur: *Est scientia, quæ in contemplatione substantiæ corporeæ, ut naturalis, seu mobilis occupatur*. Cujus definitionis bonitas, & intelligentia ex dicendis in tota disputatione deducenda est. Nunc,

2 Dicimus: Philosophia est verè, & propriè scientia. Conclusio est Aristot. pluribus in locis, quem sequuntur ferè omnes Philosophi contra aliquos antiquos. Probatur: quia scientia dicitur certa, vera, & evidens cognitio rei per causam: Philosophia continet plures cognitiones certas, veras, & evidentes, quas cognoscit de substantia corporea, tanquam de suo objecto, per proprias illarum causas: ergo est scientia. Minor patet; nam Philosophia cognoscit de substantia corporea, quod sit mobilis, quia constat natura; quæ est principium motus: quod sit corruptibilis; quia componitur ex materia, & forma, seu ex contrariis: quod sit divisibilis; quia componitur ex partibus continuatis; & similiter plures alias veritates cognoscit per suas causas, ut ex dicendis patebit; ergo.

3 Arg. 1. Nostra cognitio pro hoc statu dependet a sensibus: sed omnis cognitio sensuum est fallibilis, & exposita erroribus: ergo similiter omnis cognitio intellectiva: ergo nequit dari aliqua cognitio philosophica certa, & evidens. Hoc argumentum, si aliquid

quid probaret, probaret utique, nullam dari ſcientiam acquiſitam pro hoc ſtatu, cùm pro illo omnis acquiſitio ſcientiæ dependeat à ſenſibus; quod nullatenus admittitur. Reſp. tamen neg. min. quia licèt plùries contingat, ſenſus errare, non tamen ſemper; quando enim verſantur circa propria objecta debitè approximata, nullam deceptionem patiuntur.

4 Argum. 2. In Philoſophia naturali ſunt aliquæ concluſiones topicæ, ſeu probabiles tantùm; & aliquæ falſæ, & erroneæ: ergo non eſt ſcientia. Reſp. neg. conſeq. licèt enim verum ſit, in Philoſophia (& in qualibet alia facultate) eſſe aliquas concluſiones tantùm probabiles, & aliquas falſas; non tamen hoc provenit ex ipſa natura Philoſophiæ; hæc enim certam, & evidentem connexionem habet cum proprietatibus; quas de ſuo objecto cognoſcit; ſed provenit ex defectu tradentis, ſeu docentis ipſam Philoſophiam, ut patet in aliquibus erroribus ipſius Ariſt. in traditione Philoſophiæ, ut quod Mundus fuerit ab æterno; quod Deus operetur ad extra ex neceſſitate naturæ, & non liberè, & in cæteris hujuſmodi, quod nullatenus præjudicat rationi ſcientiæ; cùm hoc communiter contingat in omnibus ſcientiis, propter defectum perfectæ cognitionis. Solùm enim ſequitur ex argumento, Philoſophiam (& quamlibet aliam facultatem) non eſſe appellandam ſcientiam quoad illas concluſiones; ſed vel opinionem, ſi ſint probabiles; vel errorem, ſi ſint falſæ.

5 Argum. 3. Philoſophia verſatur circa ens concretum in materia ſenſibili, ſeu circa ſubſtantiam corpoream, accidentibus ſenſibilibus affectam: ſed ſubſtantia in hoc ſenſu eſt ens per accidens, de quo non datur ſcientia: ergo Philoſophia non eſt ſcientia. Reſp. quod Philoſophia dicitur verſari circa ens concretum in ma-

teria sensibili; seu circa substantiam corpoream, accidentibus sensibilibus affectam, non quia objectum formale illius sit substantia simul cum accidentibus (objectum enim formale Philosophiæ est substantia naturalis per se, ut quæstione sequenti dicemus) sed quia proprietates, seu affectiones, quas Philosophia de suo objecto demonstrat, sunt perceptibiles per sensus externos, ut sunt *esse mobile*, *esse in loco*, *&c.* & hoc solum intendit Arist. 2. de generat. c. 1. & 3. Physic. cap. 4.

6 Arg. 4. Philosophia naturalis versatur circa corruptibilia, & mobilia, ut corruptibilia, & mobilia sunt: sed de corruptibilibus, & mobilibus non datur scientia; scientia enim tantum est de necessariis: ergo Philosophia naturalis non est scientia. Resp. disting. maj. Philosophia versatur circa corruptibilia; & mobilia, ut corruptibilia, & mobilia sunt, incomplexè, nego; complexè, seu quatenus ostendit corruptibilitatem, & mobilitatem, necessariò connecti cum suo obiecto, concedo. In hoc secundo sensu falsa est minor, licèt sit vera in primo sensu. Unde neg. consequentiam. Verum enim est, objectum Philosophiæ, incomplexè sumptum, scilicet, corpus naturale, esse corruptibile, & mobile; at verò complexè, seu in ordine ad proprietates, seu affectiones, quæ de illo in Philosophia demonstratur, est omninò necessarium; sicut enim hæ veritates sunt necessariæ: *Angelus est corruptibilis*; *Deus est immobilis*; ita & hæ; *Corpus naturale est mobile*; *mixta sunt corruptibilia*.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quodnam sit objectum Philosophiæ?

1 TAm circa objectum materiale, seu materiam *circa quam*; quàm circa objectum formale, seu rationem *sub qua* attingitur objectum Philosophiæ, sunt plures sententiæ; quas cum suis Authoribus referunt aliqui recentiores; & præcipuè Mastr. quæst. Procem Philosoph. num. 2. & 3. Aliqui enim dicunt, objectum materiale Philosophiæ esse corpus generabile, & corruptibile, tam simplex, ut sunt elementa; quàm mixtum, ut sunt cætera omnia corpora præter cœlestia. Alii dicunt, esse tantum corpus generabile, & corruptibile mixtum. Alii, esse corpus mobile, ut commune ad corpora corruptibilia, & incorruptibilia. Alii, esse ens mobile, ut comprehendit tam compositum substantiale, quam partes illius eò quòd materia prima, & forma substantialis, etiam sunt principia motus, seu mutationis. Alii, esse ens mobile, ut comprehendit, tam mobile substantiale, quàm accidentale. Alii, ens finitum, ut comprehendit, non solùm substantiam materialem, & materialia accidentia; sed etiam substantias finitas spirituales; sed, qui ita loquuntur, ut benè notavit Mastr. citat. non accipiūt Philosophiam in sensu Aristotelis, sed, ut sub se comprehendit, Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam.

2 Circa objectum formale, dicunt aliqui; generabilitatem, & corruptibilitatem esse rationem *sub qua* attingitur objectum materiale à Philosophia. Alii, esse sensibilitatem. Alii; mobilitatem, vel sumptam formaliter, seu pro passione, seu proprietate, vel sumptam

radicaliter, seu pro principio ipsius mobilitatis. Alii, substantialem corporeitatem. Alii denique, naturalitatem. Quid autem in tanta varietate videatur tenendum per sequentes conclusiones proponemus; & aliquas sententias impugnabimus, ad argumenta respondentes. Sed, ut clarius procedamus.

3 Notandum est 1. *Naturale*, multipliciter posse sumi. Primò, ut opponitur supernaturali; in quo sensu, omne, quod fit virtute naturali, licet alias sit violentum, dicitur naturale. Secundo, ut opponitur violento; in quo sensu, quod fit juxta innatam inclinationem rei, dicitur naturale, ut motus deorsum respectu corporis gravis. Tertiò, sumitur pro eo, quod alicui convenit à nativitate, in quo sensu, qui sine oculis nascitur, dicitur cæcus naturaliter. Quartò, pro essentia cujuscumque rei, quæ vocatur natura ipsius rei. Quinto, ut opponitur libero; in quo sensu actus intellectus, & aliarum potentiarum præter voluntatem; & etiam actus primò primi, & indeliberati, dicuntur naturales. Sextò, ut opponitur artificiali; in quo sensu illud dicitur naturale, quod intrinsecè, & independenter ab arte habet principium motus naturalis, & corporei, quod solùm invenitur in composito substantiali ex materia, & forma; & de naturali in hac acceptione loquimur in præsenti.

4 Notandum est 1. *Mobile* etiam posse accipi multipliciter. Primò, pro omni illo, quod aliquo modo potest moveri; in quo sensu convenit tam substantiæ spirituali, quàm materiali, & etiam accidentibus. Secundo, pro eo, quod est terminus motus, seu mutationis; in quo sensu omnia, quæ producuntur dicuntur mobilia. Tertiò, pro eo, quod

est

est subjectum motus; in quo sensu, quidquid potest recipere aliquam formam de novo productam, dicitur mobile. Quartò, pro eo, quòd est principium motus, vel mutationis sensibilis, & corporeæ; in quo sensu sola substantia corporea, seu corpus de prædicamento substantiæ dicitur mobile. Nunc

5 Dicimus 1. Objectum materiale totius Phylosophiæ est corpus substantiale, & naturale in tota sua latitudine, seu, prout comprehendit tam corpora simplicia, quàm mixta, sive perfecta, sive imperfecta, sive corruptibilia, sive incorruptibilia, Hæc conclusio est communior inter Philosophos & eam tenet Scotus 6. Met. quæst. 1. & ibidem Aristot. his verbis: *Cùm autem Physica etiam circa quoddam entis genus scientia sit (etenim circa talem substantiam est, quæ est principium motus, & status, qui in ea est) patet, quod neque est activa*. Similia verba habet 11. Met. c. 1. & addit, quòd corpora, circa quæ naturalis scientia versatur, sunt naturalia, seu constant natura: quòd convenit omnibus corporibus supradictis.

6 Probatur conclusio ratione: omnes enim conditiones objecti conveniunt in Philosophia corpori substantiali in communi: ergo statuendum est pro objecto Philosophiæ. Antecedens probatur: quia de corpore substantiali, non solùm præsupponitur, quòd sit, sed etiam quid sit; nam 2. Physic. c. 1. tradit Arist. definitionem illius. Deinde, habet corpus substantiale plures proprietates, seu passiones, quæ de illo in Philosophia demonstrantur; ut quod sit mobile, quòd sit in loco, &c. Denique, omnia, quæ in Philosophia tractantur, ad corpus naturaliter reducuntur, vel tanquam partes illius, ut sunt materia, & forma; vel tamquam species, ut

sunt omnia corpora supradicta ; vel tamquam proprietates , tam ipsius in communi, quàm suarum specierum : hæ sunt proprietates requisitæ ad rationem objecti alicujus facultatis : ergo . Aliter potest probari conclusio ex refutatione aliarum sententiarum , quæ deducenda est ex responsione argumentorum.

7 Arg. 1. Objectum totius Philosophiæ est illud , cujus principia , & passiones demonstrantur , seu traduntur in scientia ; sed principia tradita ab Aristot. de objecto Philosophiæ , scilicet , materia , forma , & privatio , solùm conveniunt corporibus corruptibilibus ; non tamen incorruptibilibus, ut sunt Cœli , in quibus nulla reperitur privatio . Deinde , proprietates , seu affectiones , quas de suo objecto Philosophia demonstrat , ut sunt esse in tempore , esse in loco , non conveniunt corporibus cœlestibus, ergo solùm corpus corruptibile est objectum Philosophiæ . Resp. neg. minor. Ad probationem ibi inclusam dicimus ; quòd Aristot. egit de principiis transmutationis in communi , & certum est , corpora cœlestia subjecta esse aliquibus mutationibus accidentalibus, quarum respectu inest illis suo modo privatio . Deinde , licèt in fieri corporum cœlestium non præcesserit privatio formæ substantialis in materia prima ; tamen constant in facto esse materia , & forma, tamquam principiis illorum , quod sufficit , ut corpora cœlestia contineantur sub objecto Philosophiæ . Rursus, in Philosophia demonstrantur de corporibus cœlestibus motus circulares , & aliæ proprietates , quæ conveniunt illis ratione suæ naturæ . Denique, ratione talis motus tribuitur illis ab Aristot. tempus , quod æternum appellat , eò quòd talis motus nullum

lum habet contrarium. Similiter corpora cœlestia dicuntur esse in loco, ut dicetur lib. 4. Physic.

8 Arg. 2. Illud est objectum philosophiæ, cui convenit mobilitas tanquam passio: sed hæc non solum convenit corpori naturali de prædicamento substantiæ, sed etiam partibus illius, præcipuè materiæ primæ, cùm moveatur ad receptionem formæ substantialis: ergo non corpus naturale, sed substantia materialis, ut comprehendit, tam completam, quàm incompletam, est objectum Philosophiæ. Resp. Dist. maior. est enim vere loquendo de mobilitate accidentali; falsa tamen loquendo de mobilitate substantiali. Similiter, disting. min. quæ vera est de mobilitate substantiali: falsa autem de accidentali.

9 Dices contra primò: Tam materia, quàm forma substantialis sunt principium motus accidentalis: ergo tam materia, quàm forma continentur sub objecto Philosophiæ. Secundò: Substantia spiritualis movetur accidentaliter: ergo continetur sub objecto Philosophiæ. Quod potest confirmari: quia Philosophia agit de Anima rationali, quæ est spiritualis: Respond. ad primum, negat. conseq. quia materia, & forma tantùm sunt principium *quo* motus accidentalis convenit composito, seu corpori substantiali; corpus autem substantiale est principium *quod* ipsius motus, seu est id, quod movetur; solum enim id, quod movetur dicitur objectum Philosophiæ. Ad secundum respond. quòd substantia spiritualis (creata) non movetur motu sensibili, quod requiritur ad objectum Philosophiæ. Ubi advertendum est, quòd quando in Philosophia instituitur sermo de

in

intelligentiis, seu Angelis, non est, attendendo ad naturam, seu proprietates illorum, sed tantùm, quatenus extrinsecè movent corpora cœlestia, quæ sub objecto Philosophiæ continentur. Ad confirmationem resp. Philosophiam non agere de Anima rationali secundùm se, sed quatenus est actus corporis physici substantialis, & in illo principium motuum sensibilium.

10 Arg. 3. Objectum præcipuæ passionis alicujus scientiæ est ipsius scientiæ objectum, sed subjectum mobilitatis, quæ est præcipua passio, quæ in Philosophia demonstratur, non est corpus substantiale, sed ens, ut patet ex Aristot. 3. Physic. dicente; *Motus est actus entis in potentia*; ergo non corpus naturale, sed ens est objectum Philosophiæ. Resp. neg. min. nam Arist. per ly *ens* non intelligi rationem transcendentalem entis, sed participium verbi *sum*; & in hoc sensu idem est ens, ac id, quod existit, ita, ut sensus sit? *Motus est actus ejus, quod existit in potentia*; quod solùm convenit corpori substantiali; ut patet ex ipso Arist. dicente; *In potentia, scilicet ad terminum motus, sed tamen actu per propriam formam*.

11 Arg. 4. Accidentia moventur motu sensibili, nam quantitas alteratur per qualitates; quantitas, & qualitas producuntur per motum, &c. ergo non corpus naturale, sed mobile in communi, est objectum Philosophiæ. Resp. quod accidentia non moventur subjectivè motu sensibili, nisi in ordine ad corpus substantiale, non enim propriè dicitur quantitas alterari, sed corpus substantiale alterari media quantitate, seu quatenus qualitates recipiuntur in illo media quantitate; Terminativè verò benè moventur accidentia, eò quòd vere producuntur

per

per motum, seu sunt termini motus. Unde negatur consequentia; nam objectum Philosophiæ tantùm est id, quod per se movetur subjectivè, seu in se habet principium motus, & recipit terminum illius; quod tantum corpori substantiali convenit.

12 Adverte pro aliis argumentis, quod Philosophia agit de aliquibus, quæ per se non conducunt ad esse corporis naturalis, imò illi aliquomodo opponuntur, ut sunt, casus, fortuna, monstrum, vacuum; sed de his non agit per se, sed solùm quatenus ad majorem intelligentiam ipsius corporis naturalis, illorum intelligentia deservit.

13 Dicimus 2 Objectum formale *quo*, seu ratio formalis *sub qua* attingitur corpus substantiale à Philosophia, est naturalitas; ita, ut objectum formale *quod* dicatur corpus naturale de prædicamento substantiæ; & objectum formale *quo* ipsa naturalitas, non verò mobilitas. Conclusio est communis inter Scotistas, & deducitur ex Scoto citato pro prima conclusione, & ex dictis pro illa haud difficilè impugnantur aliæ sententiæ.

14 Probatur conclusio: quia illud est objectum formale *quo* alicujus scientiæ, ratione cujus conveniunt objecto omnes affectiones, quę in scientia de illo considerantur: sed hoc convenit naturalitati; ratione enim illius conveniunt corpori substantiali motus, quies, quantitas, qualitas, locus, tempus, & alia accidentia ipsum consequentia, de quibus in ordine ad corpus substantiale agit Philosophia: ergo naturalitas est objectum formale *quo* Philosophiæ.

15 Quod autem non sit mobilitas, probatur, quia, vel accipitur mobilitas formaliter, seu quatenus est passio corporis natura-

ralis; & ut sic non rectè assignatur pro objecto formali *quo* Philosophiæ: tum, quia jam non consideraret Philosophia corpus naturale quoad suam naturam, & essentiam; quod est falsum, cùm consideret illud quoad sua intrinseca principia. Tum etiam quia mobilitas in hoc sensu demonstratur in Philosophia de corpore substantiali, eò quod naturale sit; & ratio *sub qua* objecti non demonstratur, imò præsupponitur in quacumque scientia: ergo mobilitas formaliter sumpta non est objectum formale *quo* Philosophiæ. Vel sumitur radicaliter, vel pro radice, seu principio ipsius mobilitatis formalis; & ut sic est ipsa naturalitas; tamen meliùs explicatur per ipsum nomen naturalitatis, quàm per nomen mobilitatis; quia per nomen naturalitatis denotatur principium, non solum mobilitatis formalis, sed omnium proprietatum, & affectionum, quas considerat Philosophia in ordine ad corpus substantiale; at verò per nomen mobilitatis tantùm denotatur principium ipsius mobilitatis formalis, & sic non adæquatè explicatur ratio formalis obiecti *quo* Philosophiæ: ergo tale obiectum debet explicari per naturalitatem; non verò per mobilitatem, adhuc radicaliter sumptam; nisi hoc reducatur ad quæstionem de nomine; ideòque in eo non ampliùs immoramur.

16 Ex dictis de obiecto Philosophiæ in communi, non erit difficile cognoscere, quodnam sit obiectum Physiceæ, prout tantum comprehendit octo libros Physicorum ab Aristot. traditos: est enim corpus naturale in communi, non ut sub se comprehendit omnia corpora in prima conclusione enumerata; nam ut sic, ut ibi dictum est, est obiectum totius Philosophiæ; sed præcisè; qua-

quatenus dicit rationem communem corporis naturalis præcisam. Hæc deductio, licèt in terminis non à pluribus proponatur; in re tamen ab omnibus videtur admitti, vel præsupponi: sic tamen explicatur; si daretur aliqua scientia, quæ haberet pro obiecto animal in communi, quatenus demonstraret passiones, seu proprietates, tam ipsius animalis ut sic, quam omnium inferiorum illius; obiectum prædictæ scientiæ, absolutè sumptæ, esset animal, ut sub se comprehendit omnia sua inferiora; tamen illius partis scientiæ, in qua demonstrarentur tantùm passiones animalis, & non inferiorum; esset obiectum animal in communi, non ut sub se comprehendit inferiora, sed ut dicit præcisè rationem animalis. Hoc evenit in nostro casu; nam pro obiecto totius Philosophiæ statuimus corpus naturale in communi, ut sub se comprehendit omnia corpora; eo quod in Philosophia demonstrantur passiones, non solùm de corpore naturali in communi, sed etiam de omnibus suis inferioribus, cum ergo in Physica, quæ est pars Philosophiæ, tantùm demonstrentur passiones de corpore naturali, secundùm præcisam rationem naturalitatis, non tamen de inferioribus illius secundùm suas peculiares rationes; ideò non corpus naturale, ut sub se comprehendit inferiora, sed ut dicit præcisam rationem corporis naturalis, statuitur pro objecto partis Philosophiæ, scilicet Physicæ. Nec apparet quid, suppositis dictis, contra hoc obiici possit, quod non facilè solvatur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Philosophia sit scientia practica, vel speculativa?

1 DIcimus; Philosophia est scientia purè speculativa. Conclusio est communis, & probatur; quia, ex dictis in prooemialibus Logicæ, scientia speculativa est illa, quæ sistit in cognitione sui objecti, ipsum, seu naturam, & proprietates illius speculando, absque eo, quod transitum faciat ad dirigendam praxim, seu operationem: sed Philosophia sistit in cognitione sui objecti, naturam, & proprietates illius speculando, & nullatenus dirigit praxim, seu operationem, ergo est scientia speculativa. Minor patebit in discursu ipsius Philosophiæ. Diximus, esse purè speculativam, ut distinguatur à Logica, quæ, ut suo loco dictum est, non est pure speculativa, seu contemplativa, sed etiam regulativa.

2 Argument. 1. Philosophia per cognitionem sui objecti movet voluntatem ad amorem Dei: ergo non sistit in pura contemplatione veritatis, & consequenter non est scientia speculativa. Respondet. distinguit. maj. Philosophia ex cognitione sui objecti movet ad amorem Dei, ut objectum illius est formaliter nego; materialiter, vel secundum aliam formalem rationem, concedo; & nego consequentias. Etenim, Philosophia sistit in cognitione sui objecti, naturam, & proprietates illius speculando, & ut sic nullatenus movet ad amorem Dei; movet autem ipsum objectum ad talem amorem, si sumatur materialiter, & sub ratione formali creaturæ, sub qua ratione non consideratur à Philosophia, sed pertinet

tinet ad objectum Theologiæ, quia dicit respectum dependentiæ ad Deum, ut Creatorem; quod similiter contingit in Metaphysica, quæ agit de Deo in ratione entis, & tamen est scientia purè speculativa; licet aliàs Deus sub alia ratione sit objectum Theologiæ, quæ est facultas practica.

3 Argum. 2. Medicina est scientia practica; sed est pars Philosophiæ naturalis; ergo hæc non est speculativa quoad omnes suas partes. Minor probatur; quia Medicina agit de corpore naturali humano, ut est mobile ad sanitatem, ergo est pars Philosophiæ naturalis. Respondet. negat. min. & distinguit. antecedens probat. Medicina agit da corpore humano, ut est mobile à natura, seu ab intrinseco, nego; ut est mobile ad sanitatem ab extrinseco; concedo. Mobilitas autem, quæ est propria objecti Philosophiæ, est mobilitas ab intrinseco, seu à natura, ut dictum est quæst. antecedent. Tantum autem dicitur Medicina scientia subalternata Philosophiæ, eo quod habeat pro objecto aliquam speciem objecti Philosophiæ, ut est corpus humanum; & addat supra objectum Philosophiæ conditionem accidentalem sibi propriam, ut est mobilitas ad sanitatem; & assumat pro principiis conclusiones in Philosophia demonstratas; nam hæ conditiones requiruntur, ut una scientia alteri subalternetur.

4 Dubitabis, an Philosophia sit una? Pro responsione nota, quod Philosophia potest dupliciter considerari, scilicet in esse rei, seu qualitatis, & in esse scientiæ. Nunc respondetur primò, quod Philosophia in esse rei, seu qualitatis non est unus simplex habitus, sed plures, juxta pluralitatem difficultatum, quæ in ipsa circumferuntur. Hæc resolutio probatur rationibus, quibus probatum

tum est in prooemialibus Logicæ, logicam, in esse rei, & qualitatis; non esse unum simplicem habitum.

5 Respondetur secundò, quod Philosophia, in esse scientiæ, est una. Quæ resolutio etiam manet probata in prooemialibus Logicæ. Sed quia unitas scientiæ colligitur ex unitate obiecti; & diversimodè locuti sumus de objecto totius Philosophiæ, ac de obiecto Physicæ, quæ est pars ipsius Philosophiæ; ideò dicimus consequenter; Philosophiam in tota sua latitudine esse unam scientiam unitate generica; Physicam verò esse unam scientiam unitate specifica. Prima pars probatur; quia objectum totius Philosophiæ est unum unitate generica; ut enim dictum est quæst. antecedent. est corpus naturale, ut sub se comprehendit omnia corpora naturalia, ita ut Philosophia, non solum versetur circa rationem communem corporis naturalis, sed etiam circa peculiares rationes suorum inferiorum; quod apertè est considerare corpus naturale, ut est genus: ergo Philosophia in tota sua latitudine est una scientia unitate generica.

6. Probatur secunda pars: quia Physica habet pro obiecto corpus naturale sub præcisa ratione talis; non tamen ut sub se comprehendit inferiora, ut etiam dictum est quæst. antec. ergo ut corpus naturale consideratur à Physica, non habet rationem generis; licèt alias in se quoddam genus sit; & consequenter, ut consideratur à Physica, non est unum unitate, generica: ergo neque Physica est una scientia unitate generica; & consequenter dicendum est, corpus naturale, ut est objectum Physicæ, esse unum unitate specifica, & Physicam, etiam unitate specifica, unam scientiam.

7 Vt autem hoc clarius percipiatur, & quælibet auferatur æquivocatio, observa, quod, ut ali-

aliquod objectum dicatur specificum, non debet attendi secundùm se, aut secundùm suam entitatem; sed ut est objectum talis scientiæ; undè benè componitur, quòd in se sit unum unitate generica, & ut est objectum talis scientiæ, sit unum unitate specifica; nam ad hoc, ut in se habeat unitatem genericam, sufficit, quòd sub se contineat aliquas species; ad hoc autem, quòd sit unum objectum specificè, non necessariò requiritur, quòd secundùm suam entitatem sit unum unitate specifica, sed sufficit, quòd, licèt in se sit genus, non consideretur à scientia, ut continet inferiora, sed ut præcisè dicit suam rationem, & præcisè demonstrantur de illo proprietates cum ipso convertibiles; quod, nisi reducatur ad quæstionem de nomine, nullatenus inficiari potest Hoc contingit in præsenti; nam objectum Physicæ est corpus naturale, non ut sub se comprehendit plures species, sed secundùm suam rationem præcisam, cùm in Physica tantùm demonstrentur proprietates convertibiles cum illo; non verò proprietates, quæ conveniunt speciebus illius secundùm suas peculiares rationes. Undè, licèt corpus naturale in se habeat unitatem genericam, tamen ut consideratur à Physica, habet unitatem specificam.



LI

LIBER PRIMUS PHYSICORUM.

EGit Arist. in 1. lib. de Principiis intrinsecis corporis naturalis, & priùs præmisit ordinem procedendi in cognitione rerum, ostendendo, incipiendum esse à cognitione principiorum, seu partium, ut ad cognitionem totius deveniatur: jam communiter aliqua, ad cognitionem rerum pertinentia, in libris de Anima traduntur; quapropter, his pro nunc omissis, & ad notitiam principiorum corporis naturalis accedendo, fit

DISP. I.

De principiis corporis naturalis in communi.

ANtequam de principiis intrinsecis corporis naturalis in speciali disputemus, de ipsis in communi disputare, necesse est. Pro quibus sit

QUÆSTIO I.

An rectè principia corporis naturalis ab Aristotele definiantur.

1 NOtandum est, principium aliud esse primum, & aliud secundum. Primum principium dicitur illud, quod non supponit aliud; & hoc, vel absolutè, & in omni gene-

genere; in quo sensu dicitur primum principium simpliciter; ut est solus Deus, qui, cùm sit principium omnium rerum, in nullo genere supponit aliud principium. Vel respectivè, & in aliquo genere determinato; in quo sensu dicitur primum principium secundùm quid; quia, licèt in aliquo genere dicatur primum, eò quòd in tali genere nullum aliud principium supponat; tamen non est simpliciter primum, eò quòd in alio genere supponit aliud principium. Hujusmodi sunt omnia prima principia, præter Deum; & in hac acceptione vocantur ab Aristot. prima principia; principia corporis naturalis. Secundum principium dicitur, quod in eodem genere, in quo est principium, habet & supponit aliud principium. Hujusmodi est pater in creatis, eo quod in eodem genere, in quo est principium filii, habet & supponit aliud principium.

2 Aristot. cap. 5. hujus lib. sic, juxta versionem Argyropili, prima principia corporis naturalis definivit: *Prima principia namque, neque ex sese mutuò, neque ex aliis, & ex ipsis omnia esse oportet.* Vel, juxta versionem Boetii, sic: *Oportet enim principia neque ex alterutris esse, neque ex aliis, & ex his omnia.* Clarius tamen sic à recentioribus definiuntur: *Prima principia sunt, quæ, neque ex se mutuò, neque ex aliis, sed ex ipsis cætera fiunt, vel sunt.* Nunc est difficultas, an per prædictas definitiones, quæ in idem incidunt, rectè prima principia corporis naturalis definiantur.

3 Dicimus ergo: prima principia intrinseca corporis naturalis rectè definiuntur ab Aristot. Conclusio est communior consensus Philosophorum. Probatur: quia talis definitio convenit tribus principiis intrinsecis corporis naturalis, & non aliis: ergo. Antecedens non meliùs probari potest, quàm per de-

definitionis explicationem. Dicitur: *neque ex se mutuò*, per quod denotatur, quòd unum principium non fit ex alio, tanquam ex parte componente; materia enim non fit ex forma, aut privatione; neque forma ex privatione, aut materia; neque privatio ex materia, aut forma, tanquam ex partibus componentibus. Dicitur: *neque ex aliis*, per quod denotatur, quòd unum principium non fit ex alio in illo genere, in quo est principium; materia enim non fit ex alia materia; neque forma ex alia forma; neque privatio ex alia privatione; quapropter dicuntur prima principia secundùm quid, seu in aliquo genere. Dicitur: *ex ipsis cætera fiunt, vel sunt*, per quod denotatur, quòd omnia principiata fiunt, & sunt ex illis tribus principiis, distributione accommoda; ita ut omne principiatum in genere causæ materialis fiat ex materia; & omne principiatum in genere causæ formalis, fiat ex forma; & omne principiatum in genere privativo, fiat ex privatione; & hoc vel tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à *quo*, vel aliter distributivè, juxta naturam principii, & statum principiati, ut patebit ex dicendis, tam in hac, quàm in quæstione sequenti: hæc omnia modo explicato conveniunt materiæ, formæ, & privationi, & non aliis, ut amplius patebit in solutione argumentorum: ergo benè definiuntur prima principia intrinseca corporis naturalis per prędictam definitionem.

4 Arg. primò; Prædicta definitio convenit etiam principiis extrinsecis; nam corpus naturale, seu quodlibet principiatum fit ex causa efficienti, juxta illud Joan. 8. *qui ex Deo est, verba Dei audit:* ergo per illam non definiuntur principia intrinseca tantùm. Resp.

neg.

neg. antec. licèt enim metaphoricè loquendo particula *ex* dicat habitudinem ad principium extrinsecum; in quo sensu intelligitur illud Joannis; tamen in rigore philosophico, in quo loquitur Arist. solùm dicit habitudinem ad principia intrinseca, ut sunt materia, forma, & privatio; principia autem extrinseca, ut sunt efficiens, finale, & exemplare, in rigore philosophico non benè explicantur per *ex quibus*, sed efficiens per *a quo*; finale per *propter quod*; & exemplare per *ad cuius instar* aliquid fit.

5 Arg. 2. Supradicta definitio datur per *esse*, non tamen per *fieri*: sed privatio tantum est principium corporis naturalis in fieri: ergo talis definitio non convenit privationi. Resp. quòd licèt prædicta definitio detur per *esse*, communiter tamen explicatur per *fieri*; & non sine fundamento, quia ipse Argiropilus, sicut in prædicta definitione utitur ly *esse*; etiam loquendo de ipsis principiis utitur ly *fieri* dicens; *Quia verò contraria sunt, ideò non ex se mutuò fiunt*. Et Scotus explicans Arist. dicit: *Illa sunt prima principia, quæ non fiunt ex aliis, neque ex alterutris, & omnia fiunt ex ipsis*. Et communiter omnes Interpretes utuntur verbo *fieri*. Undè neg. conseq. concessa minori.

6 Arg. 3. Forma fit ex materia, quia educitur de potentia illius. Deindè, forma fit ex privatione, ergo unum principium fit ex alio; & consequenter prædicta definitio non est bona. Resp. disting. antec. forma fit ex materia, & ex privatione in eodem genere principiandi, in quo forma est principium, nego; in diverso genere principiandi, concedo; & neg. conseq. Etenim ad rationem primi principii secundum quid sufficit, quòd in illo genere in quo est principium, non fiat ex alio, licèt aliàs in alio genere principiandi ex alio fiat, forma enim in suo genere principiandi, scilicèt in ratione termini ad quem, non fit ex alio, li-

cèt aliàs fiat ex materia, & ex privatione, quæ in diversis generibus sunt principia, scilicèt materia in ratione subjecti, & privatio in ratione termini à quo. Deindè potest responderi, quòd forma non fit ex materia, neque ex privatione, tanquam ex partibus ipsam componentibus, quod sufficit, ut dicatur primum principium, ut patet ex dictis explicando definitionem.

7 Contra primam responsionem replicabis, privatio fit ex forma, qua privat, tanquam ex termino à quo, ergo fit ex alio in eodem genere principiandi, in quo ipsa est principium, & consequenter definitio non convenit privationi. Potest responderi primò, neg. antec. quia, cùm privatio nihil sit, nullus motus, aut actio ad ipsam terminatur, & sic neque habet terminum à quo, neque ipsa est terminus ad quem, ubi enim non datur motus, ibi non datur terminus à quo incipit motus, nec terminus ad quem motus terminatur. Licèt hæc responsio sufficiat, ad auferendam quæstionem de nomine, potest responderi secundò disting. antec. privatio fit ex forma, tanquam ex termino à quo positivo, concedo; privativo, nego; & neg. conseq. quia privatio est principium in ratione termini à quo privativo, undè neg. ultim. conseq.

8 Arg. 4. Tàm materia, quàm forma constant genere, & differentia, & partibus integralibus, erg. fiunt ex aliis, & consequenter non sunt prima principia Resp. disting. conseq. fiunt ex aliis tanquam ex partibus Metaphysicis, ut sunt genus, & differentia, vel tanquam ex partibus integralibus physicis, concedo, tanquam ex partibus essentialibus physicè se habentibus tanquam actus, & potentia, nego, & neg. ultimam conseq. Etenim, neque partes, quibus constat materia, se habent per modum subjecti, respectu ipsius materiæ, sed constituunt unum

pri-

primum subjectum: neque partes formæ se habent per modum actus, respectu ipsius formæ, seu constituunt unum primum actum; undè licèt materia componatur ex partibus, non fit ex alio tanquam ex subjecto; neque forma ex alio tanquam ex actu, quod erat necessarium, ut non essent prima principia in suo genere principiandi. Ampliùs constabit definitio ex dicendis quæstione sequenti.

QUÆSTIO II.

Quot sint principia corporis naturalis?

1 NOtandum est primò, corpus naturale posse considerari *in fieri*; hoc est, quatenus est in actuali fluxu, seu productione; & *in facto esse*; hoc est, prout jam est constitutum in suo esse. Secundò, generationem corporis naturalis etiam posse sumi sub præcisa ratione generationis, seu quatenus tantùm est productio substantiæ ex præsupposito subjecto; in quo sensu nullatenus includit mutationem, ut in libris de generatione cum subtili Doctore dicetur; & sub ratione mutationis, quæ est transitus de non esse ad esse; & quæ communiter propter imperfectionem agentis creati comitatur generationem. Nunc

2 Dicimus 1. Principia corporis naturalis in facto esse tantùm sunt duo, scilicèt materia, & forma. Conclusio est communis, & probatur: quia illa dicuntur principia corporis naturalis in facto esse, quæ ipsum intrinsecè constituunt, ut partes essentiales, transacta generatione: sed tantùm materia, & forma intrinsecè constituunt corpus naturale, transacta generatione, nam privatio tunc non est, cùm necessariò pereat per adventum formæ; & licèt tunc

esset, nullatenus esset pars constitutiva intrinsecè corporis naturalis: ergo tantùm materia, & forma sunt principia corporis naturalis in facto esse. Neque obstat, quòd in facto esse corporis naturalis detur subsistentia, & unio partium; nam subsistentia non constituit intrinsecè corpus naturale in esse talis, sed tantùm in esse suppositi: similiter unio non est pars constitutiva intrinsecè corporis naturalis, sed tantùm est conditio requisita, ad hoc, ut materia, & forma, ipsum corpus naturale tanquam partes intrinsecè constituant. De hoc ampliùs loquendo de unione, & subsistentia.

3 Dicimus 2. Principia corporis naturalis in fieri, si principia considerentur ut quid intrinsecè constituens corpus naturale, tantùm sunt duo supradicta, scilicèt materia, & forma. Hæc conclusio, licèt non communiter in terminis proponatur, à nemine tamen negari potest; & patet ex conclusione antecedenti; nam idem est entitativè corpus in fieri, & in facto esse, & solùm est distinctum juxta diversos status: sed principia constitutiva corporis naturalis entitativè in facto esse, sunt tantùm materia, & forma: ergo tantùm materia, & forma sunt principia constitutiva corporis naturalis in fieri entitativè. Solùm est advertendum, quòd, cùm communiter fieri corporis naturalis, etiam sit fieri formæ, principium illius erit forma in fieri, quod nota pro aliquibus argumentis.

4 Dicimus 3. Principia corporis naturalis in fieri, non prout intrinsecè constituunt ipsum corpus naturale, sed prout sunt quid necessariò connotatum in ipso fieri entis naturalis, ità, ut sine illis nequeat fieri entis naturalis intelligi; si tale fieri consideretur, ut est mutatio, sunt tantùm tria, scilicèt materia, ut subjectum, forma, ut terminus ad quem, & privatio, ut terminus à quo: si autem fieri tantùm consideretur,

retur, ut generatio est, tantùm sunt duo principia, scilicèt materia, & forma. Conclusio quoad utramque partem debet esse communis inter admittentes, generationem, in ratione talis præcisè, non includere mutationem. De quo in libris de generatione.

5 Probatur prima pars: quia nequit intelligi generatio, ut mutatio est, sine privatione tanquam termino à quo, & materia tanquam subjecto, & forma tanquam termino ad quem; his tamen intellectis, quin aliud intelligatur, intelligitur generatio, ut mutatio est: ergo tantùm tria prædicta sunt principia corporis naturalis in fieri, quatenus fieri dicit generationem simul cum mutatione. Prob. antec. quia mutatio est transitus subjecti (ecce materia) de non esse (ecce privatio) ad esse (ecce forma) v. gr. materia, quæ est subjectum receptivum formarum, transit de non esse, seu de privatione formæ ignis, tanquam de termino à quo ad esse ignis per formam ignis, quæ est terminus ad quem: sed ut prædicta mutatio intelligatur, nihil aliud requiritur intelligi; ergo fieri entis naturalis, ut dicit generationem in ratione mutationis, benè intelligitur, intellectis privatione ut termino à quo, materia ut subjecto, & forma ut termino ad quem, quin aliquid aliud intelligatur; & consequenter illa tria tantùm sunt principia corporis naturalis in fieri, quatenus fieri dicit generationem in ratione mutationis.

6 Probatur secunda pars: quia generatio, ut generatio est præcisè, non includit mutationem; tantùm enim est productio substantiæ ex præsupposito subjecto; si enim Deus crearet materiam, & in eodem instanti introduceret formam, tunc daretur generatio, quin esset mutatio, cùm non præcesserit privatio formæ in materia, quod contigit in generatione Cœlorum, & Elementorum: ergo fieri entis natu-

 ralis,

ralis, ut dicit generationem præcisè, intelligitur, intellectis materia, & forma, quin intelligatur privatio; & consequenter tantùm materia, & forma sunt principia corporis naturalis in fieri, ut est generatio præcisè. Argumenta contra hanc secundam partem aptiùs solventur in libris de generatione.

7 Contra primam partem conclusionis arg. 1. Privatio est nihil: sed ex nihilo nihil fit: ergo privatio non est principium corporis naturalis in fieri. Confirmatur primò: quia nequit fieri unum oppositum ex alio: sed privatio opponitur formæ: ergo privatio nequit esse principium corporis naturalis in fieri. Confirmatur secundò: quia principium debet esse simul cum principiato: sed privatio non est simul cum fieri entis naturalis, nam in ipso fieri desinit esse; ergo privatio non est principium fieri entis naturalis.

8 Resp. ad argumentum disting. min. ex nihilo nihil fit, tanquam ex parte componente, concedo; tanquam ex termino à quo intrinsecè connotato per ipsum fieri, nego, & neg. conseq. Solutio patet ex dictis. Ad primam confirmationem (licèt in æquivoco laboret, quia, quod fit in generatione entis, seu corporis naturalis, rigorosè loquendo, non est forma, sed ipsum corpus naturale; licèt enim Deus crearet formam independenter à subjecto, & posteà illam induceret, seu uniret subjecto, daretur vera generatio, & mutatio, seu fieri entis naturalis, quin tunc daretur fieri formæ) respondetur sicut ad argumentum. Ad secundam confirmationem resp. disting. mai. principium debet esse simul cum principiato, si sit principium constitutivum principiati ut pars intrinseca illius, concedo; si sit principium ut terminus à quo, nego; immò oppositum requiritur, scilicèt, quòd terminus à quo non sit simul cum principiato, sed quòd præcedat

cedat

cedat aliquomodo aliud; aliàs verificarentur duo contradictoria de eadem re in eodem instanti, quod est impossibile, scilicèt, quòd forma (quæ est in instanti generationis) esset simul cum non esse illius, scilicèt cum privatione. Undè, concessa minori, neg. conseq. Quia privatio tantùm est principium per modum termini à quo. Aliter potest responderi; quòd principium debet esse simul cum principiato eo modo, quo est principium; &, ut dictum est in conclusione, principia corporis naturalis in fieri tantùm dicuntur principia, quatenus sunt intrinsecè connotata per ipsum fieri; ità, ut non possit fieri intelligi, quin ipsa intelligantur; & certum est, privationem in hoc sensu esse simul cum fieri entis naturalis, ut dicit mutationem, cùm hæc nequeat intelligi, quin intelligatur privatio ut terminus à quo. Cum hoc respondetur ad aliud argumentum, quod solet fieri de forma, scilicèt, quò forma sequitur ad fieri, & non est simul cum ipso fieri, nam certum est, quòd nequit intelligi fieri corporis naturalis ut mutatio est, quin intelligatur forma ut terminus ad quem. Pro aliis argumentis de forma, nota, quòd dictum est conclusione 2. in fine.

9 Arg. 2. In mutatione substantiali, sicut in subjecto præcedit privatio; ità præcedit aliqua forma; in materia enim ligni, ver. gr. quæ mutatur ad formam ignis, non solùm præcedit privatio formæ ignis, sed etiam præcedit forma ligni: ergo sicut privatio est principium fieri corporis naturalis, ut dicit mutationem, ità est principium forma præexistens. Resp. neg. conseq. quia, licèt in mutationibus substantialibus creatis præcedat in materia aliqua forma, hoc per accidens se habet ad rationem mutationis: quia hæc benè intelligitur sine tali forma præexistente, non enim est

transitus de esse unius formæ ad esse alterius, sed tantùm transitus de non esse alicujus formæ ad esse illius; seu meliùs, non est transitus subjecti ab esse sub una forma ad esse sub alia; sed transitus subjecti de non esse sub aliqua forma ad esse sub illa; ità, ut si daretur materia sine forma, (quod, esse possibile supernaturaliter, suo loco dicetur) & posteà reciperet formam, daretur vera mutatio, & tamen non daretur forma præexistens.

10 Arg. 3. Fieri corporis naturalis est vera actio: sed actiò necessariò connectitur cum agente: ergo agens est principium corporis naturalis in fieri. Deinde, agens necessariò supponit dispositiones accidentales in materia: ergo prædictæ dispositiones etiam sunt principia corporis naturalis in fieri. Resp. quòd fieri entis naturalis potest considerari ut mutatio, & ut actio est. Si consideretur ut actio, necessariò connectitur cum agente; nam ut sic exprimit esse ab alio: si autem consideretur ut mutatio, non exprimit esse ab alio: sed præcisè transitum de non esse ad esse; & sic non connectitur cum agente, sed tantùm cum materia, forma, & privatione; & in hoc sensu loquimur in præsenti de fieri corporis naturalis. Undè, nihil probat argumentum; nam, licèt fieri corporis naturalis, sit actio, & sit mutatio, non tamen est actio, ut est formaliter mutatio. Ad aliud resp. quòd, licèt communiter ad mutationem præcedant dispositiones accidentales in materia, tamen tales dispositiones non connectuntur necessariò cum mutatione, nec per illam exprimuntur, cùm possit intelligi sine illis; immò & sine illis esse supernaturaliter, modo dicto de forma præexistente.

11 Ex dictis deducitur 1. quòd definitio principiorum, modo explicato quæst. antec. convenit principiis corporis naturalis, tàm in

in fieri, quàm in facto esse, sivè fieri consideretur ut generatio præcisè, sivè ut mutatio, distributione accommoda.

12 Deducitur 2. quòd, ut definitio applicetur principiis corporis naturalis in facto esse, vel in fieri entitativè, particula *ex* ter in prædicta definitione posita, necessariò debet denotare habitudinem partium intrinsecè componentium; quia neque forma fit ex materia, aut ex alia forma; neque materia fit ex forma, aut ex alia materia, tanquam ex partibus intrinsecè componentibus: benè tamen corpus naturale fit entitative, & est constitutum ex materia, & forma, tanquam ex partibus intrinsecè ipsum componentibus.

13 Deducitur 3. quòd, ut definitio conveniat tribus supradictis principiis corporis naturalis in fieri, ut conjunctum cum mutatione (in quo sensu videtur Arist. illa definisse, cùm loquatur de tribus principiis, scilicèt materia, forma, & privatione; & certum sit, quòd privatio tantùm est principium corporis naturalis in fieri, ut conjungitur cum mutatione) particula *ex* posita tertio loco in definitione, debet explicari per habitudinem principii ad principiatum in communi, prout abstrahit à rationibus terminandi per modum termini à quo, per modum subjecti, & per modum termini ad quem; non tamen debet explicari per habitudinem principii per modum partis componentis; nam, ut dictum est conclusione 3. principia corporis naturalis in fieri, ut dicit mutationem, non sunt principia per modum partis componentis, sed per modum connotati intrinseci; ità, ut nequeat sine illis intelligi fieri corporis naturalis, quatenus dicit mutationem.

14 Deducitur 4. quòd definitio principiorum potest etiam adaptari principiis mutationis accidentalis, scilicèt subjecto accidentis;

privationi ipsius accidentis, & ipsi formæ accidentali; immò, hoc esse intentum Aristot. tenet Mastrius hic. Videatur, si placet; nunc autem sufficiat, quòd omnia dicta circa principia mutationis substantialis, possunt applicari prædictis principiis mutationis accidentalis, ut per illa discurrenti, haud difficiliter patebit.

QUÆSTIO III.

An primo contraria sint prima principia?

1 PRæsens quæstio aliis verbis solet exagitari, an, scilicèt, prima principia corporis naturalis sint primò contraria. Tamen modo à nobis proposito videtur teneri ab Arist. cap.5. hujus lib. tex.43. & cap.7. tex.70. ut videre est apud Merinerum hic. Quapropter in hoc sensu illam examinamus; & posteà facile apparebit, quid sub illo alio titulo responderi debeat.

2 Notandum tamen est ex dictis in Logica, aliquibus in locis, contrarietatem, vel esse strictam, ut est illa, quæ datur inter duas qualitates; vel esse latam, quatenus dicit quamlibet oppositionem: quomodocumque sumatur contrarietas, habet aliqua primò contraria; quatuor enim primæ qualitates, scilicèt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas dicuntur primò contraria strictè, quia nulla alia contraria supponunt. Forma verò, & privatio dicuntur primò contraria latè sumpta; eò, quòd omnia, quæ latè contrariantur, reducuntur ad oppositionem privativam; v. gr. quodlibet genus dicitur dividi per differentias contrarias, contrarietate latè sumpta, quarum una excedit alteram in perfectione; & eam, quod est imperfectiùs dicitur habere quasi privationem perfectio-

ctioris, contrarietas differentiarum reducitur ad oppositionem privativam. Hoc notato

3 Dicimus: primò contraria latè sumpta modo explicato, sunt prima principia rerum naturalium. Conclusio, suppositis dictis, non videtur indigere probatione; cùm primò contraria in hoc sensu, sint illa, quæ privativè opponuutur; quo modo opponuntur forma, & privatio, quæ, ut dictum est quæst. antec. sunt prima principia corporis naturalis. Solùm est advertendum, quòd, sicut quæst. antec. diximus, definitionem principiorum posse adaptari principiis mutationis accidentalis, ità etiam primò contraria in genere accidentis, scilicèt, forma accidentalis, & privatio illius, possunt dici prima principia in sua linea. Ex quo facilè respondetur ad aliqua argumenta, quæ solent adduci pro parte negativa.

4 Nunc facilè respondetur ad quæstionem in illo alio sensu, an, scilicèt, prima principia sint primò contraria? Dicimus enim, non omnia prima principia esse primò contraria, sed tantùm forma, & privatio: quod patet ex dictis, & quia primò contraria in quacumque acceptione nequeunt esse simul: sed materia, & privatio possunt esse simul, & similiter materia, & forma; non tamen forma, & privatio: ergo solùm hæc duo prima principia, scilicèt privatio, & forma, sunt primò contraria, contrarietate latè sumpta. Nihil contra hoc potest objici, quod alicujus sit momenti; nisi reducatur ad quæstionem de nomine.

5 Dubitabis, an supradicta principia univocè conveniant in ratione principii? Non procedit dubium de principiis corporis naturalis in facto esse; ut sic enim certum est apud omnes, univocè convenire in ratione principii, quia de ratione principii corporis naturalis in facto esse est illud constituere per modum partis intrinsecæ: sed hoc convenit tàm materiæ quàm for-

mæ, & differunt in hoc, quòd materia constituit corpus naturale per modum subjecti, & forma per modum actus: ergo principia corporis naturalis in facto esse, conveniunt univocè in ratione principii. Solùm autem procedit dubium de principiis corporis naturalis in fieri, ut dicit mutationem.

6 Respondetur ad dubium, quòd materia, forma, & privatio univocè conveniunt in ratione principii. Sic Mastrius disp. 1. quæst. 1. n. 8. & probat argumento, quo utitur Scotus ad probandam univocationem entis, ut dicemus in Metaphisica, ubi etiam patebit, hanc univocationem componi cum aliqua analogia; intellectus certus de uno, & dubius de alio, distinctum conceptum habet de illo, de quo est certus, ac de illo, de quo est dubius; sed potest intellectus esse certus, quòd aliquid sit principium, & dubius, an sit per modum subjecti, vel termini ad quem, vel termini à quò; ergo diversum conceptum habet de ratione principii ut sic, ac de rationibus particularibus; sed talis conceptus principii, & quoad nomen, & quoad rem significatam reperitur in tribus prædictis principiis; ergo est univocus, respectu illorum. Minor est certa, nomen enim principii tribus principiis convenit. Deindè, ratio significata per nomen *principium*, loquendo de fieri entis naturalis, ut mutatio est, nihil aliud est, ut patet ex quæstion. antec. quàm ratio intrinseci connotati mutationis; ità, ut non possit intelligi fieri entis naturalis, quin intelligatur illud, quod dicitur principium illius, quæ ratio, ut etiam patet ex quæst. antec. reperitur in tribus supradictis principiis; ergo tàm nomen *principium*, quàm ratio significata per illud, convenit tribus prædictis principiis; ac per consequens, &c.

7 Arg. contra; enti, & non enti nequit dari aliqua ratio communis; sed materia, & forma

ha-

habent rationem entis; non verò privatio, cùm sit purum nihil; ergo tribus prædictis nequit dari aliqua ratio communis. Resp. disting. mai. enti, & non enti non datur aliqua ratio communis, in ratione entis, concedo, in alia ratione, nego; & concessa minori, similiter disting. conseq. tribus prædictis principiis non datur aliqua ratio communis, in ratione entis, concedo; in ratione principii, nego.

8 Replicabis: vel illa ratio communis esset ens; & tunc sequeretur, quòd non ens, scilicèt privatio, esset ens: vel talis ratio esset non ens; & tunc sequeretur, quòd ens, scilicèt materia, & forma, esset non ens; nam ratio communis necessariò includitur in inferioribus: quodlibet est absurdum: ergo non datur talis ratio communis. Resp. quòd illa ratio communis, neque esset ens, neque non ens, sed tantum ratio principii, quæ potest conjungi cum ratione termini à quo, quæ est non ens, seu privatio; & cum ratione subjecti, & termini ad quem, quæ sunt entia, scilicèt materia, & forma; quòd autem est indifferens ad hoc, ut conjungatur cum eo, quod est ens, & cum eo, quod est non ens, nequit ex se esse ens, vel non ens. Quòd autem possit dari aliquid commune enti, & non enti, non in ratione entis, sed in alia ratione, patet in negatione lapidis, quæ est communis homini, qui est ens, & chimeræ, quę non est ens; & similiter patet in moralibus; nam genus moris in communi est indifferens, & univocum ad bonum, & malum, cùm tamen malum solum dicat privationem bonitatis.

DISP. II.

De materia prima primo principio corporis naturalis.

JAm ad agendum de principiis corporis naturalis in speciali, postquam de illis in generali egimus, recto ordine accedimus, & primò de materia prima, quæ est primum principium, & quasi fundamentum aliorum. Sit ergo

QUÆSTIO I.

An detur, & quid sit materia prima?

1 NOtandum est, materiam dici omne illud, quod se habet ut subjectum alterius; & posse sumi tripliciter. Primò, pro subjecto, sivè substantiali, sivè accidentali alicujus formæ; in quo sensu, non solùm substantia, sed etiam quantitas potest dici materia, eò, quòd aliquomodo sit subjectum accidentium. Secundò, pro eo, ex quo aliquid constat, seu componitur; in quo sensu ligna, & lapides possunt dici materia domus. Tertiò, pro subjecto substantiali tantum; & hoc modo adhuc dupliciter. Primò, pro composito substantiali; ut est subjectum alicujus formæ, sivè substantialis, sivè accidentalis; & in hoc sensu solet appellari compositum substantiale materia secunda. Secundò, pro subjecto formæ substantialis tantùm, quod, quia non supponit aliud subjectum, appellatur materia prima; de qua inquirimus, an detur in rerum natura, & quid sit? Pro quo

2 Dicimus 1. Materia prima datur in rerum natura. Hæc conclusio est jam communis consensus Philosophorum contra aliquos antiquos,

quos, qui tenebant, corpus substantiale esse indivisibile, & ità non compositum ex materia, & forma; & alios asserentes, materiam primam non esse quid à quatuor elementis distinctum, sed ipsamet quatuor elementa simul sumpta; qui modus dicendi impugnatur in libris de generatione, loquendo de elementis. Tenet tamen nostram conclusionem expresse Arist. pluribus in locis, præcipuè à cap.6. usque ad 9. hujus lib. Et Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. § *positio ista*, antè litt. A. & per totam quæstionem illam probat efficacibus rationibus, quæ omnes supponant, dari generationem substantialem ab omnibus Philosophis receptam; & cum illo probatur primò: quia secundùm Philosophum 1. de generat. in generatione naturali semper corrumpitur, & aliquid generatur: sed tunc accipit Philosophus, quod in generatione ex opposito fit oppositum; non quòd oppositum maneat, sed aliquod commune utrique termino, quod vult esse materiam, quæ non potest esse idem cum aliquo oppositorum; quia unum oppositorum non manet cum alio. Hæc Scotus.

3 Hæc ratio fundatur in eo, quòd agens naturale necessario requirit, secundùm ordinem naturalem, ut aliquid possit generare, quòd præsupponatur oppositum illius, quod generare intendit; ver. gr. intendit ignis generare ignem, & ad hoc necessariò præsupponitur aliquid oppositum igni, in quod suam actionem exerceat; ver. gr. aer; ideoquè semper quòd aliquid generatur, aliquid etiam corrumpitur, scilicèt oppositum illius, quod generatur; hoc ab omnibus admittitur: sed falsum esset, quòd agens requireret tale oppositum, si non constaret materia prima, quæ esset subiectum, tàm formæ præexistentis corrumpendæ, quàm formæ advenientis, quæ de novo generatur: ergo datur talis materia

ria prima. Minor probatur ex Scoto; quia illud, per quod debilitatur virtus agentis, nequit necessario requiri ad agendum: sed virtus agentis debilitatur per oppositum illius; nam omne agens in agendo repatitur à suo contrario; ut dicetur in lib. de generatione: ergo unum oppositum, ut oppositum, non necessariò requiritur ad actionem alterius: ergo si requiritur, ut supponitur, non est propter rationem oppositionis, sed propter aliam rationem: sed nequit alia assignari, nisi, quod agens naturale prærequirit aliquam materiam, in qua suam formam introducat, & sit subjectum commune, tàm formæ corrumpendæ, quàm formæ generandæ: ergo si non daretur talis materia, agens non requireret naturaliter oppositum ad agendum; & consequenter datur talis materia

4 Probatur 2. Si non daretur talis materia prima, quæ esset subjectum commnne genito, & corrupto, nulla daretur generatio, neque corruptio, sed omnes productiones essent creationes, & anihilationes, quod nullus concedit: ergo datur materia prima. Prob. sequela: quia generatio differt à creatione, in eo, quod generatio est productio rei ex præsupposito subjecto; creatio verò est productio rei ex nihilo, seu nullo præsupposito subjecto: Similiter corruptio differt ab anihilatione in eo, quod corruptio est destructio rei, remanente subjecto; anihilatio verò est destructio rei, nihilo ejus remanente: sed si quando ignis v. gr. producit ignem ex ligno, & destruitur lignum, nullum remaneat subjectum in igne producto, quod erat in ligno corrupto; jam productio ignis daretur, nullo præsupposito subjecto; & destructio ligni, nullo subjecto remanente: ergo si non detur tale subjectum commune, productio ignis erit creatio, & destructio ligni erit anihilatio; & similiter dicendum est

de

de omnibus productionibus, & destructionibus.

5 Dices: subjectum, quod praesupponitur, esse totum compositum corrumpendum. Sed contra est primò: quia, ut dictum est in prima ratione, compositum corrumpendum non necessariò requiritur, ut est oppositum agenti, sed propter rationem à nobis assignatam, quae necessario subsistit, dum alia non assignatur, & haud facilè assignari potest. Secundò: quia per talem responsionem non aufertur, quod destructio ligni non sit corruptio, sed anihilatio, cùm lignum totaliter destruatur, nihilo illius remanente.

6. Dices iterum: tunc converti totum in totum, & sic non datur creatio, cùm non sit productio ex nihilo. Sed contra est: quod, ut benè notavit Scotus suprà citatus, vers. *E si dicas, quare*; conversio totius in totum, ut sonat, non est generatio, sed transsubstantiatio, quae nequit fieri ab agente naturali. Quomodo autem intelligatur, quod generatio est mutatio totius in totum, dicetur in lib. de generatione.

7 Arg. 1. In generatione substantiali totum fit, & producitur: sed si praesupponeretur aliqua pars totius, non produceretur totum per generationem: ergo non praesupponitur materia prima, quae est pars totius. Resp. neg. min. ad hoc enim, ut totum dicatur produci, non requiritur, quod partes illius simul producantur, sed, quod ex partibus per actionem generativam constituatur totum, ità, ut licèt utraque pars praesupponeretur ad actionem agentis, tamen diceretur per illam totum produci per hoc praecisè, quod esset actio unitiva partium, quae ut unitae constituunt totum, quod anteà non erat, licèt partes separatae praecesserint; quod contingit in productione hominis, in qua praecedit corpus, & anima, aliqua prioritate, & actio unitiva animae ad corpus dicitur productio hominis.

8. Arg.

8 Arg. 2. Ad introductionem formæ substantialis non requiritur materia prima: ergo. Patet antecedens: quia homo nutritur accidentibus Eucharistiæ, in quibus nulla est substantia, & in illis introducitur forma substantialis hominis: ergo non requiritur materia prima ad introductionem formæ substantialis. Resp. neg. antec. ad probationem dicimus, quod quando accidentia Eucharistiæ sunt ultimatè disposita ad introductionem formæ viventis, creatur à Deo materia prima, in qua talis forma introducatur. Idem dicendum est, quando ex corruptione accidentium Eucharistiæ generantur vermes.

9. Dicimus 2. Materia prima his verbis definitur ab Arist. cap. 9. hujus lib. text. 82. *Dico autem materiam primam primum subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, primò, & per se, & non secundùm accidens*. Dicitur *subjectum*, in quo convenit cum toto composito, quod etiam est subjectum formarum accidentalium, & differt à forma, quæ non est subjectum, sed actus. Dicitur *primum*, in quo differt à toto composito, quod est subjectum secundum. Dicitur, *ex quo aliquid fit*, in quo differt à causis extrinsecis, scilicèt efficiente, finali, & exemplari, ut dictum est explicando definitionem principiorum. Dicitur *cum insit*, in quo differt à privatione, quæ non inest composito, cùm non sit pars intrinseca illius, licèt fiat ex illa tanquam ex termino à quo. Dicitur *primò, & per se, & non secundùm accidens*, in quo differt ab accidentibus, quæ tantùm per accidens insunt, & ex illis fit unum per accidens, non verò unum per se sicut ex materia.

10 Ubi advertendum est, quod per illa verba *primum subiectum* sufficienter explicatur ratio materiæ, ut ab omnibus aliis distinctæ; nam eò, quod sit subjectum, differt à forma, & privatione, & etiam à causis extrinsecis: eo autem,

quod

quod sit primum, differt à toto composito, & etiam ab accidentibus; nam compositum non est primum, sed secundum subjectum; & similiter accidentia, vel non sunt subjectum, vel non sunt primum, sed secundum, ut contingit in quantitate, quæ, licèt sit subjectum accidentium, non est primum, cùm supponat aliud, scilicèt substantiam. Unde sequitur, alias particulas definitionis additas fuisse ab Aristot. tantùm claritatis gratia.

11 Observa tamen, quod in definitione subintelliguntur hæc verba: *Substantia incompleta*, seu *partialis*. Hoc patet; quia materia prima est pars intrinseca entis realis substantialis: ergo materia prima est ens reale substantiale partiale. Patet consequentia; quia ens reale nequit intrinsecè componi ex non ente reali; neque ens substantiale ex non ente substantiali. Neque obstat, quod Arist. appellet materiam primam propè substantiam; quia hoc non dixit Arist. eò, quod judicaverit, materiam primam non esse substantiam, sed tantùm non esse substantiam completam, & perfectam, id est constitutam in aliquo gradu entium substantialium perfectorum.

12 Aliam definitionem materiæ primæ adducit Scotus 7. Metaphisic. text. 8. his verbis: *Dico autem materiam, quæ per se ipsam, neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud est eorum, quibus ens determinatur, neque etiam negationes, etenim hæ quoque secundùm accidens erunt.* Dicitur *non esse quid*, non quia non sit substantia, sed, vel quia ex se nullam habet formam; (forma enim dicitur, *quod quid erat esse*) vel quia non est hoc aliquid, sive substantia completa. Dicitur *neque quantum &c.* per quod datur intelligi, materiam non esse aliquod accidens. Dicitur *neque etiam negationis*, *&c.* per quod intelligitur, materiam non esse purum nihil, sed potiùs aliquid positivum: & quod

præ-

prædictæ negationes non conveniunt illi essentialiter. Unde constat, prædictam definitionem non esse essentialem, sed tantùm quandam descriptionem negativam materiæ primæ; soli enim illi prædictæ negationes conveniunt.

13 Explicata natura materiæ primæ, nè in nomine aliqua appareat æquivocatio, observandum est, materiam primam plures appellationes habere; ex quibus præcipuas proponemus, quarum fundamentum ex sequentibus quæstionibus patebit. Dicitur enim *elementum*; quia res naturales ex ea primò constituuntur, & in eam ultimò resolvuntur. Dicitur *Mater*; quia est principium passivum generationis substantialis. Dicitur *Matrix*; quia fovet, & conservat formas substantiales. Dicitur *chaos*; quia confusè respicit omnes formas. Dicitur *turpis*; quia caret omni pulchritudine ex se, sicut ex se caret omni forma. Dicitur *malefica*; quia machinatur destructionem formæ, quam habet, (licèt per accidens) ut possit frui forma, qua caret. Dicitur *propè nihil*; quia in genere entis substantialis habet minimam entitatem. Dicitur *primum subiectum*; quia est primum receptivum formarum.

QUÆSTIO II.

An materia prima habeat ex se aliquem actum?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primo, quod, cùm potentia, & actus sint opposita, quot modis dicitur potentia, tot dicitur actus: prout ad præsens attinet, dupliciter potest accipi potentia, & consequenter dupliciter actus, Primò, potentia dicitur subjectiva, & est illa, quam habet quodlibet subjectum ad quamlibet formam recipiendam; & actus illi correspondens est quælibet forma, quæ in subjecto recipitur. Secundò, potentia dicitur obje-

ctiva, & est esse possibile rerum, antequam producantur, & realiter existant; & actus illi correspondens est actualis existentia, quæ, quia omni enti reali tribuit, quod sit actu extra statum puræ possibilitatis, dicitur actus entitativus, nisi, quid dicatur actus entitativus, reducatur ad quæstionem de nomine. Ubi advertendum est, hanc inveniri differentiam inter potentiam obiectivam, & subiectivam, scilicèt, quod potentia obiectiva non est subiectum alicujus transmutationis, sed potius est terminus *a quo* aliquomodo, & actus illi correspondens, terminus *ad quem*; potentia verò subiectiva est subiectum transmutationis. Deindè, invenitur etiam hæc differentia, scilicèt quod potentia objectiva est multiplex, juxta multiplicitatem actuum illi correspondentium: alia enim est potentia obiectiva hominis; alia lapidis, &c. at verò potentia subiectiva potest esse unica, respectu diversorum actuum; eadem enim materia prima est potentia subiectiva, respectu plurium formarum substantialium.

2 Notandum est secundò; materiam primam esse puram potentiam subiectivam; ità, ut ex se nullum actum formalem habeat; in quo omnes Philosophi unanimiter conveniunt; & patet ex eo, quod, ut dictum est quæst. antec. materia prima est primum subiectum, quod non esset, si includeret aliquem actum formalem; nam talis actus necessariò præsupponeret subiectum, in quo esset. Deindè posset inquiri de subiecto illius actus formalis, an includeret alium actum formalem, vel non? Si includeret alium actum, necessariò talis actus præsupponeret subiectu m; & de tali subiecto idem posset inquiri, & sic abire in infinitum, quod est inconveniens. Si non includeret alium actum formalem; cur non idem dicendum est de materia prima? Nulla enim apparet ratio: dicendum ergo est, materiam primam ità esse puram

poten-

potentiam subiectivam, ut ex se nullum dicat formalem actum.

3 Ex quo deducitur cum Scoto in 2. dist. 12. quæst. 1. §. *sequitur*, litt. E. materiam primam esse primò diversam à forma in genere physico; nam illa dicuntur primò diversa, quæ in nullo conveniuut: sed materia, & forma nullatenus conveniunt in genere physico: ergo in tali genere sunt primò diversa. Minor probatur; quia materia prima est pura potentia, & forma purus actus in genere physico: sed purus actus, & pura potentia in eadem linea nullatenus conveniunt; aliàs neque potentia esset pura potentia, neque actus purus actus: ergo materia, & forma nullatenus conveniunt in genere physico. Ubi adverte, quod aliter hoc explicatur loquendo de forma corporeitatis; nam de illa est specialis ratio, cùm sit forma intermedia, seu subordinata formæ viventis.

4 Hic potest dubitari, quomodo materia, & forma, cùm sint primò diversa in genere physico, possint in eodem genere unum per se simpliciter constituere? Respondet Scotus cit. vers. *Quomodo*, litt. F. *Quod quantò aliqua sunt magis distincta, & diversa formaliter, tantò sunt magis disposita ad faciendum per se unum; quia in illa constitutione non requiritur similitudo in natura, sed proportio conveniens, quæ potest esse inter primò diversa*. Hæc Scotus. Hæc autem proportio, ut inquit Lichetus super Scotum cit. consistit in hoc, quòd illa, quæ sunt primò diversa, sint tales entitates, quæ ex natura sua natæ sint facere unum per se; & quòd sint immediatè unibilia, qood tantùm convenit materiæ primæ, & formæ substantiali. Undè colligitur, quòd, licèt materia prima; & accidens sint magis dversa in entitate, quàm materia prima, & forma substantialis; tamen ex illis non sit unum per se, & quia aliqua accidenta non sunt immediatè unibilia materiæ primæ; & quia non

sunt

sunt entitates ex se natæ illud constituere. Nunc

5 Solùm restat difficultas, an materia prima, ità sit pura potentia, ut ex se nullum dicat actum entitativum? Quæ difficultas (omissa æquivocatione circa explicationem actus entitativi) his terminis communiter controvertitur: an, scilicèt materia prima habeat propriam existentiam distinctam ab existentia formæ? Circa quam communiter Thomistæ tenent, materiam primam, ità esse puram potentiam, ut nullum actum entitativum habeat, seu, ità ut nullam habeat propriam existentiam; sed existere per existentiam formæ. E contra verò Scotistæ cum Scoto suprà citato affirmant, materiam primam habere proprium actum entitativum, seu existere propria existentia distincta ab existentia formæ: quod etiam tenent ferè omnes Jesuitæ.

6 Dicimus: materia prima habet actum entitativum, sivè propriam existentiam distinctam ab existentia formæ. Probatur primò: omnis actio realis causæ productivæ habet terminum existentem: ergo duæ actiones realiter distinctæ habent terminos realiter distinctos, quibus correspondeant distinctæ realiter existentiæ: sed actio productiva materiæ, & actio productiva formæ, sunt duæ actiones realiter distinctæ; nam actio productiva materiæ est creatio, & actio productiva formæ est eductio, seu generatio: ergo habent terminos realiter distinctos, quibus correspondeant existentiæ realiter distinctæ: ergo materia habet existentiam distinctam realiter ab existentia formæ. Hujus rationis fundamentum stat in hoc, quòd actio productiva, cùm educat rem extra potentiam objectivam, seu extra statum possibilitatis, necessariò habet terminum, non utcumquè, sed ut realiter existentem. Undè

7 Confirmatur; occurrendo aliquibus responsionibus: quidquid producitur priùs natu-

ra alio, pro illo priori terminat actionem productivam illius: sed materia producitur prius natura quam forma: ergo materia prius natura, quàm forma terminat actionem productivam: sed quælibet res terminat actionem productivam sui per existentiam: ergo materia pro illo priori ad formam habet existentiam: sed talis existentia nequit esse existentia formæ, cùm forma sit posterior ipsa productione materie: ergo est existentia propria materiæ, & distincta realiter ab existentia formæ.

8 Respondent Thomistæ, quòd materia prima in illo priori ad formam, neque est, neque intelligitur existens; sed est, & concipitur in statu medio inter existentiam, & puram potentiam objectivam; quem statum appellant vialem, seu viam ad existentiam; nam, inquiunt, cùm materia non possit existere completè, & in facto esse quoadusque sit extra omnes suas causas; & ex vi creationis nondùm sit extra causam formalem, licèt sit extra causam efficientem; ideò pro priori ad formam est in statu medio inter esse extra causas, & intra causas: dùm autem in sequenti signo est cum forma, & ab ea accipit esse, jam intelligitur extra omnes suas causas; & sic in facto esse, & completè existens.

9 Sed (præterquam quòd responsio nititur falso fundamento; supponit enim, quodlibet ens, sivè completum, sivè incompletum, habere omnes quatuor causas; cùm tamen hoc sit proprium entis completi tantùm; & hoc adhuc cum sua exceptione) contra est primò: quia materia prima pro illo priori ad formam totaliter, & adæquatè intelligitur terminare actionem sui productivam: sed hoc sufficiat, ut pro illo priori dicatur existens: erg. Prob. mai. quia causa efficiens alicujus tantùm habet influere in illud in suo genere causandi: sed pro illo priori materiæ ad formam intelligitur causa efficiens influens in ipsam materiam in suo genere causandi;

di; nam pro signo posteriori nullum influxum habet causa efficiens in materiam distinctam ab influxu, quem habet in illam pro signo priori ad formam; aliàs non rectè diceretur, materiam produci priùs forma; seu actionem creativam materiæ esse priorem actione productiva formę; ergò materia prima pro priori ad formam intelligitur totaliter, & adæquatè terminare actionem productivam illius. Prob. min. primi syllogismi; quia causa efficiens ex vi suæ actionis ordinatur ad dandam existentiam rei, seu termino per illam producto; ergo si materia prima pro priori ad formam totaliter, & adæquatè terminat actionem productivam illius, pro illo priori habet existentiam; sed hæc nequit esse existentia formæ, cùm forma non sit pro illo priori; ergo est existentia distincta ab existentia formæ.

10 Contra secundò; quia materia prima pro priori ad formam est vera causa ipsius formæ in genere causæ materialis; sed causa requirit necessariò existentiam ad causandum; ergo materia prima pro priori ad formam habet existentiam; quæ cùm, ut dictum est, nequeat esse existentia formæ, necessariò erit ab illa distincta.

11 Respondent, existentiam non esse rationem formalem causandi in materia, sed tantùm conditionem ad causandum requisitam; & sic non debere intelligi, neque esse pro illo priori ad formam, sed sufficere, quòd sit, & intelligatur in eodem instanti reali temporis, in quo est forma.

12 Sed contra primò; quia hoc ipso formaliter, quòd causa intelligatur causare, intelligitur etiam habere omne prærequisitum ad causandum; sed pro illo priori intelligitur materia prima causare; ergo pro illo priori debet intelligi cum omni prærequisito ad causandum; sed existentia, ut fatentur respondentes, est quid prærequisitum ad causandum; ergo pro illo priori de-

ri debet intelligi materia cum existentia.

13 Contra secundò: quia nihil potest esse necessarium ex parte causæ ad causandum, quod est aliquomodo posterius ipso effectu: sed existentia formæ est aliquomodo posterior ipsa forma: ergo si materia non habet ex se existentiam independenter à forma, existentia nequit esse conditio, seu prærequisitum ex parte materiæ ad causandam formam; vel si est conditio necessariò requisita, materia in illo priori habet suam existentiam independenter à forma.

14 Contra tertiò: quia materia prima, ut causa formæ, in suo genere causandi concurrit ad tribuendam formæ existentiam: sed si materia existeret per existentiam formæ, existeret per existentiam, quam ipsa in suo genere causę causaret; & consequenter causaret seipsam; siquidem causaret suam existentiam, quod est impossibile: ergo existentia materiæ nequit esse existentia formæ, cujus est causa.

15 Respondent, quòd materia, & forma, sunt ad invicem causæ; materia enim est causa formæ, quatenus forma educitur ex ejus potentia; & forma est causa materiæ, quatenus dat illi esse formale, & existentiæ.

16 Sed (præterquam quod, hoc impugnabitur lib. 2. loquendo de causis) contra est primò: quia quælibet causa, in quocumque genere sit causa, est prior suo effectu: sed causa, ut dictum est, necessariò debet intelligi, & esse existens ad causandum; ergo ex eo, quòd materia prima, & forma essent ad invicem causæ, non sequeretur, materiam existere per existentiam formæ; sed, materiam, pro priori ad formam, existere per propriam existentiam.

17 Contra secundò: quia, adhuc admisso, materiam, & formam esse ad invicem causas; solùm potest intelligi, ità, ut quælibet in sua linea, seu in suo genere causandi sit causa alterius, scilicèt, quòd materia prima sit causa formæ, ut sub-

subjectum eductionis; & forma sit causa materiæ, prout tribuit illi esse formale: non autem potest intelligi in eadem linea; ità, scilicèt, ut materia prima concurrat, ad existentiam formæ, & forma ad existentiam materiæ; nam ut sic confunderentur prioritates, quod non est admittendum.

18 Probatur 2. conclusio: si materia existeret per existentiam formæ, sequeretur, quòd quoties destrueretur aliquod compositum, toties annihilaretur ipsa materia; & etiam toties crearetur, quod ab omnibus negatur; ergo materia, non per existentiam formæ, sed per propriam existentiam existit. Probatur sequella, quoad primam partem; quia annihilatio est totalis destructio rei, nihilo ejus remanente: sed si materia existeret per existentiam formæ, destructo composito, & forma, destrueretur materia; nam non remaneret existentia formæ, per quam ipsa materia existebat; ergo in destructione compositi destrueretur, seu annihilaretur materia. Probatur sequella, quoad secundam partem; quia tunc creatur materia quando recipit esse existentiæ; sed quando destruitur compositum, cùm simul generetur aliud, materia ex hypothesi, quòd existeret per existentiam formæ, reciperet esse existentiæ per existentiam formæ de novo advenientis. ergo crearetur.

19 Respondent, negando sequellam; quia, licèt, inquiunt, materia in destructione compositi deperdat unam existentiam, tamen succedit alia; & sic semper manet in eodem esse. Sed contra est: quia si existentia materiæ est existentia formæ, implicat, materiam habere idem esse existentiæ, non manente eadem existentia: sed variata forma, variatur existentia: ergo variata forma, deperdit materia esse existentiæ, quod anteà habebat; & sic annihilatur; & de novo acquirit aliud esse existentiæ, & sic creatur.

20 Aliter respondent; quòd materia semper manet eadem, quoad esse essentiæ; licèt in generationibus, & corruptionibus varietur, quoad esse existentiæ. Sed contra est primò: quia ad creationem sufficit, quòd materia recipiat de novo totum suum esse, quoad existentiam; & ad annihilationem, quòd totum suum esse, quoad existentiam, deperdat: sed in generationibus, & corruptionibus deperderet materia totum suum esse, quoad existentiam; siquidem deperditur existentia formæ, qua totaliter existebat; & acciperet de novo totum suum esse, quoad existentiam; siquidem totaliter existeret per existentiam formæ de novo advenientis: ergo annihilaretur, & crearetur.

21 Respondent, quòd totum hoc esset verum, si materia pro aliquo instanti esset sine aliqua existentia, & posteà aliam acquireret, quod nullatenus, inquiunt, contingit; nam in eodem instanti, in quo amittit existentiam prioris formæ, quæ destruitur, recipit existentiam posterioris formæ, quæ de novo producitur. Sed contra est: quia de conceptu destructionis tantùm est, deperdere existentiam; & de conceptu productionis, existentiam acquirere; sed in tali casu verè, & realiter materia deperderet existentiam, & existentiam acquireret: ergo verè, & realiter destrueretur, & produceretur de novo.

22 Arg. 1. ex Arist. aliquibus in locis, in quibus explicat naturam materiæ primæ per similitudinem ad materiam artificialium; ita enim, inquit, se habet materia prima ad formas naturales, sicut lignum, vel æs ad formas artificiales: sed lignum, & æs nullam habent artificialem existentiam antè formam artis, sed tantùm potentiam passivam receptivam talis formæ: ergo similiter materia prima antè formam naturalem nullam habet naturalem existentiam, sed tantùm potentiam passivam receptivam naturalis

ralis formæ. Et confirmant ex eodem Arist. qui pluries materiam primam vocat non ens, seù ens in potentia, seù puram potentiam: ergo materia prima nullum actum entitativum, seù propriam existentiam habet.

23 Respondetur, quòd ex Arist. nullatenus sequitur intentum argumenti, sed potiùs oppositum; nam pura potentia, quæ est in materia artefactorum, non est pura potentia objectiva, seù excludens actum entitativum, seù propriam existentiam; sed tantùm est pura potentia subjectiva in ordine ad formas artificiales, eò, quòd nullum actum formalem artificialem includat: similiter materia prima non est pura potentia objectiva, seù excludens actum entitativum, & propriam existentiam; sed pura potentia subjectiva in ordine ad actum formalem, seu ad formas naturales. Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod Aristot. vocat materiam primam, non ens, seù ens in potentia, & puram potentiam; quia non est aliquod ens perfectum, seù habens actum formalem, sed est pura potentia subjectiva in ordine ad actus perfectos, seu formales; non autem quia non est ens in actu entitativo, seu existentiali, aut in pura potentia objectiva.

24 Arg. 2. Ex duobus entibus in actu nequit unum per se constitui: sed ex materia, & forma constituitur unum per se: ergo materia non est ens in actu. Resp. disting. maj. ex duobus entibus in actu formali nequit unum per se constitui, admitto; in actu entitativo, nego. Ad hoc autem, ut ex duobus unum per se constituatur, sufficit, quòd unum se habeat ut actus formalis, & aliud ut potentia subjectiva, cui potentiæ nullatenus opponitur actus entitativus, seu existentialis.

25 Replic. existentia est ultimus actus rei: sed de ratione ultimi actus est, ulteriorem actum non habere: ergo si materia prima ha-

bet propriam existentiam, nequit recipere actum formalem; & consequenter ex materia, & forma nequit unum per se constitui. Potest responderi neg. maj. quæ haud facilè probabitur. Vel aliter potest responderi disting. maj. existentia est ultimus actus rei in linea metaphysica, admitto; in linea physica, nego. Similiter disting. min. de ratione ultimi actus est, ulteriorem actum non habere in eadem linea, in qua est ultimus, concedo, in alia linea, nego; & nego consequentias. Etenim materia prima, licèt recipiat actum physicum, seu formalem, non tamen recipit actum metaphysicum, seu existentialem; quia tantùm existit per propriam existentiam, non autem per existentiam actus formalis, quem recipit.

26 Aliter replic. ex subjecto, & accidenti non constituitur unum per se, quia tàm accidens, quàm subjectum sunt actu existentia: ergo ex materia, & forma nequit constitui unum per se, si materia habet propriam existentiam. Resp. neg. causalem majoris. Ratio enim, propter quam ex subjecto, & accidenti non fit unum per se, non est, quia utrumque habet propriam existentiam: sed quia non se habent ut actus, & potentia per se, sicut se habent materia prima, & forma substantialis.

27 Adhuc aliter replicant: nequit una existentia esse in potentia ad aliam; ergo si materia habet propriam existentiam, nequit esse in potentia ad formam, quæ etiam propriam existentiam habet. Resp. disting. antec. una existentia nequit esse in potentia objectiva ad aliam, concedo; in potentia subjectiva, nego. Et similiter distinguendum est consequens.

28 Contra replic. si una existentia est in potentia subjectiva ad aliam; ergo existeret per existentiam advenientem; nam quodlibet subjectum recipit effectum formalem formę sibi adve-

advenientis. Resp. quòd si hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam, substantiam existere per existentiam accidentis, cùm verè, & realiter sit subjectum accidentis, quod realiter existit, & recipit effectum formalem illius; quod nullatenus admittitur. Tamen resp. directè neg. conseq. quia argumentum procedit ex mala intelligentia nostræ responsionis. Etenim, non dicimus, quòd existentia materiæ est in potentia ad existentiam formæ, ità, ut sit in potentia ad recipiendum effectum formalem existentiæ formæ; sed tantùm dicimus, materiam primam existentem esse in potentia ad formam substantialem existentem, seu ad recipiendum effectum formalem formæ existentis.

29 Aliter potest responderi neg. conseq. quia effectus formalis existentiæ communicatur rei per identificationem realem (existentia enim non distinguitur realiter ab essentia, ut dicetur in Metaphysica) non verò per realem unionem; & sic existentia solùm communicat suum effectum formalem materiæ, cum qua identificatur; & formæ cum qua identificatur; existentia verò formæ non communicat suum effectum formalem materię, quia, licèt illi realiter uniatur, non tamen realiter identificatur cum illa, quod in simili patet in accidentibus, quæ, licèt sint existentia, & realiter uniantur subjecto, tamen existentia accidentium non tribuit subjecto suum effectum formalem, eò, quòd cum illo non identificatur.

30 Arg. 3. Sicut se habet purus actus ad potentiam; ità se habet pura potentia ad actum; sed purus actus, scilicèt Deus, nullam potentialitatem includit; ergo plura potentia, scilicèt materia prima, nullam includit actualitatem. Resp. argumentum procedere ex falsa suppositione; supponit enim, quod erat probandum, scilicèt, dari aliquid, quod sit pura potentia, & hoc esse materiam primam; in quo consistit

tota controversia. Verum enim est; quòd sicut purus actus, scilicèt Deus, nullam potentialitatem includit; ità, si daretur pura potentia, nullam includeret actualitatem; sed negamus, dari in rerum natura talem puram potentiam; licèt enim materia prima pura potentia dicatur, hoc, ut dictum est, intelligitur de pura potentia subjectiva, quæ tantùm excludit actum formalem, non autem intelligitur de pura potentia excludente omnem actum, tàm formalem, quàm entitativum, seu existentialem.

31 Replic. sicut se habet materia ad potentiam, ità forma ad actum; sed forma ità est actus, ut excludat tàm potentiam subjectivam, quàm objectivam; ergo materia ità est potentia, ut excludat tàm actum formalem, quàm entitativum, seu existentialem. Resp. paritatem tantùm tenere quoad potentiam subjectivam, & actum formalem, ita, ut sicut forma nullam dicit potentiam subjectivam; ita materia nullum dicit actum formalem: non tamen quoad potentiam objectivam, & actum entitativum, seu existentialem: nam in hoc convenit materia cum forma; quòd sicut forma, habet propriam existentiam, seu actum entitativum oppositum potentiæ objectivæ, ita similiter habet materia.

32 Arg. 4. Actus est principium operationis: sed materia non est operativa: ergo non habet actum. Resp. disting. maj. actus est principium operandi, si sit actus formalis, & constitutivus rei in esse completo, concedo; si sit actus entitativus, & incompletus; nego; & concessa minori, similiter disting. conseq. est enim verum de actu formali; falsum tamen de actu entitativo.

33 Advertendum tamen est cum Licheto super Scotum citatum, quòd quando dicitur, materiam non esse activam, seù de genere activorum, hoc debet intelligi de activis, & passivis, quæ mutuò corrumpuntur, & de qualitatibus hujusmodi activa, & passiva consequentibus;

bus; non tamen absolutè loquendo; quia materia prima est per se intelligibilis, & potest partialiter in ratione objecti causare, seù producere notitiam sui in intellectu Angeli, seù Animæ separatæ, licèt pro hoc statu nequeat cognosci.

34 Ex dictis sequitur, materiam primam esse metaphysicè compositam, & esse in aliqua specie determinatâ, saltim incompleta; constat enim gradu communi metaphysico substantiæ corporeæ incompletæ, in quo convenit cum forma substantiali; & gradu speciali metaphysico potentiæ subjectivæ; in quo differt à forma: ergo est composita metaphysicè; & consequenter in aliqua specie determinata, saltim incompleta.

35 Arg. Thomistæ oppositum tenentes: si materia esset composita metaphysicè, & in aliqua specie incompleta determinata, haberet differentiam positivam, per quam distingueretur positivè ab aliis rebus: sed hoc est falsum; quia omnis distinctio positiva speciei est à forma: ergo. Confirmatur: quia species incompleta reducitur ad aliquam speciem completam: sed materia prima non reducitur ad aliquam speciem completam: ergo non est in aliqua specie determinata incompleta; & consequenter neque metaphysicè composita.

36 Respondetur neg. min. & distinguendo probationem ibi inclusam; omnis distinctio est à forma physica præcisè, nego; à forma physica, vel metaphysica, concedo; & neg. conseq. nam materia prima habet formam, seù differentiam metaphysicam. Neque valet, si dicant, formam, seu differentiam metaphysicam desumi, tanquam à radice, à forma physica; hoc enim falsum est; nam, ut diximus in Logica, neque genus desumitur à materia, neque differentia à forma; sed utrumque à tota entitate rei (sive completa, sive incompleta) secun-

dùm diversas formalitates contrahibiles, & contrahentes. Ad confirmationem resp. neg. min. quia materia prima reducitur indifferentèr ad quamcumque speciem completam substantiæ corporeæ, cùm ex sua natura exigat, esse partem essentialem cujuscumque substantiæ completæ: quod sufficit, ut dicatur species incompleta determinatè; nam, licèt possit esse pars distinctarum specierum, per hoc non variat suam entitatem physicam, nec sua metaphysica prædicata: sicuti ex eo, quòd sit indifferens ad quamlibet physicam compositionem, non sequitur, quòd ex se determinatè non sit substantia partialis physicè incompleta.

QUÆSTIO III.

An materia prima possit existere sine omni forma substantiali?

1 Circa præsentem difficultatem communiter tenent omnes Philosophi, materiam primam naturaliter non posse existere sine aliqua forma substantiali; quod patet ex eo, quòd si posset materia existere naturaliter sine forma, hoc esset virtute alicujus agentis naturalis; nullum tamen datur agens naturale, quod habeat talem virtutem; quia agens naturale solùm intendit producere aliquem effectum, & propter incompossibilitatem naturalem talis effectus cum forma præexistente in materia, destruitur talis forma præexistens, non verò aliter; undè evidenter sequitur, materiam non posse naturaliter denudari omni substantiali forma.

2 Li-

2 Licèt autem hoc ab omnibus teneatur, est tamen aliqua controversia in assignanda potissima ratione, cur materia nequeat naturaliter esse sine forma? Noster Mastrius in Physica disp. 2. quæst. 3. artic. 1. refert ex diversis Authoribus varios modos dicendi; quos ipse impugnat, ut videre est apud illum: & ultimò resolvit, rationem potissimam esse ordinem Universi, quod ità ab Authore naturæ est dispositum, ut agentia naturalia non corrumpant aliquam formam existentem in materia, quin aliam de novo in ipsa materia producant; qui ordo ab agente naturali nequit inverti; ut docet Scotus in 2. dist. 2. quæst. 12. litt. G. Addit Vulpes tom. 2. part. 2. disput. 32. artic. 4. quòd, licèt necessaria connexio materiæ cum forma fundetur in prædicto ordine; & in exigentia Universi pro sua integritate poscentis elementa, mista, & cætera composita ex materia, & forma; quia tamen materia est pars, quæ essentialiter petit compleri, est quid potentiale, & imperfectum, & ideò naturaliter petit perfici, & actuari, etiam aliquomodo ex hoc capite potest attendi in materia naturalis coexigentia formæ, ita, quòd si existeret sine forma, esset in statu violento, & contra suam naturalem inclinationem. Hæc tamen additio aliquas patitur instantias; quia plura naturaliter, ut naturale opponitur supernaturali, possunt esse in statu violento.

3 Aliqui intendunt, hanc naturalem coexigentiam formæ in materia, ità, ut nequeat sine forma existere, provenire ex eo, quòd materia dependeat à forma in existendo, ut à conditione concomitante ex intrinseca ejus indigentia; & sic arguunt: materia essentialiter ordinatur ad formam, & est propter formam, ità, ut si forma implicaret, materia non esset: ergo dependet à forma tanquam à conditione concomitante in sua existentia. Deindè, mate-

ria esset perfectior forma, nam esset magis independens, cùm forma in sua existentia dependeat naturaliter à materia. Resp. neg. conseq. nam ex eo, quòd materia necessariò ordinetur ad formam, non ex hoc sequitur, quòd habeat necessariam dependentiam à forma in existendo; nam omne relativum transcendentale, ut est quælibet potentia, licèt necessariò respiciat suum terminum; qualis est actus respectu potentiæ; non tamen dependet in existentia ab existentia termini. Ad aliud negamus, benè sequi, materiam esse perfectiorem forma, ex eo, quòd sit magis independens, quàm forma; nam cum illa independentia materiæ à forma componitur, quòd sit potentia physica; & cum dependentia formæ à materia, componitur, quòd forma sit actus physicus: & certum est, actum physicum esse entitativè perfectiorem potentia physica.

4 Quælibet argumenta, quibus potest intendi, probari, materiam primam posse naturaliter existere sine forma, facilè solvuntur, vel ex majori exigentia, quam habet materia ad formas substantiales, quàm quodlibet aliud, quod assignetur ad illud, ad quod ordinatur. Vel ex maxima potentialitate, & minima entitate materiæ. Vel potiùs consequenter ad dicta num. 2. ex eo, quòd ordo Universi juxta dispositionem Authoris naturæ, exigit naturaliter coexistentiam materiæ, & formæ, modo ibi dicto.

5 Nunc autem restat difficultas, loquendo de potentia Dei absoluta, seu supernaturaliter; & Thomistæ communiter asserunt, materiam primam, nec supernaturaliter posse existere sine forma. Scotistæ verò cum Scoto in 2. dist. 12. quæst. 2. per totam, per oppositum affirmant, materiam primam posse supernaturaliter existere sine forma. Idem tenent communiter Jesuitæ. Hæc sententia supponit, materiam primam habere propriam existentiam distinctam ab exi-

sten-

stentia formæ, ut dictum est quæst. antec. Pro qua

6 Dicimus: potest supernaturaliter materia prima existere sine forma substantiali. Probatur ex Scoto citato, primò: quia omne absolutum distinctum, & priùs alio absoluto, potest esse sine contradictione sine illo: materia prima est quid absolutum distinctum, & prius quacumque forma absoluta: ergo.

7 Secundò. quidquid Deus in creaturis facit absolutum, mediante causa secunda, potest facere sine causa secunda, quæ non est de essentia causati: sed forma est causa secunda, quæ non est de essentia materiæ, in quantùm materia est, mediante qua Deus dat esse materiæ: ergo Deus sine illa potest facere materiam. Quòd autem forma non sit de essentia materiæ patet: quia aliter adveniente alia, & alia forma, esset alia, & alia essentia materiæ.

8 Tertiò: quòd Deus immediatè creat, immediatè conservat, vel potest conservare: sed materia est terminus creationis, & sic immediatè creatur à Deo: ergo. Prob. min. quia ex quo materia est aliquid primum in entibus, non potest subesse causalitati alicujus creaturæ: similiter, cùm non possit produci, nisi per creationem, & nulla creatura potest creare sequitur necessariò, quòd solus Deus eam creat: sed entitas absoluta, quæ est à solo Deo, sine alia aliqua entitate absoluta posteriori potest conservari à Deo; quia Deus sine omni absoluto, quod non est de essentia rei, & quod est posterius ipsa re, potest rem conservare: ergo.

9 Quartò: quia non est necesse, Deum velle aliquid aliud à se absolutè, & de necessitate: ergo si vult necessariò, formam esse ad hoc, quòd velit, materiam esse; hoc non est simpliciter, sed propter necessariam connexionem materiæ ad formam; sed non est talis necessitas absoluta connexionis materiæ ad formam; ergo.

Minor

Minor probatur, quia si esset necessitas absoluta connexionis materiæ ad formam, ergo materia determinaret sibi aliquam formam de necessitate. Prob. conseq. quia quod determinat sibi aliquod genus, determinat sibi aliquam speciem in genere illo; & omne, quod determinat sibi speciem, de necessitate determinat sibi esse in aliquo uno individuo istius speciei; ut omne, quod de necessitate est homo, est hic homo, vel ille, sed materia non determinat sibi de necessitate hanc formam, vel illam, ut manifestum est, ergo nec totum genus formæ.

10 Confirmatur, quidquid contingenter se habet ad quodlibet cujuslibet generis absoluti, contingenter se habet ad illud genus absolutum, sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam, ergo & contingenter se habet ad totum genus formæ. Omnes prædictas rationes adducit Scotus in littera ad probandam nostram conclusionem, contra quam nihil videtur posse obiici, quod non solvatur ex dictis quæst. antec. nam fundamentum oppositæ sententiæ, præcipuè consistit in negare materiæ propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

11 Alia via potest argui, ut in littera Scoti, quantò aliqua sunt magis unum, tantò sunt minus separabilia, sed materia est magis unum cum forma, quàm passio propria cum subjecto, seu essentia, ergo minùs separabilis est materia à forma, quàm passio à subjecto, sed per nullam potentiam potest esse subjectum sine passione, ergo neque materia sine forma. Prob. min. prima, quia materia facit unum essentialiter cum forma, & per se, sed propria passio non sic facit unum cum subjecto; quia facit unum secundo modo dicendi per se, tantùm, ergo. Respondet Scotus disting. mai. est enim vera de unitate identitatis; falsa tamen de unitate unionis ad constituendum tertium, in primo sensu subjectum,

ctum, & passio sunt magis unum, quàm materia, & forma; cùm passio sit idem realiter cùm subjecto; secus verò materia cùm forma; in secundo verò sensu materia, & forma sunt magis unum, quàm subjectum, & passio; & hoc probatur in argumento. Undè, non sunt minus separabiles materia, & forma, quàm passio, & subjectum.

12 Aliter arguitur ex eadem littera Scoti: materia videtur plùs dependere à forma, quàm forma à materia: sed aliquæ formæ naturales nequeunt separari à materia; ergo neque materia à forma. Prob. min. quia si formæ naturales essent separatæ à materia, essent spirituales, & sic intellectuales; & per consequens immateriales: sed hoc nequit admitti: ergo formæ naturales nequeunt separari à materia; & consequenter, nec materia à forma. Respondet Scotus primò: neg. mai. quia, inquit, licèt entitas materiæ sit minùs perfecta, quàm formæ, non tamen plùs est dependens; immò minùs; & ideò, licèt forma non posset separari à materia, posset tamen separari materia à forma.

13 Secundò respondet ipse Scotus neg. min. quia, inquit, licèt forma sit magis ens; quàm materia, non tamen est causa constituens esse materiæ, sed est causa concurrens ad esse compositi constituendi; & ideò potest separari forma à materia, sicut è converso. Ad probationem respondet Scotus neg. mai. quia sicut quantitas est forma ejusdem naturæ, quando separatur, & quando est in subjecto, sic etiam formæ naturales essent ejusdem naturæ, si separarentur à materia, sicut cùm materiam informant.

14 Ex quo sequitur ex mente Scoti, quòd sicut materia supernaturaliter potest esse sine forma; ità forma sine materia. Quod, præter dicta, potest probari ex eo, quòd, licèt forma materialis dependeant à materia in genere causæ materialis, quia educitur ex ejus potentia; tamen

tamen hæc causalitas non est intrinseca, aliàs forma constaret ex materia, tanquam parte intrinseca illius, sicut compositum constat ex materia, & forma, tanquam partibus intrinsecis, eò, quòd illud intrinsecè causant, sed est causalitas extrinseca, quam Deus potest supplere, licèt non in genere causæ materialis, saltim in eminentiori genere, scilicèt, causæ efficientis, ut contingit in accidentibus Eucharistiæ, in quibus supplet Deus causalitatem subjecti, non in genere causæ materialis, sed in genere causæ efficientis.

15 Diximus, supernaturaliter posse formam materialem existere sine materia, quia naturaliter hoc contingere nequit, & propter rationem assignatam de materia, & quia cùm forma materialis producatur ab agente naturali, & agens naturale, cùm nequeat creare, nequit aliquid producere, nec conservare independenter à subjecto.

16 Aliqua argumenta, quæ possunt militare contra dicta num. 14. sunt ejusdem rationis cum argumentis, quæ possunt fieri contra materiam, & sic eodem modo potest ad illa responderi, ideoque illa consultò omittimus.

17 Consequenter ad dicta oritur unum dubium, an, scilicèt, materia, & forma, si conservarentur à Deo separatæ, hoc esset eodem concursu quo conservabantur conjunctæ? Circa materiam est communis consensus Scotistarum, conservari à Deo in statu separationis eodem concursu, quo in statu conjunctionis. Patet, quia conservatio est continuata productio, sed productio, qua Deus produxit materiam, est independens à forma, ergo concursus, quo Deus conservat materiam in statu conjunctionis cum forma, est independens à forma. Minor patet; quia actio productiva materiæ est actio creativa terminata ad existentiam materiæ pro priori ad formam: ergo est actio independens à forma, &

con-

consequenter, concursus, quo Deus conservat materiam in statu conjunctionis, & independens à forma; & ità eodem concursu conservaret materiam separatam à forma.

18 Dices: Deus conservat materiam in statu conjunctionis, ut unitam formæ: sed in statu separationis conservat illam, ut non unitam formæ: ergo non est idem concursus conservativus. Resp. disting. mai. ità, ut ly *ut unitam* importet aliquid in ordine ad esse, seu existentiam materiæ, nego; ità, ut tantum importet aliquid ex parte unionis, concedo; & similiter disting. min. & neg. conseq. Etenim, alius est concursus, quo Deus conservat entitatèm materiæ, & alius concursus, quo illam conservat ut unitam formæ; concursus enim, quo conservat entitatem materiæ, est ipsa actio productiva materiæ continuata, quæ actio, cùm, ut dictum est, terminetur ad entitatem materiæ pro priori ad formam, & consequenter ad unionem, nullatenus dependet à forma, nec ab unione; & consequenter, neque conservatio ipsius materiæ quoad entitatem; concursus verò, quo Deus conservat materiam, ut unitam formæ, est actio productiva ipsius unionis, & compositi; quę actio nullatenus attingit entitatem materię; undè, licèt talis actio, & conservatio deficiat in statu separationis materiæ, cùm sit posterior actione productiva, & conservativa entitatis materiæ; nihil addit ipsi actioni productivæ, & conservativæ materiæ, nec quoad substantiam, nec quoad modum; & sic prædicta actio, seu concursus, manet invariata quoad substantiam, & quoad modum, sivè materia sit unita, sivè non unita formæ. Quod potest exemplificari in anima rationali.

19 Circa formam videtur esse diversa ratio; ideoquè divisi sunt Scotistę. Aliqui enim asserunt cum Mastrio, eodem concursu conservari à Deo formam materialem separatam,

quo

quo conservatur conjuncta. Alii autem per oppositum tenent, non conservari eodem concursu. Licèt autem prædicti modi dicendi videantur oppositi, in re tamen oppositi non videntur. Qui enim dicunt, conservari eodem concursu, debent intelligi sumpto concursu materialiter; & ut sic verum est, quia invariata re, non variatur concursus materialis, cùm talis concursus nihil aliud sit, quam ipsa res, seu esse ipsius rei, tàm in fieri, quàm in conservari: & hoc intendit Scotus citatus à Mastrio: nam dicit, neque materiam, neque formam recipere aliquod esse de novo, si sint separatæ. Qui autem dicunt, conservari diverso concursu, debent intelligi, vel formaliter, vel quoad modum. Quod videtur esse verum: nam concursus, quo Deus conservat formam materialem in materia, est actio productiva formæ materialis, sed talis actio est dependens à materia; nam concurrit materia in genere causæ materialis; quia ex ejus potentia educitur forma, ergo concursus, quo Deus conservat formam materialem in materia, est dependens, modo dicto, ab ipsa materia: sed concursus, quo Deus conservat formam sine materia est independens ab ipsa materia; nam materia nullatenus concurrit ad talem conservationem, ergo formaliter, & quoad modum est diversus concursus. Nihil potest obiici, quod non solvatur ex dictis.

QUÆSTIO IV.

Quomodo ratio potentiæ subjectivæ conveniat materiæ primæ?

1 PLura sub hoc titulo continentur, quæ communiter de potentia materiæ exagitantur, & nos per sequentes conclusiones brevitate communi proponemus. Igitur

2 Dicimus 1. Potentia subjectiva materiæ in ordi-

ordine ad formas substantiales est naturalis, sed indeterminata. Ad probationem conclusionis præmittendum est, potentiam passivam in ordine ad formam, vel esse naturalem, vel violentam, vel neutram; quod communiter tenent Scotistæ cum Scoto quæst. 1. Prologi, vers. *Ad quæstionem*, litt. L. Potentia naturalis dicitur, quando passum naturaliter inclinatur in formam, quæ inclinatio potest esse duplex; alia determinata, secundùm quam passum determinatè inclinatur ad unum, ut grave inclinatur deorsum, alia indeterminata, secundùm quam passum indeterminatè in plura inclinatur. Sic expressè tenet Scotus in 1. dist. 1. quæst. 1. §. *ad propositum*, vers. *Cum probatur*, sub litt. H. Potentia violenta dicitur, quando forma est contra naturalem inclinationem subjecti. Neutra dicitur, quando passum neque inclinatur in formam, neque in oppositum illius; sed ad utramque indifferenter se habet. Advertendum tamen est, quòd sicut dupliciter dicitur potentia naturalis, ità dupliciter potest dici potentia neutra. Primò, prout opponitur cuicumque inclinationi naturali, tàm determinatæ, quàm indeterminatæ, & ut sic dicitur propriè, & rigorosè potentia neutra, & importat duplicem negationem, scilicèt inclinationis, & repugnantiæ ad formam, & connotat meram capacitatem in subjecto ad recipiendam formam. Secundò, prout opponitur inclinationi determinatæ tantùm, & ut sic idem est, ac potentia naturalis indeterminata. Nunc

3 Probatur conclusio ex ipsis terminis, nam potentia receptiva materiæ in ordine ad formas, non est violenta, ut ex se patet, neque neutra, rigorosè loquendo, nam hæc, ut dictum est, negat inclinationem, seu propensionem in formam, & hanc, ut omnes concedunt, habet materia in ordine ad formas, ergo restat, quòd talis potentia sit naturalis, sed non naturalis determina-

minata ad aliquam formam in speciali; aliàs sub altera forma esset violenta, quod nullatenus conceditur: ergo est indeterminata ad quamlibet formam.

4. Arg. contra: si potentia materiæ est naturalis ad formam ignis v. gr. ergo esset violenta sub forma aquæ. Resp. ex dictis, dist. antec. & simul consequens: si potentia materiæ esset naturalis ad formam ignis determinatè, esset violenta sub forma aquæ, concedo; si est naturalis indeterminatè, modo suprà dicto, nego.

5 Replic. nulla potentia inclinatur naturaliter ad opposita: sed plures formæ substantiales sunt oppositæ: ergo potentia materiæ nequit esse naturalis ad omnes formas indeterminatè. Resp. majorem non esse absolutè veram, nam omnes admittunt in voluntate potentiam ad oppositos actus, scilicèt, ad velle, & nolle. Et si Arist. ab aliquibus citatus 3. Physic. & 11. Metaphysic. dixerit, nullam potentiam inclinare ad opposita, debet intelligi, ut aliqui dicunt, de potentia objectiva, quæ cum sit idem entitativè cum actu, necessariò multiplicatur ad multiplicationem actus. Vel, ut alii intendunt, de potentia proxima, non verò de remota, de quo ampliùs infrà.

6 Replic. si potentia materiæ est ad omnes formas in speciali, respiciet illas ut actus inadæquatos: ergo posset simul naturaliter omnes formas, tanquam actum adæquatum, habere. Resp. neg. consequentiam; quia non est universaliter verum, quamlibet potentiam posse simul naturaliter habere omnes suos actus inadæquatos, voluntas enim respicit velle & nolle, ut actus inadæquatos; & intellectus assensum, & dissensum (si fortè dissensus est actus) & tamen neque voluntas potest simul velle, & nolle idem objectum; neque intellectus simul eidem objecto assentiri, & dissentiri; quod pluries contingit propter naturalem in-

com-

compossibilitatem actuum inadæquatorum. Immò, etiam si potentia materiæ esset neutra, idem omninò contingeret; & sic tenentes oppositum nostræ conclusionis, tenentur etiam solvere hoc argumentum; quia etiam in eorum sententia quælibet forma est actus inadæquatus materiæ. Alia argumenta facilè solvuntur, ex dictis.

7 Dicimus 2. Potentia susceptiva naturalis materiæ primæ, etiam extenditur ad formas corruptas. Conclusiò est communis inter Scotistas, & eam tenet Scotus in 4. distinct. 43. quæst. 3. §. *quantùm ad istum articulum*, litt. H. Probatur ex ipso: quia si Deus reproduceret in materia quamlibet formam corruptam (quod nullatenus negatur, esse possibile) talis forma constitueret unum per se cum materia; sicut constituebat antè corruptionem: sed unum per se constituitur ex per se actu, & per se potentia: ergo materia prima habet per se potentiam ad formas corruptas: sed talis potentia nequit esse violenta, vel neutra, ut patet ex supradictis: ergo est potentia naturalis.

8, Arg. 1. nulla datur naturalis potentia activa ad reproducendam formam corruptam: ergo neque datur potentia passiva ad illam recipiendam. Patet consequentia: quia cuilibet potentiæ passivæ naturali debet correspondere potentia activa naturalis: ergo si non datur activa, neque passiva est admittenda. Prob. antec. quia alias talis potentia passiva naturalis esset frustranea, cum non posset naturaliter ad actum reduci. Resp. admisso antecedenti, neg. conseq. & distinguendo antecedens, prob. cuilibet potentiæ passivæ naturali debet correspondere potentia activa naturalis; si est potentia passiva naturalis, prout naturale opponitur supernaturali, concedo: si est potentia passiva naturalis, prout naturale opponitur violento, nego. Etenim potentia passiva materiæ dicitur naturalis in ordine ad formas, prout naturale opponitur violento,

to; dicitur etiam naturalis, prout naturale opponitur supernaturali, respectu formarum, quæ ab agentibns naturalibus in ipsam possunt induci; non verò respectu formarum, quæ tantùm à supernaturali agente in ipsam induci possunt; ut sunt formæ corruptæ, respectu quarum in hoc sensu dicitur materia esse in potentia supernaturali, seu obedientiali; eò, quod naturale, ut opponitur supernaturali, desumitur ex ordine ad agens.

9 Aliis terminis potest, etiam admisso antecedenti, negari consequens & distingui antecedens probationis: cuilibet potentiæ passivæ naturali debet correspondere potentia activa naturalis, id est, potentia naturalis creata, negó: id est, potentia, quæ detur in rerum natura, concedo. Undè, non sequitur, quòd talis potentia passiva esset frustranea; quia ad hoc erat necessarium, quòd nulla potentia activa daretur in rerum natura, quæ illam ad actum reducere posset; quod non contingit; quia licèt non detur potentia alicujus agentis naturalis, seu creati, datur tamen in rerum natura potentia agentis increati, & supernaturalis. Hæc responsio deducitur ex Scoto quæst. 1. Prologi, §. *contra istas*, sub litt. Q.

10 Omisimus antecedens, quia sufficit prædicta responsio ad argumentum: Potest tamen negari antecedens; quia probabile est, formam corruptam posse naturaliter quoad substantiam ab agente naturali reproduci, ut in lib. de generat. dicetur.

11. Arg. 2. ex conclusione sequerentur aliqua absurda. Primò, quod potentia, seu inclinatio naturalis esset ad impossibile. Secundò, quòd resurrectio non esset supernaturalis. Tertiò, quod materia semper esset violenta, cùm non posset habere actum, in quem naturaliter inclinaretur. Facilè resp. ex dictis negando, quod talis inclinatio esset ad impossibile, cùm daretur

tur

tur agens potens illam actuare, licèt non naturaliter, saltem supernaturaliter. Negando etiam. quod resurrectio non esset supernaturalis: nam, licèt resurrectio sit naturalis, comparando corpus ad animam; esset tamen supernaturalis in ordine ad agens. Et similiter negando, materiam semper esse violentam; & quia, cùm non inclinetur determinatè in aliquam formam, sed in quamlibet indeterminatè, non est violenta, dum caret aliqua, si aliqua alia sit informata, Et quia, ut dictum est, potest ab aliquo agente formam corruptã recipere.

12. Dicimus. 3. Potentia materiæ primæ est unica respectu omnium formarum. Hæc conclusio videtur communis, & probatur: quia nulla apparet necessitas multiplicandi potentiam ad multiplicationem actuum; eadem enim potentia ad ridendum sufficit ad plures actus ridendi; eadem potentia intellectiva ad plures actus intelligendi; & idem est de pluribus aliis potentiis, ergo similiter dicendum est de potentia receptiva formarum in materia; nulla enim videtur intercedere disparitas. Et potest confirmari, quia si essènt plures potentiæ distinctæ in materia ad recipiendas plures formas, plures formæ possent simul naturaliter esse in materia, cùm in ea reciperentur, non secundum eandem, sed secundum diversas potentias: sicut similiter eadem materia secundum diversas partes, recipit diversas partes formæ.

13 Arg. 1. ex Arist. 9. Met. 7. actus, & potentia sunt ejusdem generis, & speciei, sed plures formæ, quæ sunt actus materiæ, sunt diversæ speciei, ergo potentia illis, correspondens in materia, debet specie multiplicari. Resp. ex Scoto in 2. dist. 16. §. *rationes ista*, litt. A. Arist. loqui de potentia objectiva, & actu entitativo illi correspondente, verum enim est, potentiam objectivam, & actum entitativum, non solùm ejusdem speciei, sed etiam idem numero esse. Non

tamen

tamen loquitur de potentia subiectiva, & actu formali, ut nos loquimur in præsenti.

14 Arg. 2. Relationes multiplicantur ad multiplicationem terminorum, ergo multiplicatis formis, multiplicantur potentiæ in materia. Resp. primò, antecedens esse verum loquendo de terminis adæquatis; non verò de inadæquatis, ut est quælibet forma, respectu materiæ; omnes enim formæ simul sunt actus adæquatus materiæ. Secundò, potest responderi, antecedens esse verum loquendo de relationibus prædicamentalibus; non verò de transcendentalibus, ut est potentia materiæ primæ in ordine ad formas; & quælibet potentia, tam activa, quam susceptiva, respectu suorum actuum.

15 Arg. 3. ex Scoto in 1. dist. 1. q. 1. §. *pr. princ.* vers. *Ad ult. dico*, antè litt. H. ubi dicit; tot esse appetitus materiæ ad formam, quot sunt formę receptibiles in ea. Idem dicit de potentia (eadem enim potentia, ac de appetitu) in 4. dist. 43. qu. 3. ver. *Aliter diceretur*, litt. K. ergo ex mente Scoti potentia materiæ non est unica, sed multiplex, juxta multiplicationē formarum. Resp. quod Scot. non loquitur de potentia materiæ entitativè sumpta; sed sumpta respectivè, vel aliis terminis, non loquitur de potentia remota, & universali materiæ, sed de potentia proxima, & particulari, quod nullatenus est contra nostram conclusionem. Pro cujus intelligentia nota, quod in materia prima potentia remota, & universalis dicitur illa, per quam materia, abstrahendo à dispositionibus accidentalibus, respicit omnes formas, & æquè omnes potest recipere indifferenter; & hanc dicimus, esse entitativam, & unicam, potentia verò proxima, & particularis dicitur illa, per quam materia per aliquas accidentales dispositiones est proximè determinata ad recipiendā aliquam determinatam formam; & hæc potentia, non solùm potest multiplicari ad multiplicationem formarum; sed etiam, ut advertit

tit

tit Scotus citatus in 4. potest multiplicari respe-ctu ejusdem formæ, si talis forma diversis dispositionibus præviis possit in materiam induci.

16 Dicimus 4. Potentia receptiva materiæ in ordine ad formas substantiales, non est aliquod accidens realiter distinctum ab ipsa materia, medio quo ipsas formas recipiat. Conclusio est communis, & probatur: quia si potentia receptiva materiæ esset aliquod accidens respectu illius, vel recipitur immediatè in ipsa materia, vel mediante alia potentia? Si dicant primum; melius potest dici de forma substantiali, quòd immediatè recipiatur in materia; cùm magis proportionetur cum ipsa materia forma substantialis, quàm accidentalis; siquidem forma substantialis est actus per se materiæ; forma verò accidentalis actus per accidens. Si dicant secundum; idem inquiram de illa secunda potentia, & sic in infinitum; cùm non appareat major ratio unius, quàm alterius: ne ergo processum in infinitum admittamus, dicendum est, potentiam receptivam materiæ in ordine ad formas substantiales, non esse accidens materiæ superadditum, & ab ea realiter distinctum.

17 Confirmatur: quia si forma substantialis non reciperetur immediatè in materia prima, non posset cum illa unum per se constituere; quia accidens superadditum nequit esse potentia per se, sed per accidens: sed ex potentia per accidens non fit unum per se: ergo forma immediatè recipitur in materia, & non medio aliquo accidenti superaddito, tanqũam potentia.

18 Arg. contra: adveniente forma, jam materia non est in potentia ad illam: ergo talis potentia distinguitur realiter à materia. Patet antecedens: quia aliàs materia esset simul in potentia, & in actu. Resp. disting. antec. adve-

niente forma, jam materia non est in potentia ad illam sumpto ly *in potentia* prout dicit entitatem ipsius potentiæ, nego: prout dicit connotationem privationis formæ, seu esse sine forma, concedo; sed neg. conseq. quia hic tantùm est sermo de potentia materiæ entitativè sumpta. Ad probationem antecedentis dicimus, nullum esse inconveniens, materiam esse simul in actu, & in potentia, prout esse in potentia dicit ipsam entitatem potentiæ; solùm autem esset inconveniens, prout esse in potentia dicit privationem formæ, seu esse sine forma. Hoc non est peculiare potentiæ materiæ primæ; nam quælibet alia potentia, ut intellectus v.gr. est simul entitativè cum suo actu, licèt non prout dicit negationem talis actus.

19. Dicimus 5. Potentia materiæ primæ formaliter sumpta, non est de essentia illius; est tamen propria passio ipsam necessariò consequens. Hæc conclusio est communis consensus Scotistarum cum Scoto ferè omnibus in locis, in quibus loquitur de materia prima: est tamen contra plures, tam Thomistas, quàm Jesuitas. Probatur prima pars: quia materia prima est entitas absoluta; potentia verò est formaliter respectiva: sed respectivum, secundùm suam formalem rationem nequit esse de ratione formali, seu essentiali alicujus absoluti; aliàs idem, secundùm eandem rationem, esset ad se, & non esset ad se, quod est impossibile: ergo potentia susceptiva non est de essentia materiæ primæ. Nec valet, si dicant, prædictos respectus essendi ad se, & non essendi ad se, seu essendi ad aliud esse virtualiter distinctos, & secundùm nostrum imperfectum modum concipiendi. Quia nostra ratio loquitur de materia, & potentia illius, secundùm esse, quod habent à parte rei; & non secundùm modum concipiendi. Deinde, hoc manet impugnatum, loquendo de distinctione formali in Logica; & propter ibi dicta,

cta, nunc etiam dicimus; materiam primam distingui formaliter ex natura rei à potentia receptiva formarum. Confirmatur: quia omnis potentia supponit necessariò cujus sit, & à quo dimanet; & quod per ipsam sit formaliter potens; ut risibilitas v. g. supponit essentiam hominis: ergo potentia materiæ id debet supponere: sed hoc nihil aliud esse potest, quàm ipsa materia prima quoad suum esse essentiale. ergo essentia materiæ primæ supponitur ad talem potentiam; ac per consequens, &c.

20 Arg. 1. quod primò concipitur in aliqua re, est de ejus essentia: sed quod primò concipitur in materia prima est ratio potentiæ subjectivæ: ergo ratio potentiæ subjectivæ est de essentia materiæ. Confirmatur: quia materia essentialiter ordinatur ad formam: sed ordinatur ad formam, ut est potentia receptiva illius: ergo ratio potentiæ subjectivæ est de essentia materiæ. Resp. dist. mai. quod primò concipitur in aliqua re, est de ejus essentia; si concipiatur ut res in se est conceptibilis, concedo; si concipiatur imperfectè, nego. Distinguo etiam min. quod primò concipitur in materia prima est ratio potentiæ subjectivæ; si concipiatur ut in se est conceptibilis, nego; si concipiatur imperfectè, concedo, & nego consequentiam. Etenim materia prima ex se est cognoscibilis ab intellectu in statu proportionato, secundùm suam entitatem absolutam, absque ratione potentiæ subjectivæ; tamen pro hoc statu nequit perfectè cognosci, sed tantùm cognoscitur, ut ab Aristot. cognita fuit, ut subjectum mutationis, & sicut dicit potentiam subjectivam.

21 Ad confirmationem resp. disting. mai. materia essentialiter ordinatur ad formam; ita ut talis ordinatio sit de essentia materiæ, nego: ita ut essentia materiæ necessariò connectatur cum tali ordinatione (quæ idem est

ac potentia subjectiva) tanquam cum propria passione, concedo; & concessa minori, neg. consequentiam. Hoc enim sufficit, ut materia prima dicatur ordinari ad formam; esse quid incompletum, & partiale; cum quo potest responderi ad alia similia argumenta.

22. Arg. 2. forma essentialiter est actus materiæ: ergo materia essentialiter est potentia receptiva formæ. Consequentia patet: non enim apparet major ratio unius, quàm alterius. *Resp.* neg. antec. Etenim, eodem modo se habet forma in ratione actus, quo materia in ratione potentiæ: sicut enim actualiter recipere formam est accidentale respectu materiæ, ita actualiter informare materiam est accidens respectu formæ: & sicut potentia receptiva, formaliter sumpta, non est de essentia materiæ; ita vis informativa non est de essentia formæ; unde argumentum assumit pro medio, quod erat probandum.

23 Probatur secunda pars conclusionis: quia potentia subjectiva materiæ necessariò, & inseparabiliter comitatur illam; ergo cùm non sit differentia essentialis illius, necessariò erit propria passio. Nihil contra hoc videtur posse obiici, suppositis dictis.

24 Ex quibus sequitur, quòd si potentia receptiva materiæ, non formaliter, sed radicaliter accipiatur, est de essentia ipsius materiæ; quia ut sic dicit principium, seu radicem, à qua pullulat, seu dimanat ipsa formalis potentia receptiva: & certum est, quòd radix, seu principium alicujus passionis est essentia rei, cujus est illa passio.

QUÆSTIO V.

An materia prima appetat formas substantiales, & quomodo?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quòd appetitus est quædam propensio, & inclinatio rei in bonum sibi conveniens; & ut tenet Scotus in 1. dist. 1. quæst. 5. §. *ad argumentum quæstionis ultima*; est duplex; elicitus, scilicet, & innatus. Appetitus elicitus est quædam propensio in bonum, supposita cognitione illius. Hujusmodi sunt actus voluntatis tendentes in bonum cognitum sibi conveniens. De appetitu in hoc sensu non loquimur in præsenti, eo quòd materia prima non sit cognoscitiva. Appetitus innatus est quædam propensio in bonum indita rei ab Authore naturæ, nulla præcedente in ipsa re cognitione boni. De appetitu in hoc sensu loquimur in præsenti.

2 Notandum est etiam, quòd appetitus in re idem est, ac potentia naturalis ipsius boni convenientis receptiva; nam ut patet ex dictis qu. antec. potentia naturalis receptiva formarum, nihil aliud est, quàm naturalis inclinatio seu propensio materiæ in formas, & solùm potest esse differentia, quòd dicitur potentia, quatenus respicit formam, tanquam actum; & dicitur appetitus, quatenus respicit formam ut bonum sibi conveniens; quæ differentia tantùm videtur in nomine, seu explicationis gratia.

3 Unde plura, quæ diximus quæst. antec. loquendo de potentia naturali susceptiva formarum, hic consequenter veniunt dicenda, propter easdem rationes de appetitu naturali materiæ ad formas. Igitur,

4 Dicimus 1. materia prima appetit naturaliter omnes formas in communi, & in particulari,

ri, & extenditur ad formas corruptas. Ratio est, quia quælibet forma, tam in ratione formæ, quàm in ratione sua particulari est bonum conveniens materiæ, cùm possit cum qualibet unum per se constituere: ergo materia prima appetit omnes formas. Adverte, quòd sicut diximus, potentiam naturalem materiæ non respicere determinatè hanc, vel illam formam, sed omnes indeterminatè; ita idem dicimus de naturali appetitu.

5 Dicimus 2. Appetitus materiæ est entitativè unicus, respectu omnium formarum! Hæc conclusio probatur ratione posita quæst. antec. pro 3. concl. Advertendum tamen est, quòd si non entitativè, sed respectivè sumatur appetitus; vel si non sumatur remotè, sed proximè, seu ut connotat dispositiones ad recipiendam formam, est multiplex, juxta multiplicitatem formarum, ad quas recipiendas potest materia disponi; quod patet etiam ex dictis pro 3. concl. quæst. antec.

6 Dicimus 3. appetitus materiæ primæ in ordine ad formas, si sumatur formaliter non est de essentia materiæ; est tamen propria passio illius, & non accidens realiter distinctum: si verò sumatur radicaliter, est de essentia materiæ. Hæc conclusio quoad omnes suas partes probatur ex dictis quæst. antec. pro 4. & 5. concl. Omnia argumenta, quæ posita sunt in ipsa quæst. antec. contra omnes conclusiones, æqualiter militant contra conclusiones hujus quæst. sed ibi manent soluta. Specialiter tamen

7 Arg. 1. contra primam concl. nequit materia prima appetere formam, quam non habet, neque formam, quam habet: ergo nullam formam appetit. Prob. antec. quoad primam partem: quia si appeteret formam, quam non habet, appeteret corruptionem formæ, quam habet: sed hoc non est dicendum; quia aliàs appeteret destructionem suæ perfectionis: ergo materia

teria non appetit formam, quam non habet. Major patet: quia destructio formæ, quam habet, est necessariò connexa cum receptione formæ, quam non habet. Prob. secunda pars antec. quia materia non est privata forma, quam habet: sed juxta commune proloquium: *privatio est causa appetitus*: ergo materia prima non appetit formam, quam habet.

8 Resp. neg antec. quoad utramque partem: & ad probationem primæ partis disting. mai. si materia appeteret formam, quam non habet, appeteret destructionem formæ, quam habet, primò, & per se, nego; secundariò, & quasi per accidens, concedo. Etenim, cùm expulsio formæ præexistentis in materia sit naturaliter necessariò connexa cum receptione formæ de novo advenientis, potest dici, quòd materia, eò quòd per se appetit receptionem formæ novæ, appetit aliquomodo ex consequenti destructionem formæ præexistentis in illa; sed hoc, non quia propriè materia dicat naturalem appetitum, seu inclinationem ad destructionem formæ præexistentis; hoc enim est impossibile; sed quia cùm consecutione sui appetitus, naturaliter connectitur talis destructio: sicuti dicimus, agens producens de novo formam, quam per se producere intendit, esse causam efficientem corruptionis formæ præexistentis; non quia sit propriè causa talis corruptionis; nam solùm intendit producere formam, & tantùm in illam influit, sed quia, præter intentionem talis agentis, sequitur talis corruptio ex incompossibilitate utriusque formę naturaliter.

9 Ad probationem secundæ partis antecedentis, concessa majori, disting. min. seù potiùs per distinctionem explicatur prædictum axioma: etenim, *privatio est causa appetitus*, non debet intelligi de appetitu entitativè sumpto; nam ut sic appetitus materiæ respicit formas, abstrahendo ab hoc, quòd illas habeat,

vel non habeat: intelligitur autem de appetitu quoad denominationem, seu connotativè; nam appetitus materiæ duplicem potest denominationem sortiri, propter duplicem connotationem: ut enim connotat formam, quam in se habet, dicitur complacentia; quia fruitur forma, quam appetit, & sub ea quiescit: ut autem connotat formam, quam non habet, seu carentiam illius dicitur desiderium; quia desiderat habere formam, qua est privata; & in hoc sensu dicitur, quòd privatio est causa appetitus. Unde, communiter appetitus dividitur in appetitum complacentiæ, & desiderii: sed hoc non ita, quòd talis divisio detur per differentias essentiales, sed per accidentales connotationes ejusdem appetitus, qui entitativè perseverat, variatis prædictis connotationibus circa quamlibet formam; nam quando materia non habet formam, dicitur illam appetere appetitu desiderii; & quandò illam habet, appetitu complacentiæ.

10 Arg. 2. si materia appeteret omnes formas appetitu naturali, posset simul naturaliter omnes habere: sed hoc est falsum: ergo. Resp. sicut ad aliud simile argumentum num. 6. quæst. antec. negando mai. Videantur ibi dicta. Advertendum tamen est, ut aliter possit responderi, quòd materia habet appetitum, quo simul appetit omnes formas, ita ut pro eodem instanti, quo respicit, seu appetit unam, respiciat, seu appetat aliam; & pro eodem instanti, quo habet unam, posset etiam habere aliam, non in sensu composito, sed in sensu diviso, nempè ex suppositione, quòd in illo instanti non haberet illam aliàm: quod solet dici simultas potentiæ, non verò simultas actuum. Et potest exemplificari in voluntate, quæ potest producere volitionem, & nolitionem in eodem instanti, non in sensu composito, sed in sensu diviso.

11 Arg. 3. si materia prima appeteret formam,

mam, quam non habet, esset in statu violento: ergo illam non appetit. Antecedens probatur; tum quia illud dicitur esse in statu violento, quod habet in se aliquid naturaliter incompossibile cum illo, quod naturaliter appetit; aqua enim dicitur esse in statu violento cum calore, quia opponitur frigiditati, quam naturaliter appetit; sed forma, quam habet materia, opponitur formæ, quam non habet, seu sunt naturaliter incompossibiles; ergo materia esset in statu violento, si appeteret formam, quam non habet. Tum quia illud dicitur esse in statu violento, saltim negativè, quod nequit naturaliter habere illud, quod appetit; sed materia prima nequit naturaliter habere formam, quam non habet, simul cum forma, quam habet; ergo cùm habet aliquam formam, erit violenta, si appetit formam quam non habet.

12 Resp. neg. antec. & disting. mai. primæ probationis; illud dicitur esse in statu violento, quod habet in se aliquid naturaliter incompossibile cum illo, quod appetit, si non appetat etiam id, quod habet; seu, si id, quod habet est contra naturalem inclinationem illius, concedo; si appetat etiam id, quod habet; seu, id, quod habet, non est contra naturalem inclinationem illius, nego: Similiter disting. min. forma, quam habet materia est naturaliter incompossibilis cum forma, quam non habet; & aliàs materia non appetit etiam formam, quam habet, seu hæc est contra naturalem inclinationem materiæ, nego; & aliàs materia appetit formam, quam habet, & hæc non est contra naturalem inclinationem materiæ, concedo, & neg. conseq. Neque exemplum aquæ est ad rem, nam aqua non appetit calorem, & calor est contra naturalem inclinationem aquæ. Hæc responsio etiam patet ex dictis quæst. antec.

13 Ad secundam probationem antecedentis potest responderi, concessa majori, disting.

min. materia nequit habere naturaliter formam, quam non habet, simul cum forma, quam habet, simultate actus, seu in sensu composito, concedo; simultate potentiæ, seu in sensu diviso, nego, & neg. conseq. Hoc etiam patet ex dictis. Aliter potest responderi disting. mai. illud dicitur esse in statu violento, quod non potest naturaliter habere id, quod naturaliter appetit, si hæc naturalis impossibilitas oriatur ex eo quòd habeat aliquid, quod non appetit, concedo; si oriatur ex eo quòd habeat aliquid, quod etiam appetit, nego. Et similiter distinguenda est minor, & neg. conseq. Impossibile enim est naturaliter, materiam habere formam, quam non habet, simul cum forma, quam habet; sed, cùm hæc impossibilitas oriatur ex forma, quam habet, & etiam naturaliter appetit (omnes enim formas appetit materia indeterminatè, ut dictum est) non constituit materiam in statu violento. Vel potest responderi absolutè negando majorem: non enim est universaliter verum, illud esse violentum, quod non potest habere naturaliter id, quod appetit; seu in quod naturaliter inclinatur; nam, ut dicitur in Theologia cum Scoto, anima rationalis appetit formas supernaturales, & tamen, licèt naturaliter nequeat illas recipere, cùm non detur aliquod agens naturale, quod illas in anima possit producere; non dicitur anima esse in statu violento, quando prædictas formas in se non habet. Similiter dicimus, quòd materia prima non est in statu violento appetendo formam, quam non habet, licèt non possit naturaliter illam habere simul cum forma, quam habet, eò quòd non datur aliquod agens naturale, quod posset talem formam producere in materia habente aliam in sensu composito.

14 Ubi advertendum est, materiam primam nullatenus posse violentari positivè; quia cùm om-

omnes formas indeterminatè appetat, ut dictum est, nequit recipere aliquid oppositum illi, quod appetit; seu nequit recipere aliquid, quod non appetat, seu quòd sit contra naturalem illius inclinationem; quod erat necessarium ad positivam violentiam. Potest tamen materia violentari negativè per denudationem ab omni forma; tamen in tali casu non diceretur violenta negativè, per hoc præcisè, quòd omni forma esset privata (aliàs anima rationalis, privata omni forma supernaturali, quam naturaliter appetit, esset violenta, quod non conceditur) sed quia careret perfectione, hac scilicet, vel illa forma, quam non solùm naturaliter appetit, sed etiam ipsi materiæ naturaliter debetur ad complementum naturale illius; ideòque illud ab agente naturali recipere potest: sicut aqua v. gr. esset negativè violenta, si sine introductione caloris auferretur ab ea frigiditas; nam tunc esset privata forma, quæ illi naturaliter debetur.

15 Contra secundam conclusionem potest specialiter sic argui: tot debent esse appetitus in materia, quot sunt privationes: sed privationes multiplicantur ad multiplicationem formarum: ergo & appetitus. *Resp.* disting. mai. tot debent esse appetitus entitativè, quot sunt privationes, nego; denominativè, admitto, & concessa minori, disting. conseq. tot sunt appetitus entitativè, nego; denominativè, admitto. Etenim, appetitus materiæ entitativè semper est unicus; cùm tamen in ordine ad formas absentes denominetur desiderium, & hoc necessariò connotet privationem formæ; ideò potest dici, quòd appetitus, quoad denominationem desiderii, multiplicatur, juxta numerum privationum.

16 Dicimus 4. materia prima non appetit æqualiter omnes formas, sed magis appetit perfectiores, quàm imperfectiores. Hæc con-

clusio est communis inter Scotistas; & deducitur ex Scoto in 4. dist. 49. quæst. 10. §. *respondeo*, vers. *De illo appetitu*, litt. B. Probatur; quia materia appetit formas, quia est perfectibilis per illas; sed magis perfectibilis est per formas perfectiores, quàm per imperfectiores; ergo magis appetit formas perfectiores, quàm imperfectiores. Major est certa. Minor patet; nam cùm forma perfectiori constituit materia perfectiùs compositum, quam cum imperfectiori. Consequentia tenet ex illa maxima Arist. 1. Met. *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis.*

17 Arg. 1. Appetitus materiæ indifferenter, & indeterminatè respicit omnes formas; ergo æqualiter illas appetit. Resp. neg. conseq. aliud enim est indeterminatio, & aliud æqualitas, benè enim potest ex se materia indeterminatè respicere omnes formas, eò quòd in se nullum principium determinationis ad aliquam habeat (determinatur enim ab agente extrinseco, ut potiùs unam, quam alteram recipiat, sive sit perfectior, sive imperfectior) & magis appetere unam, quàm aliam, propter majorem, vel minorem perfectionem.

18 Arg. 2. repetendo argumentum de violentia; si materia prima magis appeteret unam formam, quàm aliam, sequeretur, quòd transeundo de forma perfectiori ad imperfectiorem, aliquam sub imperfectiori pateretur violentiam; & quòd non æquè quiesceret naturaliter sub quacumque forma. Resp. neg. sequelam, tum, propter alibi dicta. Tum (& in idem incidit, sed clariùs) quia nunquam datur quies violenta, nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositum illius, sub quo quiescit; cùm autem materia non inclinetur determinatè ad formam perfectiorem, licèt habeat majorem inclinationem, nullatenus patitur violentiam sub imperfectiori; quod declarat Scotus in 4. di-

distinct. 50. quæst. 6. §. *respondeo*, litt. A. à simili de gravi, his verbis; *Patet de gravi, quod appetit esse summè deorsum, scilicet in centro, & tamen non omne grave potest esse in centro, & si tolleretur impedimentum, esset summè deorsum, & tamen non potest esse, sed facit se deorsum quantum potest, & ibi naturaliter quiescit*. Cùm autem dicitur non æquè quiescere materiam sub qualibet forma, potest distingui; non æquè quiesceret naturaliter sub qualibet forma, ut naturalitas excludit violentiam, est falsum; ut naturalitas dicit majorem, vel minorem inclinationem, est verum; sed hoc nullum est inconveniens.

19 Dubitabis, an materia dum est sub forma perfectiori, adhuc appetat imperfectiorem? Pro responsione nota, quòd forma perfectior potest sumi dupliciter. Primò, pro forma excedente alias in perfectione, absque eo quòd includat virtualiter, seu eminenter perfectionem illarum. Secundò, pro forma, non solùm excedente alias in perfectione, sed etiam includente perfectiones illarum. Hoc notato.

20 Resp. ad dubium; quòd, sumpta forma in primo sensu, non ita satiat appetitum materiæ extensivè, ut non appetat alias imperfectiores formas; secus verò sumpta forma in secundo sensu. Resolutio quoad utramque partem, est Scoti in 1. dist. 1. quæst. 1. §. *ad primum principale*, vers. *Ad ultimum*, antè litt. H. Probatur quoad primam partem; quia appetitus materiæ desumitur ex perfectione formarum, qua perfectione caret, sed dum est sub forma perfectiori non includente perfectionem aliarum, caret tali perfectione; ergo dum est sub forma perfectiori non includente perfectionem aliarum, adhuc appetit formas imperfectiores. Prob. secunda pars; quia materia non appetit (appetitu desiderii, de quo est dubium) perfectionem, quam habet; sed dum est sub forma per-

perfectiori includente perfectionem omnium aliarum, nulla perfectione caret: ergo dum est sub forma perfectiori includente perfectionem aliarum, nullam aliam appetit. Advertit tamen Scotus, quòd, cùm sit impossibilis forma includens perfectionem omnium formarum, ita impossibile est, quòd materia sit sub aliqua forma, quin appetat quamcumque aliam.

21 Arg. contra secundam partem: ideò materia appetit formas; quia est perfectibilis per illas: sed, licèt materia esset sub forma perfectiori includente perfectionem aliarum, esset perfectibilis per alias formas: ergo illas appeteret. Resp. disting. mai. ideò materia appetit formas (appetitu desiderii) quia est perfectibilis per illas præcisè, nego: quia est perfectibilis per illas, & aliàs caret illarum perfectione, seu connotat privationem perfectionis illarum, concedo. Similiter disting. min. in tali casu esset perfectibilis materia per alias formas, & aliàs careret illarum perfectione, nego: & aliàs illarum perfectione non careret, concedo, & neg. conseq.

22 Arg. contra: licèt materia, dum esset sub forma perfectiori, includeret perfectionem aliarum, illam haberet amissibili modo: ergo appeteret alias. Potest responderi, omisso antecedenti, neg. conseq. Quia etiam si materia haberet quamlibet aliam formam, eam haberet amissibili modo, & tamen nemo est, qui concedat, illam appetere desiderio, eò quòd non careret illius perfectione. Unde similiter dicimus, quòd, licèt materia haberet formam perfectiorem, modo dicto, ita ut illam posset amittere; non ex eo sequeretur, appetere alias formas, quia illarum perfectione nullatenus careret. Omisimus antecedens; quia potest responderi illud negando; quia ideò dicitur, materiam habere aliquam formam amissibili modo, ita ut talis modus sit causa appetendi alias, quia potest agens naturale

le introducere in materiam dispositiones oppositas dispositionibus conservativis formæ præexistentis; & consequenter formam oppositam etiam præexistenti formæ; quod nullatenus contingeret, si materia haberet formam includentem perfectionem omnium aliarum; quia nulla alia forma substantialis prædictæ formæ opponeretur, neque aliqua accidentia opponerentur dispositionibus conservativis illius; ideòquè nullatenus in materia esset amissibili modo.

QUÆSTIO VI.

An materia sit de essentia compositi?

1 DVplex supra hanc difficultatem est opposita sententia. Prima asserit, materiam primam non esse de essentia compositi substantialis; esse tamen partem intrinsecam illius. Aliquos Authores adducit noster Mastrius pro hac sententia *disp.5. Physicæ quæst.12.* Secunda sententia tenet, materiam primam esse de essentia compositi substantialis. Hæc sententia est communior, tenent eam omnes Scotistæ cum Scoto in 3.dist.22.qu.unica.

2 Dicimus pro hac secunda sententia: materia prima est de essentia, & quidditate compositi substantialis. Pluribus in locis solet citari Aristot. pro hac conclusione, præcipuè 2. de Anima text. 2. & 7. Met text. 34. & 36. & 8. Met. text.15. ubi dicit, quidditatem compositi substantialis esse per se unam, quia constat ex actu, & potentia, id est, materia, & forma.

3 Pluribus rationibus probat Scotus loco citato nostram conclusionem; sufficiant sequentes ex ipso deductæ; in re enim adeò communi, non licet multùm immorari. Prima est, si sola forma esset tota quidditas compositi substantialis,

lis, sola forma ignis v. gr. esset sufficiens, ut aliquid esset substantia ignis; hoc est falsum; nam omnes admittunt materiam esse necessariam ad compositionem compositi substantialis; & aliàs non esset necessaria talis materia; ergo materia est de essentia compositi substantialis.

4 Nec valet, si dicant, materiam primam esse necessariam ad compositum substantiale, non tanquam quid spectans ad illius essentiam; sed tanquam vehiculum formæ substantialis, quæ est tota essentia substantialis compositi. Sed contra est; quia materia in linea substantiæ physicæ est quid incompletum, & per se partiale; ergo in eadem linea substantiæ, per se ordinatur ad aliquid substantialiter completum; ergo per se pertinet ad essentiam totius compositi substantialis. Confirmatur; quia, quod est quid essentialiter compositum, essentialiter constat partibus; sed totum substantiale completum est essentialiter compositum; ergo constat partibus essentialiier; sed hæ partes sunt materia, & forma, ut omnes fatentur; ergo sicut forma est de essentia compositi substantialis, ita materia.

5 Secunda ratio est; si forma esset tota essentia substantiæ, non posset simul cum materia unum per se constituere; sed forma, simul cum materia, unum per se constituit; ergo forma non est tota essentia substantiæ. Prob. mai. quia, quod est tota essentia, est necessariò quid completum; sed, quod est completum, est inordinabile ad compositionem; ergo si forma esset tota essentia, non posset simul cum materia unum per se compositum constituere.

6 Tertia ratio est; quod non includit aliquam quidditatem, vel non includitur in aliqua quidditate, non est in genere, neque per se, neque per reductionem; non per se, quia illa tantùm sunt in genere per se, quæ includunt quidditatem, ut individua, vel quæ sunt ipsa quidditas,

ut

ut homo, equus, &c. non reductivè; quia quod reductivè est in genere, includitur in aliquo, quod per se est in genere: sed materia prima non includit quidditatem hominis v. gr. ergo si non includitur in tali quidditate, nullo modo est in genere: sed, quod nullo modo est in genere, vel est Deus, vel est nihil, & materia non est Deus: ergo si non includeretur in quidditate, seu essentia compositi substantialis, esset nihil, quod non conceditur, ac per consequens, &c.

7 Arg. 1. Ratio distinguendi essentialiter equum ab igne v. gr. est sola forma: ergo sola forma est de essentia compositi. Resp. primò, neg. antec. equus enim distinguitur ab igne essentialiter per differentiam, quæ non à sola forma, sed à tota entitate compositi desumitur; ut suo loco dictum est in Logica.

8 Respondetur secundò, admisso antecedenti, neg. conseq. ad hoc enim, ut aliqua inter se essentialiter differant, non requiritur, quòd differant secundùm omnes suas partes, sed sufficit, quòd secundùm aliquam, & meliùs secundùm præcipuam differant; qualis est forma in quolibet composito. Sicut homo, & brutum absolutè dicuntur inter se, essentialiter differre, licèt conveniant essentialiter in ratione animalis; eò quòd per proprias differentias essentialiter differant.

9 Arg. 2. essentia semper est eadem: sed materia non semper est eadem: ergo materia non est de essentia compositi. Minor probatur: quia materia actione caloris naturalis continuò dilabitur: ergo non semper eadem permanet. Propter hoc argumentum, aliqui, licèt concedant, materiam primam esse de essentia compositi naturalis in communi, ita ut in quocumque composito reperiatur, ad illius essentiam pertineat; tamen negant, esse de essentia alicujus compositi determinati, seu in particulari. Sed

non

non videtur, cur propter hoc negetur, materiam primam esse de essentia compositi substantialis, tam in communi, quàm in particulari. Ne autem hoc ad quæstionem de nomine reducatur, notandum est, dupliciter posse aliquid dici de essentia alicujus. Primò, ita ut non possit esse de essentia alterius: & in hoc sensu certum est, materiam primam solùm esse de essentia compositi substantialis in communi, quia ita est de essentia illius, quòd nequeat esse de essentia alterius, quod compositum substantiale non sit: non tamen de essentia compositi determinati, seu in speciali; cùm non detur aliquod compositum substantiale determinatum, cujus materia nequeat esse de alterius compositi essentia, ut patet experientia generationum, & corruptionum. Secundò, potest aliquid dici de essentia alicujus, ita ut licèt possit esse de essentia alterius, nequeat tamen illud, de cujus essentia est, esse sine illo; & in hoc sensu dicimus, materiam non solùm esse de essentia compositi substantialis in communi, sed etiam quælibet materia determinata, de essentia cujuslibet compositi determinati. Unde

10 Resp. ad argumentum neg. min. & consequentiam probationis: quia licèt verum sit, per continuam actionem caloris naturalis deperdi aliquas partes materiæ; tamen ex hoc nullatenus sequitur, materiam alicujus compositi numericè variari: vel quia, ut aliqui dicunt, semper remanent puriores, & solidiores partes materiæ, in quibus fundatur identitas individui: vel quia, ut tenent alii, licèt deperdantur aliquæ partes materiæ, & aliæ de novo acquirantur, semper remanet materia eadem numero, per continuationem partium de novo advenientium cum præexistentibus; quod non est peculiare materiæ, sed quid commune omnibus, quæ per continuationem uniuntur, licèt aliquid ipsorum deperdatur. Deinde, sic arguentes tenentur ad

argu-

argumentum respondere, cùm sic in ipsos retorqueri possit: essentia semper est eadem: sed forma non semper est eadem: ergo forma non est de essentia compositi. Probatur min. quia in viventibus, præter hominem, sicut actione caloris naturalis deperduntur partes materiæ, ita deperduntur partes formæ: ergo non remanet eadem forma; quod nullus concedit. Non videtur posse responderi, nisi ad nostram responsionem recurrendo; & si aliter respondeant, hoc pro responsione sui argumenti habeant.

11 Arg.3. Si materia singularis esset de essentia compositi singularis, non posset idem numero homo resurgere, quin eandem numero materiam, quam antea habebat reassumeret: sed hoc videtur impossibile, cùm eadem numero materia ad plures homines attinere possit, ut contingit in his, qui humanis carnibus vescuntur: ergo. Resp. concessa majori, neg. min. Quilibet enim homo resurgeret cum eadem numero materia, quam habebat antequam carnibus alterius vesceretur. Videatur Scoto in 4. dist.44. quæst. 1. §. *ad argumenta*, vers. *Ad aliud*, sub litt. Q. & §. *de secundo principali*, per totum. Pro aliquibus authoritatibus Aristot. observandum est, quòd, cùm formam appellat, quodquid est, seu speciem, non est quia judicet formam esse totam quidditatem, sed quia forma est præcipua pars essentiæ, & speciei. Observandum est etiam, quòd, cùm dicit, formam esse essentiam, non verò materiam, pro forma intelligit rationem communem specificam, seu formam totius, v.gr. humanitatem; non verò formam partialem substantialem; & pro materia intelligit differentiam individualem, quæ non ingreditur essentiam rei; non verò materiam primam, de qua in præsenti loquimur.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An materia prima sit in omnibus ejusdem speciei?

1 PRæsens quæstio solùm examinatur de materia corporum sublunarium; de materia enim corporum cœlestium, suo loco examinabitur. Pro qua notandum est, quòd non loquimur de unitate specifica extrinseca; in hoc enim sensu certum est, materiam omnium sublunarium non esse ejusdem speciei, sed multiplicatam specie, juxta multiplicationem specificam corporum sublunarium. Solùm loquimur de unitate specifica intrinseca, & propria ipsius materiæ, ut est substantia partialis, & incompleta.

2 Dicimus: materia omnium corporum sublunarium est ejusdem speciei. Conclusio est communis inter Scotistas (& etiam inter alios, saltim quoad hoc, quòd nullum habeat principium intrinsecum specificè distinctivum illius in hoc, & in illo corpore) tenet eam Scotus in 4. dist. 11. quæst. 3. litt. H. Probatur: quia nullum apparet indicium distinctionis specificæ inter materias omnium sublunarium: ergo non distinguuntur specie. Antecedens probatur: quia si aliquod esset indicium, maximè, quia prædictæ materiæ sunt in corporibus specie distinctis: hoc nullum est; nam eadem materia, quæ fuit in ligno v. gr. posteà est in igne, qui ex tali ligno generatur, & ab ipso specie distinguitur: ergo. Et potest confirmari ex eo, quòd nulla datur materia alicujus corporis sublunaris, quæ non possit recipere quamlibet formam cujuslibet alterius corporis sublunaris specie distincti; cùm quælibet materia ex se habeat potentiam naturalem ad quamlibet formam recipiendam: ergo nullum datur indicium

ad distinctionem specificam materiæ omnium corporum sublunarium colligendam; imò datur ad talem distinctionem negandam. Ubi advertendum est, quòd quando dicit Arist. materiam esse distinctam specie in genito, & corrupto, intelligitur de distinctione specifica extrinseca proveniente à distinctione geniti, & corrupti, quæ necessariò specie distinguuntur, cùm individuum unius speciei nequit agere in individuum *ejusdem* speciei; neque ex uno aliud generari: ut ampliùs patebit in lib. de generat. Neque apparet quid contra hanc conclusionem obiici possit, quod facilè ex dictis in *illa* non solvatur.

3 Hic solet dubitari, supposita unitate specifica materiæ omnium corporum sublunarium; an sit eadem numero in omnibus? Sed facilè respondetur primò, quòd materia corporum sublunarium, quæ in generatione, & corruptione subordinantur, seu quorum unum alteri succedit, est eadem numero: quod expresè docuit Arist. 1. Physic. tex. 60. Probatur, eo quòd materia dicitur subjectum commune mutationis, quod non esset, si non remaneret eadem numero in genito, & corrupto: neque generatio esset productio rei ex præsupposito subjecto.

4 Resp. secundò, quòd materia corporum sublunarium simul existentium non est eadem numero, sed multiplex, juxta multiplicitatem corporum. Ptobatur. quia aliàs jam naturaliter plures formæ substantiales non subordinatæ essent simul in eadem numero materia, quod nullus concedit. Deinde, quia nullum majus signum distinctionis realis, & numericæ, quàm realis separatio: sed materiæ omnium corporum sublunarium simul existentium sunt realiter separatæ: ergo sunt realiter, & numericè distinctæ. Aliqui intendunt, prædictam distinctionem numericam materiæ esse tantùm extrinsecam, seu ratione corporum distinctorum;

rum; non autem intrinsecam, & ratione ipsius materiæ, dicentes, quòd, si à materia separarentur omnes formæ, ex se eadem numero remaneret per continuationem. Hoc nullum habet fundamentum; & quia non continuaretur materia omnibus formis denudata; nisi fortè actione alicujus agentis: & quia, licèt sic continuaretur, & ad unitatem numericam per continuationem reduceretur, hoc non obstat, ut sit numero distincta in se, & entitativè, quando sic non est continuata, sed potiùs entitativè discreta: ut contingit in omnibus continuis, & discretis; partes enim aquæ v.gr. si sint continuæ, constituunt unum numero continuum; & si sint discretæ, plura continua numero distincta constituunt, ex quocumque capite continuatio, aut discretio illis proveniat.

QUÆSTIO VIII.

An materia sit generabilis, & corruptibilis?

1 PArum difficultatis, & controversiæ continet in se præsens quæstio, quapropter magis terminorum explicatione, quàm disputatione indiget. Igitur notandum est, quòd generatio potest sumi latè pro quacumque productione rei; & corruptio pro quacumque rei desitione; in quo sensu nullum est dubium, materiam primam posse dici generabilem, & corruptibilem, quippè est ens creatum, & verè à Deo productum, quod ab ipso Deo destrui, & annihilari potest; licèt ab agente creato neque produci, neque destrui possit. Potest etiam generatio sumi strictè, scilicet pro productione rei, præsupposito subjecto; & corruptio pro rei destructione, remanente subjecto. Adhuc generatio in hoc secundo sensu, vel sumitur, ut præcisè dicit productionem rei modo dicto; vel, ut

ut conjungitur naturaliter cum mutatione, quæ est transitus subjecti de non esse sub forma ad esse sub illa. Similiter corruptio eodem duplici modo accipi potest; ut patet ex dictis loquendo de principiis corporis naturalis; & ampliùs dicendis in lib. de generatione. Nunc facilè resolvitur quæstio. Igitur

2 Dicimus 1. Materia prima non est strictè generabilis, & corruptibilis, sumpta generatione ut productio est præcisè: & corruptione, ut præcisè destructio est. Conclusio est communis, & probatur ex ipsa ratione materiæ, quæ est primum subjectum: sed hoc non esset; si esset generabilis, & corruptibilis: ergo. Prob. min. quia si materia esset sic generabilis, & corruptibilis, fieret ex præsupposito subjecto, & destrueretur remanente subjecto: ergo non esset primum subjectum; & consequenter neque esset materia prima.

3 Dicimus 2. Materia prima potest dici generabilis, & corruptibilis, sumptis generatione, & corruptione, ut mutationes sunt. Conclusio etiam est communis, & probatur: quia in hoc sensu illud dicitur generabile, quod transit de non esse sub forma ad esse sub illa; & illud dicitur corruptibile, quod transit de esse sub forma ad non esse sub illa: sed in mutationibus verè transit materia de non esse sub forma ad esse sub illa, si sit generatio; vel ab esse sub forma ad non esse sub illa, si sit corruptio: ergo in hoc sensu materia prima potest dici generabilis, & corruptibilis. Arist. pluries materiam primam dicit ingenerabilem, & incorruptibilem: & debet intelligi in sensu primæ conclusionis: & pluries generabilem, & corruptibilem; & debet intelligi in sensu secundæ conclusionis. Cùm qua distinctione haud difficilè respondetur ad quælibet argumenta; & quia loquendo de subjecto generationis, totum dictum ampliùs patebit, nunc in illo ampliùs non immoramur.

Ar-

4 Argues tamen specialiter contra secundam conclusionem: agens naturale potest producere formam, & compositum: ergo etiam materiam. Patet consequentia: quia materia est imperfectior composito & forma, & quod potest ad perfectiùs, etiam ad imperfectiùs potest. Confirmatur: quia incorruptibile est perfectiùs corruptibili: ergo si materia est incorruptibilis, erit perfectior composito & forma, quod non est dicendum.

5 Resp. neg. conseq. ad probationem dicimus, non esse universaliter verum, posse producere imperfectiùs, quod perfectiùs producere potest; nam solùm debet intelligi, quando tam imperfectiùs, quàm perfectiùs sunt in virtute agentis, & intra sphæram suæ activitatis continentur; materia autem, licèt sit imperfectior composito, & forma, non continetur in virtute, seu intra sphæram activitatis agentis naturalis, sicut forma & compositum continentur: ideòque licèt agens naturale possit producere formam & compositum, non tamen materiam; sicuti licèt homo possit producere hominem, qui perfectior est lapide, non ideò potest lapidem producere, eò quòd lapis non contineatur in virtute activa hominis, sicut homo continetur. Ad confirmationem resp. disting. antec. incorruptibile est perfectius corruptibili, quoad durationem, concedo: quoad entitatem necessariò, nego. Similiter disting. conseq. materia prima est perfectior forma & composito, quoad durationem, concedo; quoad entitatem, nego.

6 Hic dubitatur, an materia prima sit causa corruptionis? Resp. materiam primam esse primam radicem, & causam corruptibilitatis corporis naturalis. Pro hac resolutione pluribus in locis citatur Arist. præcipuè 1. de gener. text. 54. & 2. de gener. text. 51. & 54. Et Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. sub litt. A. & in 3. dist. 22. qu.

uni-

unica, §. *rationes*. Probatur; quia licèt communiter assignetur pro causa corruptionis contrarietas, seu oppositio formarum, hæc tantùm est causa extrinseca; ergo debet reduci ad aliquam intrinsecam causam; hæc nequit esse nisi materia prima, quæ ex se est capax recipiendi contraria; ergo materia prima est prima causa corruptionis compositi naturalis. Prima consequentia probatur ex Scoto in 3. citato; ubi dicit; *Quamvis mistum corrumpatur, quia est ex contrariis, non tamen esset mutua actio, nisi quia aliquid in potent ia est, quod possit aliam formam recipere; & si etiam corpus simplex agat in simplicem ratione contrarietatis; prima tamen radix est materia cum privatione qua est in potentia ut transmutetur ad aliam formam*; ergo licèt ens naturale sit corruptibile ratione contrarietatis, tamen corruptibilitas tanquam in primam causam, & radicem reducitur in materiam primam. Confirmatur, & declaratur; quia licèt formæ essent oppositæ, & haberent dispositiones contrarias, nulla daretur corruptio, nisi essent in materia. Deinde, si materia non esset receptiva contrariorum, etiam si formæ essent oppositæ, nulla prorsus sequeretur corruptio, quippè ab intrinseco non esset forma separabilis à materia; ergo causa prima, & prima radix intrinseca corruptionis est materia prima.

7. Arg. contra; corpora cœlestia sunt incorruptibilia, eo quòd formæ Cœlorum non habent contrarium; sed corpora cœlestia sunt composita ex materia, & forma; ergo non materia, sed contrarietas est causa incorruptibilitatis. Confirmatur; quia, juxta commune proloquium; *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; sed ex dictis, materia prima non est corruptibilis; ergo neque causa corruptibilitatis,

8 Resp. disting. mai. corpora cœlestia sunt

in corruptibilia ab extrinseco, concedo; ab intrinseco, nego, & concessa minori, disting. conseq. non materia, sed contrarietas est causa corruptibilitatis ab extrinseco, concedo, ab intrinseco, nego. Utrumque enim requiritur, ut aliquid absolutè dicatur corruptibile, scilicet, & quòd sit compositum ex materia, & quòd habeat contrarium; quocumque enim deficiente, non absolutè, sed cum addito, dicetur aliquid corruptibile, vel incorruptibile; ideòque corpora cœlestia, cùm constent materia prima, & non habeant contrarium, dicuntur incorruptibilia ab extrinseco, non verò ab intrinseco. Ad confirmationem respondetur, illud commune proloquium tantùm esse verum, quando id, in quo fit comparatio, convenit, tàm causæ, quàm effectui, & aliàs recipit magis, & minus; quorum utrumque deficit in præsenti, nam corruptibilitas, in qua fit comparatio, non convenit materiæ primæ, neque recipit magis, & minus.

9 Dices: ergo materia nequit esse causa corruptionis. Patet consequentia; quia unum oppositum nequit esse causa alterius; corruptibile, & incorruptibile sunt opposita; ergo si materia est incorruptibilis, nequit esse causa corruptibilitatis. Resp. neg conseq. Ad probationem dicimus; materiam primam non esse causam corruptibilitatis compositi, quatenus ipsa est incorruptibilis, sed quatenus est corruptibiliter unibilis formæ, ratione suæ potentialitatis; sicut Sol v. gr. qui est incorruptibilis, dicitur suo modo causa corruptionis rerum.

DISP.

DISP. III.

De privatione secundo principio corporis naturalis.

Dicitur privatio secundum principium corporis naturalis, non ordine perfectionis, ut sic enim forma est prior privatione, sed ordine naturæ, nam ut sic ad mutationem substantialem præcedit privatio formam, cùm sit terminus à quo, & forma terminus ad quem: quapropter priùs de privatione, quàm de forma sermonem instituimus. Sit ergo

QUÆSTIO UNICA.

De pertinentibus ad privationem.

1 Notandum est, privationem multipliciter posse sumi, ut notavit Scotus in 1. dist. 28. quæst. 2. §. *quantùm ad primum*, vers. *Privatio*, sub litt. B. scilicet strictè, seu propriè, communiter, seu impropriè, & magis communiter, seu magis impropriè. Privatio strictè, & propriè dicitur, quando subjectum caret aliqua forma, quam secundùm suam propriam rationem specificam natum est habere, & pro illo tempore, pro quo illam habere debet. Hujusmodi est cæcitas, seu privatio visus in homine. Privatio communiter, seu impropriè dicitur, quando subjectum caret aliqua forma, quam secundùm suam rationem specificam natum est habere, non tamen pro illo tempore, quo caret illa. Hujusmodi est cæcitas in catulo antè nonum diem. Privatio magis communiter, & impropriè dicitur, quando subjectum caret aliqua forma, quam natum est habere secundùm suam rationem genericam, non tamen secundùm suam rationem specifi-

cam. Hujusmodi est cæcitas in talpa. Nunc, quæ communiter circa privationem in dubium revocari solent, per sequentes conclusiones proponemus.

2 Dicimus 1. Privatio modo explicato datur in rerum natura. Hæc conclusio est communis, & non indiget probatione, supposita explicatione de supra. Solùm est advertendum, quòd conclusio debet intelligi, ita quod privatio non sit ens rationis, seu aliquid fictum ab intellectu; non tamen ita ut sit aliquod ens reale positivum; est enim mera carentia entis positivi; solet autem appellari ens reale privativum; licèt aliqui dicant, talem locutionem esse impropriam; sed hoc reducitur ad quæstionem de nomine; omnes enim conveniunt in hoc, quod privatio pro formali nullam dicit entitatem realem; & cum ipsam ens reale privativum appellant, non accipiunt ens reale, ut dicit verum esse entitativum, sed ut præcisè opponitur enti per intellectum, quod nullum videtur inconveniens, cùm oriatur ex indigentia vocum ad disputandum de privatione. Propter eandem rationem solet negatio ens reale negativum appellari.

3 Dicimus 2. Privatio sic communiter definitur; *est carentia formæ in subjecto apto illam habere*. Dicitur *carentia*, in quo convenit privatio cum qualibet negatione. Dicitur *in subjecto*, in quo differt privatio à negatione extra genus, quæ opponitur affirmationi simpliciter, & nullum connotat subjectum; ut negatio hominis, negatio lapidis, &c. absolutè sumpta. Dicitur *apto illam habere*, in quo differt privatio à negatione intra genus, quæ, licet connotet subjectum, non tamen aptum habere formam, imò potiùs ineptum, ut negatio visus in lapide.

4 Ex quo sequitur, quòd privatio est terminus connotativus, adhuc in abstracto sumpta.

Pa-

Patet, quia terminus connotativus est, qui ita significat formam, ut simul connotet subjectum habens illam, sed privatio, adhuc in abstracto sumpta, v.gr. cæcitas, ita significat carentiam formæ, v.gr. visus, ut simul connotet subjectum aptum talem formam habere, ergo est terminus connotativus. Unde ulteriùs sequitur, quòd licèt privatio pro formali, & in recto nihil positivum importet, cùm ut sic immediatè enti positivo opponatur, tamen de connotato, & in obliquo importat ens positivum, scilicet subjectum aptum habere formam.

5 Dicimus 3. Materia prima verè dicitur privata formis, quas non habet. Conclusio est communis, & probatur ex ipsa descriptione privationis, privatio enim est carentia formæ in subjecto apto illam habere, sed materia prima verè habet carentiam formarum, quas non habet, & aliàs est subjectum aptum illas formas habere, ergo verè dicitur privata formis, quas non habet.

6 Arg. contra, materia prima, dum est sub una forma, nequit naturaliter simul habere alias, ergo dum est sub una forma, non est subjectum aptum habere alias, & consequenter nequit dici, illis privata. Propter hoc argumentum, dicunt aliqui, materiam primam, dum est sub una forma, non esse propriè, & strictè ceteris formis privatam, sed tantùm communiter, & impropriè, hoc est, materiam primam, secundùm suam rationem specificam, esse privatam formis, quas non habet, dum est sub una, quia secundùm talem specificam rationem est subjectum aptum illas habere, non tamen est subjectum aptum illas, pro tempore, quo est sub una, habere, sicut catulus dicitur privatus visu ante nonum diem communiter, & impropriè; quia licèt secundùm suam rationem specificam sit subjectum aptum habere visum, non tamen pro omni tempore, sed post nonum diem. Tamen non videtur, cur debeat negari ma-

teriæ primæ propria, & stricta privatio formarum, quas non habet, adhuc ut est sub una; ideòque

7 Resp. ad argumentum disting. antec. materia prima, dum est sub una forma, nequit naturaliter simul habere alias, simultate actus, seu in sensu composito, concedo; simultate potentiæ, seu in sensu diviso, nego, & neg. conseq. Licèt enim verum sit, materiam primam non posse simul plures formas habere naturaliter; tamen poterat naturaliter pro eodem instanti, pro quo habet unam, habere quamlibet aliam; quod sufficit, ut pro quolibet tempore, seu instanti dicatur privata formis; quas non habet, & sic strictè, & propriè; hoc nullatenus contingit in catulo; nam hic pro eodem tempore, quo habet impedimentum à natura constitutum, hoc est, ante nonum diem, nequit habere visum, ideòque pro illo tempore nequit strictè dici privatus visu. Videantur, quæ diximus quæst. 5. disp. antec. n. 10.

8 Arg. contra: privatio communiter sumpta nullam imperfectionem ponit in subjecto; quia licèt hoc ex se sit aptum habere formam, non tamen pro illo tempore, pro quo habet impedimentum: ergo si habet aliquod impedimentum pro tempore, pro quo aptum est habere formam, privatio necessariò secum adducet aliquam imperfectionem subjecto: sed materia prima, dum est sub una forma, habet impedimentum ad alias recipiendas: ergo si pro eodem tempore, pro quo est sub una forma, est subjectum aptum habere alias, erit in statu imperfecto: hoc non est dicendum: ergo materia prima ut est sub una forma non est subjectum aptum habere alias; & consequenter nequit strictè dici illis privata. Resp. disting. primum conseq. est enim verum, si tale impedimentum non sit conforme naturæ subjecti; falsum autem, si sit conforme. Similiter distinguenda est minor,

nor,

nor, & neg. conseq. Quælibet enim forma est juxta naturalem inclinationem materiæ primæ, unde, licèt forma, quam habet, sit impedimentum ad alias simul habendas, quas nata est habere pro eodem tempore, nullam imperfectionem habet materia propter strictam illarum privationem.

9 Dicimus 4. Privationes suam unitatem, tam specificam, quàm numericam, desumunt ab unitate specifica, & numerica formarum, quarum sunt privationes. Probatur: quia quodlibet habet unitatem eo modo, quo habet esse: sed esse privationum pro formali tantùm est carentia formarum: ergo quælibet illarum unitas desumi debet ab unitate formarum. Unde, tot privationes numero, vel specie distinctas habet materia, quot sunt formæ numero; vel specie distinctæ, quibus ipsa materia caret.

10 Advertendum tamen est, quòd hoc intelligitur de privationibus formaliter sumptis, & in eodem subjecto existentibus; si tamen considerentur connotativè, sunt numero distinctæ propter numericam distinctionem subjectorum sicut enim materia Petri v. gr. & materia Pauli numero distinguuntur, ita distinguuntur numero privatio formæ ignis v.gr. quam habet materia Petri; & privatio ipsius formæ ignis, quam habet materia Pauli, licèt forma ignis eadem numero sit.

11 Dicimus 5. Privatio realiter distinguitur à materia. Probatur: quia nullum majus signum distinctionis realis, quàm realis separatio: sed privatio separatur à materia per adventum formæ, cujus est privatio: ergo realiter à materia distinguitur. Hæc distinctio non est positiva, sed tantùm privativa, eò quòd distinctio positiva necessariò requirit positiva extrema, cujusmodi non est privatio. Ubi adverte, quòd si privatio sumatur pro connota-

to; non distinguitur realiter à materia; quod nihil aliud est, quàm dicere, quòd connotatum privationis est ipsa materia.

DISP. IV.

De forma substantiali tertio principio corporis naturalis.

ORdine naturæ tertium principium corporis naturalis est forma substantialis; ideò postquam egimus de materia prima, & privatione, prædictum ordinem observando; de substantiali forma venit agendum. Sit ergo

QUÆSTIO I.

An detur, & quid sit forma substantialis?

1 MUltipliciter potest accipi forma. Alia enim dicitur forma naturalis, ut forma ignis; alia artificialis, ut forma cathedræ. Rursus naruralis alia dicitur substantialis, ut prædicta forma ignis; alia accidentalis, ut quantitas, & quælibet alia accidentia. Deinde substantialis alia dicitur assistens, ut intelligentia movens Cœlum; alia informans, ut quælibet forma actuans materiam, & unum per se cum illa constituens. Adhuc informans alia dicitur spiritualis, ut anima rationalis, de qua non est difficultas; certum enim est, apud Catholicos, dari animam rationalem, & de illa agitur in libris de Anima. Alia dicitur materialis, eò quòd à materia dependeat; & hæc reducitur ad quatuor gradus; in primo, & omnium imperfectissimo, ponuntur formæ elementorum: in secundo formæ mistorum non viventium: in tertio formæ plantarum: & in quarto formæ animalium. Quæstio solùm procedit de forma

ma substantiali informante, & materiali.

2 Dicimus 1. Datur prædicta forma substantialis. Conclusio est communis contra aliquos Philosophos antiquos; quos refert Arist. 2. Physic text. 22. & 1. de partibus animalium, cap. 1. qui cognoscentes materiam primam, asserebant, ipsam esse totam substantiam rerum naturalium, & solùm res naturales inter se per accidentia differre; ut testatur ipse Aristot. 1. Metaph. cap. 2. & 3. Tenet tamen Philosophus nostram conclusionem pluribus in locis, quos valdè molestum esset recensere. Pluribus rationibus solet probari conclusio, ex quibus aliquas signabimus; in re enim tam recepta, & parum controversa, non debet multum immorari.

3 Prima ratio est; res naturales sunt substantiæ compositæ; ergo constant aliqua parte substantiali, præter materiam primam; hæc nequit esse alia, quàm substatialis forma; ergo substantialis forma debet admitti. Secunda; composita substantialia substantialiter differunt, ut patet in homine, & ligno v. gr. hæc differentia nequit à materia prima provenire; hæc enim in omnibus compositis est ejusdem rationis, ut suo loco diximus; ergo debet in illis assignari alia pars, à qua talis differentia proveniat; hæc pars nequit esse alia, quam forma substantialis; ergo in compositis substantialibus datur talis forma.

4 Tertia; si non daretur substantialis forma, neque generatio substantialis daretur; sed datur generatio substantialis: ergo & substantialis forma. Patet sequella; quia generatio substantialis est substantialis productio; sed materia prima non producitur per generationem: supponitur enim à Deo creata; & accidentia non sunt quid substantiale; ergo aliquid substantiale distinctum à materia prima producitur per substantialem generationem; hoc nequit esse nisi

forma substantialis; ergo. Prædictæ rationes habent vim, ex suppositione generationis substantialis, & substantialium compositorum; ex alio verò capite potest addi.

5 Quarta ratio: experientia constat, aliqua accidentia naturaliter convenire aliquibus rebus, & aliquibus disconvenire: calor v. gr. convenit naturaliter igni, ac disconvenit aquæ: ergo in illis debet assignari aliquid, ratione cujus hoc ita contingat: sed nequit esse materia prima; hæc enim, cùm in omnibus sit ejusdem rationis, indifferenter se habet ad quælibet accidentia: ergo est aliquid distinctum à materia prima: sed non aliquod accidens; ergo aliqua substantia, & hæc dicitur forma substantialis. Prob. min. quia de illo accidenti posset inquiri, ratione cujus convenit materiæ? & non potest dici, quòd ratione sui, quia idem posset dici de aliis accidentibus, cùm non appareat diversa ratio; & hoc nullatenus conceditur; neque ratione alterius accidentis; nam de illo idem posset inquiri, & sic in infinitum, quod non est admittendum; ergo dicendum est, nullum accidens esse rationem, propter quam alia accidentia conveniunt materiæ primæ, seu aliquibus rebus substantialibus, & non aliis; & consequenter talis ratio debet esse quid substantiale: & hoc forma substantialis appellatur; ergo. Parvi momenti sunt argumenta contra hanc conclusionem, quapropter, & quia ex dictis, & dicendis facile solvuntur, illa omittimus.

6 Dicimus 2. Forma substantialis sic communiter definitur; *est substantia incompleta nata actuare materiam, & unum per se cum illa constituere*. Dicitur *substantia incompleta*, in quo convenit cum materia prima, & distinguitur tam à composito substantiali, quàm ab accidentibus. Dicitur *nata actuare materiam*, per quod distinguitur à materia prima, quæ non actua-

actuare, sed recipere nata est. Dicitur & *unum per se cum illa constituere*, per quod declaratur finis actuationis formæ: forma enim determinat materiam, ipsam actuando, ad constitutionem compositi substantialis. Unde constat bonitas definitionis.

7 Aliqua hic veniunt advertenda. Primò, quod quando Aristot. 2. Physic. text. 28. dicit: *Forma est quod quid erat esse rei*, intelligitur, quod forma est id, quo res constituta ex ipsa, constituitur in certa, & determinata specie rerum; non tamen, quod forma sit totum esse substantiale rei: nam, ut suo loco diximus, etiam materia prima est de substantiali essentia compositi. Secundò, quòd benè definitur forma substantialis per hæc verba: *Est actus substantialis materiæ*; vel, *Est actus primus*, sumpto primo pro substantiali: ponitur autem supradicta definitio ad majorem claritatem. Tertiò, quod definitio est essentialis, sumpta actuatione radicaliter, id est, pro radice virtutis actuativæ, seu informativæ: sumpta verò actuatione formaliter, seu pro ipsa aptitudine ad actuandum, definitio est descriptiva; talis enim aptitudo est propria passio formæ: sumpta autem actuatione pro ipso actuali informare, definitio est accidentalis, actualis enim informatio est accidens realiter à forma distinctum. Hoc patet ex dictis in simili loquendo de materia prima. Ex dictis etiam de ipsa materia prima, potest colligi, quomodo possit dici formam substantialem habere naturalem inclinationem, & appetitum respectu materiæ primæ.

8 Cognita essentia formæ substantialis, observanda sunt aliqua nomina, quibus appellari solet, nequando ex nomine oriatur æquivocatio. Dicitur *forma*, quia format ruditatem materiæ. Dicitur *actus*, quia ipsam materiam actuat, & perficit. Dicitur *terminus*, quia limitat indifferentem potentialitatem materiæ

Dicitur *character*, quia est signum, & nota ad cognoscendam quamlibet rem, & ipsam à cæteris distinguendam. Dicitur *ratio*, & *quidquid erat esse*, quia est precipua pars, seu ratio compositi naturalis. Dicitur *exemplar*, quia agentia naturalia nituntur suos effectus producere ad similitudinem formæ, quam habent. Dicitur *species*, & *pulchrum*, & quia est pulchritudo decorans materiam, & quia universi pulchritudo à forma ducit originem. Dicitur *mens*, quia est quædam similitudo primi, ac puri actus, & divinæ mentis; propter quod etiam dicitur *quidpiam divinum*, & *divina soboles*.

QUÆSTIO II.

An formæ educantur de potentia materiæ?

1 UT clarè in hac quæstione procedamus, ante ipsius resolutionem, scire oportet; in quo formaliter consistat eductio, ut est actio à creatione distincta; quapropter in duas sectiones illam dividemus; quarum sit

SECTIO I.

In qua proponitur ratio eductionis.

2 DUplex circa eductionem communiter circumfertur sententia. Prima asserit, necessariò requiri ad eductionem, quod in materia præcedat quædam forma substantialis perpetuò coæva materiæ, quæ ratio seminalis, seu inchoatio formarum appellatur, & ex qua tanquam ex seminario cæteræ formæ educantur. Hæc sententia fundatur in eo, quòd alias eductio nullatenus à creatione distingueretur, neque corruptio ab annihilatione; quod patet: nam si in materia non præcessit aliquid formæ, quæ de novo producitur, produceretur ex nihilo sui: ergo crearetur; creatio enim nihil aliud est, quàm productio rei ex nihilo sui. Deinde si nihil formæ, quæ destruitur, remaneret in materia, de-

struc-

struëretur, nihilo ejus remanente: ergo annihilaretur; annihilatio nihil aliud est, quam destructio rei, nihilo ejus remanente: ergo si non daretur talis forma seminalis, seu coæva materiæ, nulla daretur eductio distincta à creatione; neque corruptio ab annihilatione distincta.

3 Secunda sententia, & communior tenet, ad rationem eductionis nihil aliud requiri, nisi, quod forma, quæ dicitur educi, dependeat in suo fieri à materia concurrente in genere causæ materialis ipsam formam recipiendo. Nunc

4 Dicimus 1. Ad eductionem, ut à creatione distinctam, non præcedit in materia aliqua ratio seminalis, quæ sit forma coæva materiæ. Hæc conclusio est expressa Scoti in 2. dist. 18. qu. unica, per totam, in qua impugnat primam sententiam. Probatur ab Scotistis conclusio rationibus ex ipso Scoto deductis. Prima est: quia illa forma coæva materiæ necessariò est imperfectior (ipsis adversariis consentientibus) forma per generationem producenda: sed in his, quæ sunt ejusdem rationis, imperfectius non agit nisi in virtute perfectioris: ergo illa forma, quæ præcedit in materia, vel nihil agit; vel agit in virtute formæ producendæ, quod est impossibile, cùm illa nondum sit.

5 Secunda ratio est: illa forma præcedens debet esse ejusdem rationis cum forma generanda: sed agens, quod in virtute sua continet formam perfectiorem, continet etiam imperfectiorem ejusdem rationis: ergo sicut forma perfectior ponitur in esse per generans, ita poterit poni forma imperfectior; & consequenter non necessariò præcessit in materia aliqua seminalis forma illam perpetuò concomitans.

6 Tertia: quia forma, quæ generatur, vel præfuit in materia, vel non? Si præfuit: ergo nihil de novo producitur per generationem, quod nullatenus est admittendum; cum generatio sit vera, & realis actio productiva. Si

non

non præfuit, sed est distincta ab illa forma coæva materiæ: ergo creatur, cùm ex nihilo sui producatur; & consequenter incidunt tenentes primam sententiam in inconveniens ab ipsis adductum, ut talem formam coævam materiæ inducant. Confirmatur hæc ratio: quia, vel ponunt prædictam formam coævam materiæ, ut in materia præcedat formaliter forma producenda, vel ut præcedat tantùm virtualiter? Non ut præcedat formaliter; quia non admittunt, esse illam formam coævam ipsam formam producendam formaliter; aliàs & nihil de novo produceretur; & materia cum illa tantùm forma coæva constitueret formaliter omnia composita substantialia: ergo ponunt prædictam formam coævam, ut in materia virtualiter contineatur forma producenda: sed ad talem virtualem continentiam non requiritur, quod in materia præcedat aliqua forma: ergo. Minor patet: quia causa efficiens v. gr. continet virtualiter effectum: sed talis effectus non præfuit aliquo modo in causa efficiente: ergo ad virtualem continentiam formæ non requiritur, quod præcedat aliquomodo forma in materia; ac per consequens, &c.

7 Dicimus 2. Eductio formæ de potentia materiæ consistit in hoc, quod forma producatur dependenter à materia, id est, ipsa materia concurrente in genere causæ materialis formam recipiendo. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & plures alios, licèt in illius explicatione varient. Probatur tamen: quia eductio sumitur pro productione, ut à creatione distincta: sed creatio est productio rei independenter à subjecto, seu non concurrente subjecto: ergo eductio est productio rei, seu formæ dependenter à subjecto, seu concurrente subjecto modo dicto.

8. Nunc facilè respondetur ad fundamentum oppositæ sententiæ: negamus enim eductionem

nem non distingui à creatione, neque destructionem, seu corruptionem ab annihilatione, nisi præcedat aliqua seminalis forma in materia. Etenim creatio excludit omnem aliam causalitatem secundam, ita ut creans nihil præsupponat, quod simul cum illo concurrat in aliquo genere causæ; at verò generatio, seu eductio non excludit aliam causalitatem; imò generans, seu educens formam necessariò præsupponit materiam, seu subjectum, quod simul cum illo concurrat in genere causæ materialis recipiendo formam, quæ dicitur educi; & in hoc distinguitur creatio ab eductione, seu generatione. Similiter annihilatio est destructio rei, nullo subjecto remanente; corruptio verò est destructio rei, remante subjecto, à quo id, quod corrumpitur, dependebat in suo esse: & in hoc distinguitur annihilatio à corruptione.

9. Circa explicationem conclusionis variant Scotistæ: aliqui enim dicunt, materiam concurrere ad eductionem formæ, ipsam recipiendo, priusquam ipsi materiæ uniatur; ita ut forma priùs natura sit producta, & recepta in materia, quam ipsi materiæ unita. Alii autem asserunt, ita concurrere materiam ad eductionem formæ, ut ipsa eductio sit actio unitiva formæ ipsi materiæ, & non præsupponatur educta forma de potentia materiæ priùs natura, quam ipsi uniatur.

10. Secundus modus dicendi habet fundamentum in Scoto, nam in 2. dist. 17. quæst. 1. §. *primum argumentum*, litt. C. clarè denotat, formas materiales produci productione totius; & certum est, actionem productivam totius esse unitivam formæ cum materia. Deinde in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *ideò*, vers. *Secunda conclusio*, sub lit. GG. dicit, quod forma materialis ideò nequit creari ab agente creato, quia priùs natura, quam uniretur materiæ, seu subjecto, reci-

pe-

peret esse à creatura, quod est impossibile; nam sequeretur, quod sicut illam produceret ante unionem, seu informationem, posset etiam sine unione, seu informatione conservare, quod nequit dici: ergo sentit Scotus, formam materialem, quæ educitur de potentia materiæ, non produci priùs natura, quam uniatur; & consequenter unio necessariò includitur in eductione.

11 Deinde, potest confirmari hic modus dicendi à ratione contra primum: quia in eductione forma dependet à materia concurrente in genere causæ materialis ipsam formam recipiendo: sed nequit intelligi quid sit receptio formæ in materia, nisi, quod forma materiæ uniatur: ergo non priùs recipitur forma, quæ educitur, in materia, quam ipsi materiæ uniatur. Si autem, juxta primum modum dicendi, potest recipi priùs natura forma in materia, quam ipsi uniatur, explicent nobis hoc tenentes, quid dicat receptio formæ in materia, ut receptio distinguitur ab unione? Quod quidem difficulter, imò impossibiliter præstabunt.

12 Dices: unio formæ educitur de potentia ipsius formæ: ergo forma supponitur prioritate naturæ ad unionem. Patet consequentia: quia materia supponitur prioritate naturæ ad formam, eo quod forma educitur ex ejus potentia. Potest responderi primò distinguendo antec. Unio formæ educitur de potentia ipsius formæ, ita ut etiam unio sit ratio formalis, qua educitur ipsa forma de potentia materiæ, concedo; ita ut unio non sit talis ratio, nego, & neg. conseq. Etenim unio formæ ita educitur de potentia formæ, ut etiam sit ratio formalis, qua ipsa forma educatur de potentia materiæ; & consequenter unio est necessaria conditio, qua forma in rerum natura existat; conditio autem ad existendum nequit præsupponere existens id, ad cujus existentiam requiritur; unde

de patet diſparitas de eductione formæ de potentia materiæ: nam forma educitur de potentia materiæ, quin ſit ratio, ſeu conditio ad exiſtentiam materiæ, imò illam præſupponit exiſtentem, quippè productam per actionem creativam prorſus à forma independentem.

13 Secundò poteſt reſponderi aliis terminis diſting. antec. unio formæ educitur de potentia ipſius formæ præcisè, nego: coeducitur, id eſt, educitur de potentia formæ ſimul cum eductione ipſius formæ de potentia materiæ, concedo; & neg. conſeq. Quia, licèt id, quod præcisè educitur de potentia alterius, ſit poſterius natura illo, quia ut ſic neceſſariò præſupponit illud productum per aliam actionem diſtinctam ab eductione; ut contingit in forma reſpectu materiæ; tamen id, quod coeducitur, ſeu educitur de potentia alicujus eadem actione, qua illud aliud etiam educitur de potentia alterius, non eſt poſterius natura illo, imò eſt cum illa ſimul natura; quod contingit in unione, & forma; eadem enim actione, educitur forma de potentia materiæ, & unio de potentia formæ; ideòque unio non eſt poſterior natura forma, imò ſimul natura cum illa. Quòd autem ſit eadem actio productiva formæ, & unionis ex parte agentis naturalis, patet ex Scoto citato n. 10.

14 Ubi ad majorem intelligentiam eductionis aliqua notanda ſunt. Primò, quòd, ut aliquid educatur de potentia materiæ requiritur, quòd ſit entitativè proportionatum cum ipſa materia. Secundò, quòd ad eductionem non requiritur, quòd id, quod educitur, dependeat à materia in fieri, & conſervari, ſed ſufficit, quòd in fieri tantùm dependeat à materia; nam ſi aliqua forma fiat dependenter à materia, & poſteà talis forma conſervetur à Deo independenter ab ipſa materia, verè erit educta de potentia materiæ: quòd patet in accidentibus Euchariſtiæ. 3. quòd ad rationem eductionis non requiritur,

quòd

quòd subjectum sit in potentia naturali respectu formæ, quæ dicitur educi; nec requiritur, quòd producatur talis forma à causa secunda; sed sufficit, quòd in sua productione forma dependeat à materia, seu subjecto; v. gr. calor productus in aqua, ipsa aqua concurrente in genere causæ materialis, dicitur educi de potentia aquæ, licèt aqua non dicat potentiam naturalem, prout naturale opponitur violento, ad calorem: & hoc sive producatur à causa prima, scilicet à Deo; sive à causa secunda, scilicet ab agente creato.

SECTIO II.

In qua resolvitur quæstio.

15 HIc supponitur, Animam rationalem non educi de potentia materiæ, sed immediatè à Deo creari, quod fatentur omnes Theologi, & Philosophi Catholici, ut quid diffinitum in pluribus Conciliis: & sic credendum est, demonstrari autem non potest, ut benè advertit Scotus. Videatur in 2. dist. 17. quæst. 1. §. *quidquid sit de hoc*, vers. *Sed quid est*, sub litt. A. Et in 4. dist. 43. quæst. 2. §. *de tertia propositione*, & deinceps.

16 Dicimus 1. Omnes formæ materiales sublunares, tam substantiales, quàm accidentales, educuntur de potentia subjecti, distributione accommoda; hoc est, substantiales de potentia materiæ primæ, seu corporis organici, si sint formæ viventium, & accidentales de potentia subjecti, cui inhærent. Hæc conclusio, generaliter loquendo, ab omnibus Philosophis admittitur. Probatur: quia sæpiùs omnes prædictæ formæ producuntur ab agentibus creatis: sed agentia creata non possunt aliquid producere independenter à subjecto concurrente in genere causæ materialis ad talem productionem: ergo

ergo omnes prædictæ formæ educuntur de potentia materiæ, seu subjecti. Diximus *formæ accidentales materiales*, quia circa formas spirituales, præcipuè, supernaturales, ut sunt habitus Fidei, Spei, Charitatis, &c. quid videatur tenendum, in Theologia dicitur. Pro nunc autem consequenter ad supradicta potest dici, quòd prædicti habitus non educuntur de potentia subjecti, sed immediatè creantur à Deo; quippè, cùm sint altioris ordinis, quàm subjecta; hæc enim sunt ordinis naturalis, illi verò supernaturalis ordinis, videntur exigere, independenter à subjecto produci. Actus verò prædictorum habituum educuntur de potentia subjecti; quia producuntur ab agentibus creatis, scilicet ab ipsis habitibus simul cum intellectu, & voluntate, quæ nequeunt aliquid independenter à subjecto producere: & aliàs jam subjectum, scilicet anima est elevata per habitus ad supernaturalem ordinem.

17 Dicimus 2. Formæ Cœlorum, & Elementorum in prima sui productione eductæ fuerunt de potentia materiæ. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & plures alios contra Thomistas communiter, & deducitur ex Scoto in 2. dist. 17. quæst. 1. Probatur: quia Deus, ut agens naturale, sequitur, in productione rerum, modum, rebus, quæ producuntur, magis connaturalem: sed formis Cœlorum, & Elementorum magis connaturale est educi de potentia materiæ, quàm creari: ergo. Prob. min. quia prædictæ formæ sunt materiales, corporeæ, & ejusdem rationis cum materia; & aliàs nullas operationes habent independenter à materia, ut omnes fatentur: ergo magis connaturale est prædictis formis produci dependenter à materia, quod est educi de potentia illius, quàm produci independenter ab illa, quod est creari; ac per consequens, &c.

18 Arg. 1. Formæ Cœlorum, & Elementorum

rum fuerunt creatæ à Deo, juxta illud Genes. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram:* ergo non fuerunt eductæ de potentia materiæ. Resp. quòd illud Genes. non intelligitur de creatione propriè dicta, ut dicit productionem rei, nullo præsupposito subjecto; sed intelligitur de creatione latè sumpta, prout comprehendit quamcumque productionem novi esse, sive fiat ex præsupposito subjecto, sive non; seu, ut comprehendit id, quod factum est ex nihilo, vel id, quod dependet ex aliquo, quod factum est ex nihilo; & in hoc sensu potest quælibet productio rei temporalis dici creatio; quia ut sic non opponitur generationi, seu eductioni. Quòd autem prædicta verba modo explicato intelligantur, deducitur ex ipso contextu; nam de homine dicitur, quòd fuerit creatus, & tamen productus fuit à Deo de limo terræ præsupposito. Et deinde cap. 2. dicitur: *Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ.*

19 Arg. 2. Partes alicujus compositi non producuntur per se, sed comproducuntur in productione totius: sed Cœlum, & Elementa in prima sui productione fuerunt creata, quippè producta ex nihilo eorum præsupposito, ergo illorum formæ non fuerunt eductæ, sed concreatæ in eorum creatione. Ad majorem respondet Scotus supra cit. quòd est vera, quando partes non producuntur alia productione à productione totius; est autem falsa, quando alia productione producuntur. Quod patet in productione hominis, in qua non comproducitur anima rationalis, eò quòd datur alia actio, scilicet creativa priùs natura terminata ad animam, quàm detur actio unitiva ipsius animæ ad corpus, quæ est actio productiva hominis. Unde, si minor argumenti esset vera, teneret argumentum, nam si Cœlum, & Elementa essent creata, tam materia, quàm forma illorum dicerentur concreatæ, & formæ non dicerentur

tur

tur eductæ; tamen negamus minorem; quia in productione Elementorum, & Cœlorum non fuit unica, sed duplex actio; altera creativa materiæ primæ, & altera productiva Cœlorum, & Elementorum, quæ est vera illorum generatio, & eductio formarum de potentia materiæ, quæ per actionem creativam ad ipsam terminatam præcessit prioritate naturæ ipsas formas; quę prioritas sufficit, ut dicantur produci præsupposito subjecto, & ut productiones Cœlorum, & Elementorum dicantur generationes, licèt non mutationes, ut colligitur ex dictis loquendo de principiis corporis naturalis, & ampliùs patebit in lib. de generat.

20 Arg. 3. Ex eo colligitur, formas Cœlorum, & Elementorum educi de potentia materiæ, quòd nequeant naturaliter sine materia produci: sed neque anima rationalis producitur naturaliter sine corpore; & tamen non educitur de potentia corporis: ergo non sufficit prædicta ratio, ut formæ Cœlorum, & Elementorum; de potentia materiæ dicantur educi. Resp. disting. mai. ex eo formæ Cœlorum, & Elementorum dicuntur educi de potentia materiæ, quia nequeunt produci sine materia prę cisè, nego; quia nequeunt produci sine materia concurrente in genere causæ materialis ad productionem illarum, concedo. Disting. etiam min. Anima rationalis non producitur naturaliter sine corpore, ita ut corpus præsupponatur ad productionem animæ præcisè, concedo: concurrendo ad productionem animæ in genere causæ materialis, nego. Anima enim immediatè, & sine concursu corporis creatur à Deo, licèt nunquam creetur, nisi supposito corpore, cui uniatur actione distincta ab actione creativa animæ; unde neg. conseq.

21 Si autem dubites: quare, supposito quòd ad productionem animæ præcedat corpus, in quo producatur; sicuti ad productionem

for-

formarum Cœlorum, & Elementorum præcedit materia, in qua producantur, non concurrat corpus in genere causæ materialis ad productionem animæ rationalis, sicut concurrit materia ad productionem formarum Cœlorum, & Elementorum. Resp. esse disparem rationem; formæ enim Cœlorum, & Elementorum proportionantur cum materia entitativè, quippè sunt materiales, & corporeæ; anima verò rationalis cùm sit entitativè spiritualis, non sic proportionatur cum corpore, & hæc differentia sufficit ad propositum. Potest tamen aliud discrimen assignari, scilicet, quòd formæ Cœlorum, & Elementorum nullas operationes habent independenter à materia; anima verò rationalis habet operationes independenter à corpore; quapropter cùm homo destruitur, conservatur naturaliter anima rationalis, ut illas operationes exerceat; & cum naturalis conservatio sit continuata productio naturalis; quòd anima possit naturaliter conservari sine corpore, est signum, quòd fuit producta independenter ab illo.

QUÆSTIO III.

An plures formæ substantiales non subordinatæ possint informare eandem numero materiam?

1 NOn loquimur in præsenti de formis substantialibus subordinatis; ut sunt in sententia Scoti forma organica corporeitatis, & forma viventis: has enim naturaliter simul esse de facto in eadem materia dicemus cum Scoto in lib. de generatione. Solùm loquimur de formis substantialibus non subordinatis; ut sunt forma ignis, lapidis, &c. & non procedit difficultas naturaliter, seu de potentia ordinaria: quia ut sic est communis consensus Philosophorum,

rum, non posse plures formas substantiales eandem numero materiam informare; & patet ex eo quòd diversæ formæ disparatæ, ut sunt forma ignis, & lapidis, naturaliter exigunt diversas, & incompossibiles dispositiones; ergo & prædictæ formæ sunt naturaliter incompossibiles in eadem materia; unde juxta naturalem exigentiam formarum ortum est illud commune proloquium; *generatio unius est corruptio alterius*. Hoc intelligitur de pluribus formis diversæ speciei, loquendo autem de formis ejusdem speciei, ex eo nequeunt esse naturaliter simul in eadem materia; quòd agens naturale intendit assimilare sibi passum; ideòque nequit agere in omninò sibi simile; undè ignis v.gr. nequit producere formam ignis in materia alteram formam ignis habente; quia cùm supponat passum sibi omninò simile, nequit in illud aliquam actionem exercere. Procedit ergo difficultas supernaturaliter, seu de potentia Dei absoluta.

2 Circa quam duplex est ex diametro opposita sententia. Prima negat, hoc posse contingere, adhuc supernaturaliter; quam communiter tenent Thomistæ, & aliqui Scotistæ citantes pro se Scotum aliquibus in locis, de quibus posteà. Secunda affirmat, & eam tenent quamplures Jesuitæ; & etiam plures Scotistæ, inter quos Mastrius disp. 5. quæst. 4. & Poncius disp. 4. quæst. 3. & deducitur ex Scoto in 4. dist. 10. quæst. 2. §. *ad rationes*, vers. *Ad secundum*, sub litt. P. Et licèt infrà, vers. *Dico tamen*, videatur oppositum tenere, non licet ex ibi dictis mentẽ Scoti colligere, ibi enim tantùm intendit, ex casu posito in argumento de eodem corpore in duplici loco, non sequi eandem materiam informari duplici forma disparata.

3 Dicimus cum secunda sententia; plures formæ substantiales non subordinatæ possunt simul supernaturaliter, seu de potentia Dei ab-

so-

soluta eandem numero materiam informare. Probatur: quia in hoc nulla apparet repugnantia: ergo potest supernaturaliter evenire. Consequentia tenet: quia quidquid repugnantiam non includit, à Deo supernaturaliter fieri potest. Antecedens (licèt ampliùs patebit ex solutione argumentorum) potest probari primò: quia non repugnat ex parte materiæ, cùm materia dicat potentiam naturalem, & appetitum ad omnes formas, ita ut licèt sit sub una forma, non amittat potentiam naturalem, & appetitum ad alias. Secundò: quia non repugnat ex parte formarum; nam expulsio formæ præexistentis, quam naturaliter exigit forma, quæ de novo inducitur, tantùm est effectus secundarius prædictæ formæ novæ: sed talis effectus potest impediri à Deo; quia expulsio formæ præexistentis non tantùm est effectus formæ advenientis, quantum suspensio concursus causę conservantis illam formam in materia; & solùm dicitur effectus formæ advenientis, quatenus talis forma naturaliter exigit talem suspensionē; & supposita non repugnantia ex parte materiæ, nullum apparet inconveniens in hoc, quòd Deus non suspendat concursum conservativum formæ præexistentis in materia, adveniente forma nova: ergo neque ex parte formarum est repugnantia.

4 Hę probationes possunt confirmari primò; quia licèt ignis v.gr. sufficienter applicatus exigat naturaliter comburere; ita ut nequeat naturaliter non comburere; tamen, quia talis combustio pendet à concursu Dei, potest Deus non concurrere, & sic contra naturalem exigentiam ignis facere; ut contigit in fornace Babylonis; ergo licèt una forma exigat naturaliter expulsionem alterius; cùm talis expulsio pendeat à suspensione concursus, quo Deus conservabat formam præexistentem in materia, poterit Deus contra talem exigentiam naturalem face-

ce-

cere, non suspendendo talem concursum.

5 Confirmatur secundò: quia sicut sunt naturaliter incompossibiles in eadem materia plures formæ substantiales; ita sunt incompossibilia in eodem loco plura corpora quantitativè extensa; sed non obstante hac naturali incompossibilitate, possunt plura corpora supernaturaliter esse in eodem loco, ut dicetur cum Scoto lib. 4. ergo etiam plures formæ substantiales, non obstante incompossibilitate naturali; poterunt simul infirmare eandem numero materiam. Paritas videtur tenere: quia sicut incompossibilitas naturalis plurium corporum in eodem loco oritur ex eo, quòd unum corpus naturaliter exigit expellere aliud ab eodem loco; ita incompossibilitas naturalis plurium formarum substantialium in eadem materia oritur ex eo, quòd una exigit naturaliter ab eadem materia expellere aliam.

6 Respondent negando paritatem hujus confirmationis: & in assignanda ratione disparitatis, diversimodè loquuntur. Alii dicunt, stare in hoc, quòd locus duo dicit, scilicèt ultimam superficiem corporis continentis, & relationem continentiæ, quæ dicunt *Ubi*; & hæc relatio est duplex, quando duplex corpus est in eodem loco, & ita non dicitur propriè duo corpora esse in eodem loco, sed in duplici loco formaliter: at verò plures formæ dicerentur esse formaliter in eadem materia. Sed contra est: quia idem prorsus possumus dicere de materia, scilicèt, quòd dicit duo, & entitatem materiæ, & receptionem formæ; quæ receptio multiplicatur ad multiplicationem formarum: ergo sicut plura corpora possunt contineri ad eadem numero superficie propter multiplicationem relationum continentiæ; ita poterunt plures formæ substantiales informare eandem numero materiam propter multiplicationem receptionum.

7 Alii dicunt, disparitatem consistere in eo, quòd

quòd plura corpora in ratione locali possunt fieri unum: & sic in tali casu, licèt sint plura entitativè, erunt tantùm unum localiter: at verò plures formæ substantiales in virtute informandi nequeunt fieri unum; & sic semper informabunt ut distinctæ. Sed contra est: quia vel corpora accipiuntur in ordine ad locum materialiter, vel formaliter sumptum? Si sumptum materialiter, verum est, quòd fiunt unum localiter: nam hoc nihil aliud est, quàm ab eadem superficie contineri. Sed in hoc sensu etiam plures formæ substantiales possunt dici unum materialiter, seu subjectivè; quia habent idem subjectum, scilicet eandem numero materiam. Si sumptum formaliter, falsum est, quòd plura corpora fiant unum localiter: nam sicut formaliter sunt duo, vel plura loca, scilicet plures relationes continentiæ, seu plura *ubi* activa; ita plura corpora sunt in pluribus locis, seu habent plures relationes continentiæ passivæ, seu plura *ubi* passiva; & in hoc sensu neque plures formæ substantiales sunt unum in informando, sed semper sunt plures; sicut enim datur multiplex receptio ex parte materiæ, ita multiplex informatio ex parte formarum.

8 Alii dicunt, disparitatem stare in eo, quòd locus non dependet essentialiter à corpore, materia verò essentialiter dependet à forma: & cùm nihil possit essentialiter dependere à pluribus causis totalibus non subordinatis; hinc est, quòd plures formæ substantiales non subordinatæ eandem numero materiam informare non possint, licèt plura corpora possint esse in eodem loco. Sed contra est: quia vel loquuntur de ipsa entitate materiæ, vel de receptione formarum? Si de ipsa entitate materiæ, falsum est, dependere essentialiter à forma; & sic responsio nihil est. Si de receptione materiæ respectu formarum; licèt verum sit, quòd talis receptio dependeat à forma; falsum tamen est, quòd aliquid

quid

quid unum dependeat essentialiter à pluribus causis totalibus; nam sicut in tali casu essent plures formæ, & plures informationes ex parte formarum; ita essent plures receptiones ex parte materiæ; & sic, quælibet receptio, sicut quælibet informatio, tantùm ab unica forma dependeret: quod similiter contingeret in casu plurium corporum in eodem loco: nam eadem superficies, à qua continerentur, non dependeret essentialiter entitativè ab illis pluribus corporibus; sed quælibet continentia formalis, seu quodlibet *ubi* dependeret ab uno corpore sibi correspondente. Manet ergo paritas in sua vi, & similiter manet ostensa non repugnantia; quæ ampliùs ex argumentorum solutione patebit.

9 Arg. 1. hoc repugnat ex parte materiæ: ergo nequit supernaturaliter fieri. Prob. antec. quia potentia materiæ primæ non est ad recipiendas simul plures formas: ergo illas simul recipere repugnat ex parte materiæ. Prob. antec. quia potentia materiæ est potentia naturalis, quæ nullatenus est ad plures formas recipiendas, cùm potentiæ receptivæ naturali debeat correspondere agens, seu potentia activa naturalis potens talem potentiam ad actum reducere; aliàs frustranea esset talis potentia; certum autem est, non dari tale agens, seu potentiam activam naturalem, quæ possit simul plures formas in materiam inducere: ergo potentia receptiva materiæ non est ad plures formas simul recipiendas.

10 Resp. neg. antec. & distinguendo antecedens probationis: potentia materiæ est naturalis, prout naturale opponitur violento, concedo. Hoc patet ex dictis loquendo de potentia materiæ. Prout naturale opponitur supernaturali, subdistinguo: in ordine ad recipiendas omnes formas successivè, seu divisivè, concedo; simul & collectivè, nego. Hoc idem est,

ac dicere, quod licet potentia materiæ in ordine ad formas tam divisivè, quam collectivè sumptas, sit naturalis, prout naturale opponitur violento, ita ut non sit violenta materia, sive unam tantum, sive plures formas habeat; tamen, cum agens naturale unicam tantùm formam inducere possit in materiam, & solùm agens supernaturale possit simul plures formas in materiam inducere; tantùm dicitur materia esse in potentia naturali, prout naturale opponitur supernaturali, respectu receptionis unius, vel alterius formæ divisivè; non verò respectu receptionis plurium formarum collectivè; nam ut sic tantum dicitur esse in potentia supernaturali, seu obedientiali. Unde non sequitur, quod potentia naturalis materiæ in ordine ad formas, ut naturale opponitur violento, sit frustranea; nam non requiritur, ut potentia non sit frustranea, quod detur agens naturale illam potens ad actum reducere, sed sufficit, quod detur aliquod agens, sive sit naturale, sive supernaturale. Unde neg. conseq.

11 Arg. 2. aliqui Scotistæ per similitudinem ad argumentum, quo usus est Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2. ad probandum, eandem numero naturam creatam non posse immediatè simul assumi à tribus Divinis Personis, in omni dependentia essentiali implicationem involvit, quod unum dependens simul dependeat à pluribus totaliter, & adæquatè terminantibus illius dependentiam, sed potentia subjectiva materiæ essentialiter dependet, quantum ad informari, & actuari, à formis substantialibus, & quælibet forma totaliter, & adæquatè terminat talem dependentiam, ergo implicationem involvit, quod potentia subjectiva ejusdem numero materiæ simul informetur, & actuetur à pluribus formis substantialibus; & consequenter, &c.

12 Resp. quod potentia receptiva materiæ du-

dupliciter accipi potest. Primò, quatenus dicit receptionem formæ; & ut sic non est unica, sed multiplex receptio, seu informatio passiva; sicut est multiplex actuatio, seu informatio activa, juxta pluralitatem formarum. Unde in hoc sensu falsum est, quòd unicus effectus dependeret à duplici causa totali; seu unicum dependens à pluribus adæquatè terminantibus suam dependentiam; quia in tali casu quilibet effectus, seu quodlibet dependens, scilicet, quælibet receptio, seu informatio passiva dependeret ab unica forma sibi correspondente, tanquam ab unica causa, seu termino adæquato suæ dependentiæ. Secundò, potest accipi potentia receptiva materiæ pro capacitate ipsius materiæ ad recipiendas formas; & in hoc sensu falsum est, quamlibet formam totaliter, & adæquatè terminare dependentiam materiæ; quia potentia subjectiva materiæ est universalis, & solùm ab actu adequato specificatur, ut est forma ut sic, ut sub se comprehendit omnes formas: unde nulla forma particularis est actus adæquatè terminans, seu complens totam capacitatem materiæ. Cum hac distinctione facilè potest in forma responderi.

13 Sed replic. quælibet forma totaliter, & adæquatè informat materiam: ergo est terminus adæquatus illius. Antecedens probatur: nam si quælibet forma non informaret adæquatè materiam, compositum substantiale, quod resultaret ex materia prima, & tali forma non esset totale; & adæquatum, sed partiale, & inadæquatum, adhuc manens in potentia, ut per ulteriorem formam substantialem informaretur, & actuaretur; ut patet in sententia Scoti in composito ex materia, & forma corporeitatis, quod adhuc est in potentia ut actuetur per formam viventis, eò quòd forma corporeitatis non informat adæquatè materiam: ergo.

14 Resp. disting. antec. quælibet forma totaliter, & adæquatè informat materiam: ita ut in-

informet totam materiam, & non aliquam tantùm partem illius, concedo: ita ut nullam potentialitatem, aut capacitatem relinquat in materia, ut possit alia forma informari, saltim supernaturaliter, nego. Similiter neg. antec. probationis, & paritatem de forma corporeitatis. Ratio disparitatis est, quòd compositum ex materia, & forma corporeitatis non ideò dicitur partiale, & inadæquatum, quia non adæquat capacitatem materiæ; sed quia ipsa forma corporeitatis est dispositio ad recipiendam formam viventis, ita ut ipsum compositum ex materia, & forma corporeitatis sit in potentia ad recipiendam formam viventis, & unum per se cum illa constituere, eò quòd forma corporeitatis, & viventis sunt sobordinatæ; quod nullatenus contingit in composito ex materia, & alia forma substantiali; nam tale compositum nullatenus est in potentia ad recipiendam aliam formam, & unum per se cum illa constituere, licèt aliàs relinquat capacitatem in materia ad alias formas recipiendas, quæ non reciperentur in composito ex materia, & forma, sed in ipsa materia immediatè. Unde licèt compositum ex materia, & forma corporeitatis esset partiale, & incompletum, eò quòd ad aliud per se ordinaretur; tamen compositum ex materia, & qualibet alia forma esset totale, & adæquatum, cùm nullatenus per se ordinaretur ad aliud: cùm qualibet enim forma constitueret materia unum per se ab alio independens, ut ampliùs patebit infrà.

15 Arg. 3. Nequit unica natura creata simul à tribus Divinis Personis assumi: ergo neque unica materia informari simul pluribus formis substantialibus. Prob. conseq. quia ex eo unica natura creata nequit simul à tribus Divinis Personis assumi, quia cùm una sola personalitate constituit unam Personam adæquatè incommunicabilem: & consequenter, si à tribus Personis

simul

simul assumeretur, unicus effectus incommunicabilitatis dependeret à pluribus causis totalibus, & adæquatis: sed materia cum quacumque forma substantiali constituit unum compositum per se completum, & adæquatum: ergo nequit simul informari pluribus formis: alias idem effectus compositionis, seu informationis dependeret à pluribus causis totalibus, & adæquatis.

16 Resp. neg. conseq. & disting. min. probationis: materia cum quacumque forma substantiali constituit unum compositum per se completum, & adæquatum, quatenus tale compositum non ordinatur ad receptionem alterius formæ substantialis, cum qua aliud per se compositum constituat, concedo; quatenus complet capacitatem materiæ, nego. Unde non sequitur, quòd unicus effectus compositionis, seu informationis dependeret à pluribus causis totalibus, & adæquatis, in casu, quo materia simul reciperet plures formas; tunc enim, tot essent compositiones, & informationes, tam activæ, quàm passivæ, quot essent formæ, & sic quælibet compositio, & informatio dependeret per se à forma sibi correspondente: quod quidem non contingeret in simili de Personis Divinis: quælibet enim totaliter, & adæquatè terminaret dependentiam naturæ, quæ tantùm dependet à personalitate ut personetur, & fiat incommunicabilis, quod, cùm haberet per quamlibet personalitatem, nam quælibet constitueret naturam alteri supposito incommunicabilem, si assumeretur à pluribus personis, incommunicabilitas esset effectus illarum, & sic unicus effectus dependeret per se à pluribus causis totalibus, & adæquatis.

17 Si autem dicant, hanc non esse sufficientem disparitatem; quia etiam posset dici, naturam constituere tres personas cum tribus personalitatibus, & sic jam non esset una incommu-

nicabilitas, sed triplex; & consequenter non dependeret unicus effectus à pluribus causis totalibus, & adæquatis, sed quilibet effectus, scilicet quælibet incommunicabilitas dependeret à personalitate sibi correspondente: ergo non est disparitas inter materiam respectu plurium formarum, & naturam respectu plurium personalitatum: sed hoc non obstante nequit unica natura terminari à pluribus personalitatibus: ergo neque materia informari pluribus formis.

18 Resp. neg. antec. quia videtur implicare in terminis; quod patet: quia natura per unam personalitatem redditur incommunicabilis, & actualiter incommunicata alteri supposito: sed si natura cum pluribus personalitatibus constitueret plures personas, dum esset cum una personalitate esset actualiter communicata alteri supposito: ergo esset communicata, & non esset communicata actualiter; quod est implicatio. Deinde, nullatenus natura esset incommunicabilis, & sic nullatenus esset persona: quia sicut posset habere tres personalitates, ita posset habere omnes possibiles, & omnibus communicari: quod apertè quid absurdum continet. Materia verò non redditur incommunicabilis per formam, imò dum est sub aliqua forma, habet potentiam, & capacitatem ad alias. Cujus disparitatis adhuc potest assignari clarior ratio: etenim forma substantialis non tribuit entitati materiæ aliquod substantiale complementum propter aliquam indigentiam, quam in se habeat materia; sed tantùm in ordine ad compositum: & cùm materia in se sit indifferens ad hoc, vel illud compositum constituendum, habet capacitatem, & inclinationem ad plures formas, & nata est cum qualibet constituere compositum ab alio distinctum: at verò natura creata in ordine ad personalitatem habet ex se indigentiam ad compleri substantialiter, ut in se

so.

solitariè, & incommunicabiliter existat; non ita ut indifferenter respiciat quamlibet personalitatem, sed determinatè propriam personalitatem ipsius naturæ. Unde, tam cum propria personalitate, quàm cum qualibet alia est totaliter satiata sua capacitas, & totaliter terminata sua dependentia, seu exigentia, in qua talis capacitas fundatur: quapropter si natura terminaretur pluribus personalitatibus, darentur plures causæ totales ejusdem effectus, scilicet replendi capacitatem naturæ, & satiandi suam exigentiam; non tamen darentur plures effectus, scilicet plures personæ, propter incapacitatem naturæ: at verò si eadem materia informaretur pluribus formis, hoc non eveniret; tunc enim essent plures effectus; scilicet plura composita, quorum quilibet corresponderet suæ formæ, tanquam causæ.

16 Replic. materia prima cum una forma constituit unum compositum, quod etiam est suppositum: & consequenter incommunicabile: ergo tale compositum nequit alteri supposito communicari; & consequenter nec materia prima cum sit pars intrinseca talis compositi, sed si materia prima informaretur alia forma, jam communicaretur alteri supposito; siquidem cùm illa alia forma constitueret aliud compositum, quod etiam esset suppositum ergo repugnat, materiam informatam una forma, altera informari. Potest responderi primò, quod materia prima est pars compositi, ut compositum est, non vero, ut est suppositum: cùm autem compositum, ut compsitum, non sit incommunicabile, neque materia prima, ut est pars compositi, est incommunicabilis; & sic non repugnat ex hoc capite, quòd materia prima possit plures formas simul recipere. Secundo, potest responderi, quod materia prima est incommunicabilis per personalitatem, ut est pars unius composito reduplicativè, non verò secundùm se. Unde in for-

ma potest distingui secunda pars consequentis? materia prima, ut est sub una forma, est incommunicabilis reduplicativè, seu mediante composito, quod constituit cum illa forma, concedo; immediate, & secundùm se, nego. Similiter disting. min. si materia informaretur alia forma, communicaretur alteri supposito immediatè, & secundùm se, seu quatenus cum illa alia forma constitueret aliud compositum, quod etiam esse suppositum, concedo; mediatè, seu reduplicativè ut est pars primi compositi; nego. Et disting. conseq. repugnat, materiam informatam una forma, altera informari immediatè, & secundùm se, nego; mediatè, id est ita ut talis alia forma informaret totum compositum ex materia, & prima forma, concedo. Sed ex hoc nihil contra nos.

20 Etenim, cùm suppositum non dicatur immediatè, de materia, sed de toto composito, non constituit materiam immediatè incommunicabilem; sed immediatè compositum, & hoc mediante materia. Unde nullum est inconveniens, quod materia immediatè communicetur: esset tamen inconveniens, quòd compositum alteri supposito communicaretur; & consequenter; quòd mediante composito, communicaretur materia prima; nam ut sic communicaretur reduplicativè ut est pars talis compositi, quod est impossibile, cùm ut dictum est; in hoc sensu incommunicabilis sit.

21 Aliqui, adhuc Scotistæ, licèt fateantur juxta sententiam Scoti, unicam naturam creatam non posse assumi, seu terminari à tribus Divinis Personis; tamen oppositum posse defendi gratia disputationis, intendunt, quibus parum difficultatis adducit supra factum argumentum. Dicunt enim, quòd sicut plures formæ constituerent plura composita cum unica materia, & ita non esset, unicus, sed plures effectus; quia tunc darentur plures informationes,
&

& receptiones ; ita plures personalitates constituerent plures personas cum unica natura, & sic non esset unicus, sed plures effectus, & plures terminationes, tam activæ, quam passivæ.

22 Neque obstat, inquiunt, si dicatur, quod tunc essent plures terminationes ejusdem dependentiæ, seu exigentiæ naturæ, & sic una, & eadem exigentia dependeret à pluribus terminationibus totalibus: nam illi dicunt, quod in tali casu unica terminatio, & unica personalitas tantùm esset respectu indigentiæ naturæ, à qua natura per indigentiam dependeret: aliæ verò terminationes, & personalitates non ponerentur propter indigentiam naturæ, sed propter non repugnantiam; neque ex non indigentia necessariò sequitur repugnantia: magis enim opponitur formæ violentia ex parte subjecti, quam non exigentia, & tamen compatitur forma cum subjecto dicente potentiam violentam respectu illius.

23 Neque similiter obstat, inquiunt, quod dicitur, scilicet, quòd natura esset communicata, & non communicata, quod est implicatio. Hoc enim negant; quia negationes communicabilitatis, quando ponitur aliquid positivum superadditum naturæ ad constituendam personam (in quo sensu procedit hæc difficultas; nam Personalitates Divinæ aliquid positivum ponunt supra Divinam naturam) non afficiunt immediatè naturam, sed constitutum ex natura, & illo positivo; cùm non à natura secundùm se, sed ab illo positivo dimanent; ideòque natura secundùm se, & specificativè non redditur incommunicabilis, sed totum illud positivum, quod dicit persona, & sic natura reduplicativè ut personata. Unde nullum est inconveniens, quod secundum se communicetur; esset autem inconveniens, quod communicaretur reduplicativè ut personata; ut similiter

liter dictum est supra de materia prima. Rationem hujus assignant; quia solùm persona, ut persona, est incommunicabilis, ut evidenter patet in Personis Divinis, quæ solùm reduplicativè ut tales sunt incommunicabiles, & non reddunt naturam Divinam secundùm se incommunicabilem; alias tantùm posset unam personalitatem habere.

24 Unde, etiam disputationis gratia explicant Scotum, dicentes, quod loquitur de assumptione unius naturæ creatæ à pluribus Personis Divinis in unitatem personæ, quod certè repugnat: non autem loquitur de assumptione naturæ à pluribus personis in pluralitatem personarum. Et quod sic loquatur Scotus, inquiunt, potest deduci ex ipsius verbis, quibus denotat, quod in tali casu unicus effectus dependeret à pluribus causis totalibus; quod verum esset, si unica tantùm persona constitueretur; non verò si constituerentur plures; tunc enim essent plures effectus. Deduci etiam potest ex eo, quod Div. Anselmus, qui communiter citatur pro sententia Scoti, tantùm dicit, quod plures personæ nequeunt unum, & eundem hominem assumere in unitatem personæ.

25 Arg. 4. Si materia prima posset pluribus formis informari, posset etiam infinitis, si darentur: sed hoc est impossibile; alias materia esset infinitæ virtutis: ergo nequit pluribus informari. Potest responderi primò, quod si receptio infinitarum formarum argueret infinitam perfectionem; licèt materia posset recipere plures, non tamen infinitas posset recipere, sed tantùm aliquas determinatè, juxta suam determinatam virtutem. Unde in tali casu non tenet consequentia: sicuti ex eo quod intellectus, propter suam limitatam virtutem, non posset simul infinita objecta attingere, sed tantùm aliqua objecta determinatè, non teneret hæc consequentia; intellectus potest plura objecta

simul

simul attingere: ergo infinita. Secundò potest responderi, concesso primo enthymemate, negando minorem subsumptam: quia non argueret infinitam virtutem in materia infinitas formas recipere. Quod expresse tenet Scotus in 3. dist. 14. quaest. 2. §. *ad argumenta principalia*, vers. *Ad tertium*, litt. Q. dicens: *Infinitas extensiva ad aliqua, ut ad formas recipiendas, non concludit infinitam entitatem receptivi; sicut patet de materia, si esset receptiva infinitarum formarum.*

26 Ad probandam repugnantiam ex parte formarum, arguunt 1. Sicut de ratione materiae est esse primum subjectum receptivum formae, ita de ratione formae est esse primum actum substantialem materiae: sed implicat esse materiam, & non esse primum subjectum: ergo implicat, esse formam, & non esse primum actum: sed si ad introductionem formae substantialis in materia non expelleretur ab ea forma substantialis praeexistens, forma de novo producta non esset primus actus materiae: ergo implicat, materiam pluribus formis simul informari. Prob. min. quia ut forma substantialis sit primus actus materiae requiritur, & quod constituat unum per se cum illa, & quod tribuat illi primum esse formale seu simpliciter, sed si non expelleretur forma praeexistens ad introductionem formae novae in materia, forma nova, neque faceret unum per se cum illa; neque illi tribueret primum esse formale, seu simpliciter: ergo non esset primus actus materiae. Prob. min. quoad primam partem; quia quod advenit enti in actu, non constituit cum illo unum per se, sed per accidens; sed in hypothesi forma nova adveniret materiae in actu per primam formam; ergo non constitueret cum materia unum per se, sed per accidens. Prob. min. quoad secundam partem, quia materia per primam formam haberet primum esse formale, seu simpliciter, ergo secunda forma non tribueret ma-

materiæ tale esse: ergo deficeret illi quidquid requiritur ad rationem primi actus materiæ; ac per consequens, &c.

27 Resp. 1. neg. antec. quia de ratione formæ, juxta principia Scoti, non est, esse primum actum materiæ; aliàs anima non esset forma substantialis, cùm non sit primus actus materiæ; quia supponit alium priorem actum materiæ, licèt incompletum, scilicet formam corporeitatis, ut dicemus in libris de generatione. Etenim de ratione formæ substantialis solùm est, unum per se constituere cum subjecto illius, in quo differt à formis accidentalibus, quæ unum per accidens cum subjecto constituunt; & in hoc sensu forma substantialis dicitur primus actus, quia est actus per se, ad differentiam formæ accidentalis; quæ dicitur secundus actus; quia est actus per accidens; licèt aliquando priùs adveniat subjecto, quam forma substantialis, ut contingit in materia prima, quæ potest habere aliqua accidentia, saltim relativa, fundata in entitate ipsius materiæ pro priori ad formam substantialem.

28 Resp. 2. omissa difficultate de forma corporeitatis, concesso primo syllogismo, negando minorem subsumptam, & minorem probationis illius: & ad primam partem, qua hæc minor probatur, dicimus, quod illud, quod advenit enti in actu non facit cum illo unum per se; si aliquam compositionem efficiat cum tali actu; si verò nullam compositionem cum tali actu efficiat, benè potest unum per se constituere cum illo ente, quod est in actu. Unde disting. min. in hypothesi forma nova adveniret materiæ in actu per aliam formam, ita ut faceret aliquam compositionem cum composito ex materia, & prima forma, illud informando, nego; ita ut nullam faceret compositionem cum tali composito, sed præcisè cum ipsa materia, ipsam immediatè informando, sicut prima for-

ma,

ma concedo, & neg. conseq. ad secundam partem probationis prædictæ minoris respondetur neg. consequent. quia, quòd materia habeat primum esse formale, & simpliciter per primam formam, non obstat ad hoc, ut etiam per aliam formam, ipsam materiam immediatè informantem, recipiat aliud primum esse simpliciter, nam ad hoc solùm requiritur, quod forma substantialis sit per se actus, & materia per se potentia, & quòd immediatè uniantur; quod omne contingeret in nostro casu; nam quælibet forma substantialis est per se actus respectu materiæ, & materia est per se potentia respectu cujuslibet formæ substantialis: & deinde, quælibet forma immediate uniretur materiæ, cùm ipsam immediatè informaret, & non informaret compositum ex materia, & altera forma, Forma verò accidentalis constituit unum per accidens cum subjecto, non præcisè quia advenit enti in actu, sed quia cum illo reduplicativè ut in actu, facit compositionem, illud informando.

29 Ubi adverte, quòd per accidens se habet, quòd materia præsupponatur, pro aliquo tempore cum aliqua forma; quia hoc non aufert, quòd forma posteà adveniens immediatè informet materiam; sicut si priùs illam informaret. Quòd hoc per accidens se habeat, patet: quia possent simul, & in eodem instanti informaret materiam, & tunc nulla forma obstaret, ut alia esset primus actus, eò præcisè, quia quælibet immediatè materiam informaret, & sic non essent primus, & secundus actus materiæ sed duo actus primi: ergo neque obstaret, quòd una priùs tempore alia informaret materiam, ut utraque diceretur actus primus illius, cùm utraque eam immediatè informaret. Unde solum posset una forma dici actus materiæ prior tempore alia; non verò prior in tribuendo primum esse materiæ; nam ad hoc erat neces-
sa-

ſarium, quod forma ſecundò adveniens eſſet actus informans compoſitum reſultans ex priori forma; & materia, quod non concedimus. Et poteſt confirmari à paritate: nam de ratione primi ſubjecti ſolùm eſt, quod non ſit actus alterius ſubjecti, quod ſe habeat in potentia ad illud: ergo de ratione primi actus ſolùm eſt, quòd non præſupponat alium actum: qui ſe habeat in potentia ad illum: ſed non obſtat ad rationem primi ſubjecti, quòd ſimul exiſtant plura ſubjecta, quorum unum non ſit ſubjectum alterius: ergo non obſtat ad rationem primi actus, quòd ſimul exiſtant plures actus, quorum unus non ſit actus alteriùs.

30 Arg. 2. Poſita in rerum natura cauſa; & illius cauſalitate, repugnat, quòd non ponatur effectus, quippè eſſentialiter connexus cum illa: ſed quælibet forma ſubſtantialis eſt cauſa expulſionis alterius ſubjecti; & cauſalitas illius eſt ipſa informatio: ergo implicat, quòd forma ſubſtantialis informet materiam, quin ſequatur expulſio formæ præexiſtentis in illa; ac per conſequens nequeunt plures formæ ſimul eandem materiam informare.

31 Reſp. diſting. mai. eſt enim vera loquendo de effectu primario; falſa tamen de effectu ſecundario. Similiter diſtinguenda eſt minor: verum enim eſt, expulſionem formæ præexiſtentis eſſe effectum ſecundarium formæ advenientis; non vero effectum primarium. Unde negatur conſequentia; quia licèt poſita cauſa, & cauſalitate, nequeat à Deo impediri effectus primarius, quia eſt eſſentialiter connexus cum illa; effectus enim primarius formæ eſt ipſa actualis communicatio ipſius formæ, media informatione, tanquam cauſalitate, vel conditione; ideòque impoſſibile eſt; poſita informatione, impediri; nam eſſet forma communicata, & non communicata, quod omninò repugnat: at verò effectus ſecundarius, ut eſt reſpectu for-

mæ-

mæ advenientis expulsio præexistentis, non est essentialiter connexus cum ipsa forma, sed tantùm est quædam naturalis exigentia, juxta ordinem naturæ, quæ forma de novo adveniens exigit, quòd Deus suspendat concursum, quo conservabat formam præexistentem in materia; cui exigentiæ potest Deus non annuere: sicuti in Scoti sententia potest non annuere exigentiæ naturali, qua corpus naturaliter exigit expellere aliud corpus ab eodem loco; quod posse contingere; imò de facto contigisse in Resurrectione Christi Domini, quando exivit de Sepulchro penetrando lapidem; & de utero virginali, Beatissima Matre, sicut ante partum, in partu, & post partum, purissima Virgine permanente, omnes Catholici fatentur.

32 Dices contra: ideò Deus nequit impedire effectum primarium formæ, quia nequit supplere illum sine forma: sed nequit Deus supplere effectum secundarium formæ sine forma: ergo neque illum impedire. Resp. primò neg. causalem majoris; quia imò Deus neque potest impedire, nec supplere effectum primarium formæ sine forma, quia est essentialiter connexus cum forma; & unum non se habet ut causa respectu alterius; sed se habent ut duo effectus; quorum neuter nequit, adhuc supernaturaliter, sine forma evenire, eò quòd in se repugnat, cùm sequeretur, formam esse communicatam, & non esse communicatam, quod est impossibile. Secundò potest responderi, admissa majori, neg. min. potest enim Deus denudare materiam ab omni forma, & in tali casu sine introductione alicujus formæ suppleret Deus effectum expulsionis, qui, juxta ordinem naturæ exigebat provenire ab aliqua forma, tanquam effectus secundarius illius. Unde patet, quòd talis effectus secundarius non est essentialiter connexus cum forma; & sic negatur consequētia. Prædicta minor non aliter potest ab adversariis

pro-

probari, nisi probando, materiam non posse, adhuc supernaturaliter ab omni forma denudatam existere; cujus oppositum suo loco probavimus.

33 Arg. 3. Si materia posset simul pluribus formis informari; posset informari simul forma cadaveris, & viventis: hoc est impossibile: ergo. Prob. min. quia forma cadaveris ex sua intrinseca ratione inducit privationem vitæ, & forma viventis inducit rationem vitæ: ergo si materia informaretur simul forma cadaveris, & viventis simul essent vita, & privatio vitæ, quod est impossibile: ergo. In nostra, & Scoti sententia non admittente formam cadaveris, facilè posset responderi negando sequellam, imò suppositum illius. Sed, hac controversia omissa, respondetur primò negando minorem, & disting. primam partem antecedentis, quo probatur: forma cadaveris ex sua intrinseca ratione inducit privationem vitæ, ita ut naturaliter exigat inducere privationem vitæ, quod idem est, ac naturaliter exigere expulsionem formæ viventis, tanquam effectum secundarium illius, concedo; ita ut forma cadaveris essentialiter connectatur cum inductione privationis vitæ, seu cum expulsione formæ viventis, nego, & neg. consequentiam. Etenim, in tali casu idem subjectum diceretur vivum, & cadaver, quatenus cadaver dicit formam substantialem positivam; nam tale subjectum verè, & realiter haberet formas positivas cadaveris, & viventis; non verò diceretur vivum, & mortuum; nam mortuum, præter formam positivam cadaveris, dicit privationem formæ viventis in subjecto; quæ quidem privatio tunc non adesset; quia, licèt forma cadaveris naturaliter exigeret talem privationem, tunc Deus non annueret tali exigentiæ, sed conservaret in eodem subjecto formam viventis, quæ est incompossibilis cum ipsius privatione.

ne. Quod potest exemplificari in quibuslibet aliis formis oppositis; eadem enim est ratio de illis, ac de forma cadaveris, & viventis.

34 Secundò respondetur negando etiam minorem, & quòd sequatur aliquod inconveniens; nam in tali casu essent duo composita, quorum unum diceretur vivum, & aliud mortuum, sive privatum vita; quod etiam contingeret, si materia informaretur simul pluribus quibuscumque aliis formis; v. gr. si informaretur forma ignis, & forma aquæ, essent duo composita, & unum diceretur aqua, & aliud ignis: & licèt materia non posset dici privata aliqua ex prædictis formis, tamen aqua posset dici privata forma ignis, & è contra. Imò, in tali casu quodlibet compositum potiùs diceretur negatum quacumque altera forma; negatio enim dicitur carentia formæ in subjecto inepto; & nullum compositum est subjectum aptum, imò, quodlibet est subjectum ineptum ad habendam aliam formam; quia nulla forma substantialis informat immediatè aliquod compositum, maximè totale, & completum; neque enim compositum aquæ potest informari forma ignis, vel è contra; neque compositum mortuum forma viventis, vel è contra.

35 Ad probandam repugnantiam ex parte compositi, arguunt 1. Si materia pluribus formis simul informaretur, compositum esset unum, & plura numero, vel specie; unum, quia constaret eadem materia; & ut inquit Arist. 5. Met. cap. 9. ea sunt unum numero, quorum materia est una; plura, quia constaret pluribus formis non subordinatis, quarum quælibet nata est constituere unum compositum specie, & numero: sed hoc est impossibile: ergo. Resp. neg. mai. nam tunc essent simpliciter plura composita numero, vel etiam specie distincta, juxta naturam formarum; sicuti quando successivè, & disjunctim eadem numero materia

ria informatur pluribus formis, constituit cum illis plura composita numero, vel etiam specie distincta, juxta naturam formarum, non obstante, quòd materia sit eadem numero; nam hoc est intrinsecum ipsi materiæ, & extrinsecè pertineret ad plura composita numero, vel specie distincta. Arist. loquitur de materia metaphysica, scilicet de individuatione, quæ in nostro casu non esset unica, sed plures, juxta pluralitatem compositorum: non autem loquitur de materia prima physica; aliàs composita, quæ ex eadem numero materia, & pluribus formis successivè fiunt, non distinguerentur numero, quod nemo est, qui concedat.

36 Arg. contra: licèt aliquis habeat plures scientias, non dicitur plures scientes, sed unus sciens: ergo si materia informaretur pluribus formis, non dicerentur plura composita, sed unum compositum. Resp. neg. paritatem; quia compositum substantiale dicit in recto, vel tertiam entitatem resultantem ex materia, & forma unitis; vel saltim æquè primò, & in recto materiam, & formam; unde, multiplicata materia, aut forma, potest absolutè dici, quòd multiplicantur composita: at verò composita accidentalia, ut est *sciens*, non dicunt æquè primò, & in recto subjectum, & formam; sed vel subjectum in recto, & accidens in obliquo, vel è contra, accidens in recto, & subjectum in obliquo. Unde, non multiplicantur concreta, seu composita accidentalia, licèt formæ accidentales multiplicentur. Hoc tamen magis ad quæstionem de nomine, quàm de re videtur reduci: tamen tenentur contrarii admittere prædictam disparitatem; ipsi enim concedunt, quòd quando accidentia sibi invicem succedunt in eodem subjecto, non multiplicantur concreta accidentalia: & quòd multiplicantur composita substantialia, quando sibi invicem succedunt plures formæ substantiales in eadem materia:

cu-

cujus nulla alia ratio potest assignari, nisi, quòd ad multiplicationem concretorum, seu compositorum accidentalium requiratur multiplicatio tam formæ, quàm subjecti; & ad multiplicationem compositorum substantialium sufficiat multiplicatio formæ. Si autem aliam rationem assignent, ipsam nos possumus assignare pro responsione argumenti.

37 Arg. 2. Si materia posset simul informari pluribus formis substantialibus, posset unum compositum substantiale prædicari de alio in recto: posset v. gr. dici: *ignis est lignum*; vel è contra: sed hoc est falsum: ergo nequit eadem materia pluribus formis substantialibus informari. Probatur sequella: quia ideò hæc prædicatio est vera in lacte: *album est dulce*, quia albedo, & dulcedo sunt in eodem subjecto: sed, in hypothesi plures formæ substantiales essent in eadem materia, tanquam in subjecto: ergo. Resp. negando sequellam, & paritatem probationis. Ratio disparitatis stat in hoc, quod in hac prædicatione: *album est dulce*, utrumque extremum est concretum accidentale, & connotativum subjecti; & cum subjectum sit unum, potest inter illa dari mutua prædicatio; talis enim prædicatio facit hunc sensum; *albedo, & dulcedo idem habent, & connotant subjectum*; seu; *subjectum habens dulcedinem, est subjectum habens albedinem*; quod quidem verum est; at verò ignis, & lignum v. gr. vel dicunt æque primò, & in recto materiam, & formam; vel tertiam entitatem ex illis resultantem; & sic nequeunt ad invicem prædicari; hæc enim prædicatio; *ignis est lignum*, facit hunc sensum; *ipsa entitas ligni est entitas ignis*; quod est falsum.

38 Aliter potest responderi, negando etiam paritatem; quia ut concreta prædicentur ad invicem in recto, debet connotatum illorum esse unum; unde, illa concreta accidentalia possunt ad invicem prædicari in recto; quia

con-

connotatum illorum est subjectum, quod supponitur esse unum: illa verò concreta substantialia nequeunt ad invicem in recto prædicari; quia connotatum illorum est suppositum, & hoc non esset unum, licèt materia informaretur pluribus formis, sed multiplex, juxta multiplicitatem formarum, & compositorum. Si autem tantùm esset unicum suppositum omnium compositorum resultantium ex materia, & pluribus formis, possent composita ad invicem in recto prædicari, quod nullum esset inconveniens; ideò enim in Christo Domino hæ sunt veræ prædicationes: *homo est Deus*: *Deus est homo*, quia natura humana, & Divina personantur in Christo eodem Divino supposito.

39 Arg. 8. Si materia informaretur duplici anima rationali, constitueret cum illis duos homines: hoc est impossibile: ergo. Prob. min. quia in tali casu, vel unus homo operaretur necessariò, altero operante, vel non? Primum nequit dici; quia esset contra libertatem. Neque secundum; quia tunc essent eadem organa, mediis quibus uterque suas operationes exerceret: ergo. Posset responderi, quòd licèt hoc esset inconveniens, non inde sequeretur, materiam non posse informari pluribus formis simul; nam benè poterat componi, quod materia posset pluribus formis informari, licèt non posset pluribus animabus, præcipuè rationalibus.

40 Respondetur tamen directè neg. min. Ad probationem dicimus, quod duplex ordo operationum potest in homine distingui. Alter operationum organicarum, quæ ab organis, & membris corporis dependent; ut sunt: *videre*, *audire*, *ambulare*, &c. Alter operationum non organicarum, quæ ab organis, & membris corporis non dependent; ut sunt: *intelligere*, & *velle*. Nunc dicimus, quòd in casu argumenti,

posset

possent quilibet homo operari operationibus non organicis independenter ab alio, & sive alter homo operaretur, sive non; posset enim unus homo discurrere, & velle, vel nolle aliquod objectum, altero homine non discurrente, vel non volente, vel nolente. Circa operationes organicas dicendum est, quòd si illi homines essent æqualis virtutis, & unus vellet ambulare, v gr. & alter sedere, neque sequeretur ambulatio, neque sessio; quilibet enim æqualiter alterum impediret, & essent in continua pugna, dum aliqua opposita intenderent. Si autem essent inæqualis virtutis, tunc sequeretur actio, quam intenderet, qui majorem virtutem haberet; quod nullum est inconveniens; nam in prædictis actionibus nulla apparet repugnantia in hoc, quò aliquis homo vim patiatur; idem enim contingeret, si duo homines pugnarent inter se, quorum unus vellet currere, & alter talem cursum impedire; tunc enim, si essent æqualis virtutis, essent in continua pugna, quin sequeretur, quòd aliquis vellet: si verò inæqualis virtutis essent, vinceret, qui majorem virtutem haberet, & actio, quam ipse vellet, sequeretur, alterque vim pateretur, quod nullatenus est inconveniens.

41 Arg. 4. Nequit corpus simul informari anima hominis, leonis, canis, &c. hoc enim ex se videtur repugnare: ergo nequit eadem materia simul pluribus formis informari. *Resp.* primò, concesso antecedenti, neg. conseq. quia materia prima est subjectum aptum recipere quamlibet formam immediatè, præter formas viventium; corpus tamen non est subjectum aptum recipere quamlibet animam; nam anima rationalis informat diversum specie corpus à corpore, quod informat anima leonis, & sic de aliis; nam constituuntur corpora, in sententia Scoti, per diversas specie formas corporeitatis; unde repugnantia stat ex parte subjecti,

non

non verò ex parte formarum, neque ex parte compositorum, quæ resultarent ex corpore, & pluribus animabus supradictis.

42 Resp. 2. quòd licèt idem corpus, propter dicta, nequeat prædictis animabus simul informari, posset tamen eadem materia pluribus formis corporeitatis informari, & cum illis plura corpora constituere, & quodlibet corpus informari anima sibi correspondente, scilicet anima hominis, vel leonis, &c. & in tali casu, saltim mediatè informaretur materia prædictis animabus simul; & composita resultantia se haberent in suis operationibus modo dicto numero antecedenti, distributione accommoda.

43 Aliter tamen posset responderi admittendo, quòd materia esset subjectum immediatum animarum, & quod animæ plurium viventium possent informare eandem numero materiam; & ad inconvenientia, quæ contra hoc objicerentur, posset etiam responderi ex dictis. Sic respondent aliqui nostram sententiam tenentes; nobis tamen videtur, hoc ita sustineri non posse; quia nullatenus eadem numero materia potest esse subjectum aptum cujuslibet formæ viventis, licèt sit aptum subjectum cujuslibet alterius formæ; & ratio disparitatis est; quia non viventia non habent terminos præfixos magnitudinis, & parvitatis; & sic forma illorum potest recipi in qualibet materia, sive magna, sive parva; viventia verò habent præfixos terminos magnitudinis, & parvitatis, ita ut distributione accommoda possit dari materia talis magnitudinis, & parvitatis, quam non possit forma viventis informare; & cùm non omnia viventia habeant æquales terminos, sed majores, vel minores, juxta illorum naturam, hinc est, quòd non quælibet materia indeterminata magnitudine, vel parvitate potest esse subjectum cujuslibet formæ viventis. Hoc ampliùs

plius patebit lib. 6. Physic. Unde dicendum est, quòd eadem materia nequit simul informari omnibus formis viventium: si verò ponatur in aliqua magnitudine, vel parvitate subjectum aptum plurium formarum viventium, poterit illas simul recipere, nisi fortè occurrat aliquod impedimentum ex parte diversę organizationis requisitæ.

44 Præter authoritates Scoti in progressu quæstionis attactas, aliæ solent adduci ab Scotistis, ut ostendant, oppositum nostræ conclusionis esse de mente subtilis Doctoris, præcipuè in 2. dist. 2. quæst. 8. litt. D. Sed, ut patebit ipsam litteram scrutanti, in hoc loco nihil determinat Scotus; nam tantùm dicit, formas absolutas fortè esse incompossibiles, si sint diversæ speciei. Et in 4. dist. 11. quæst. 3. §. *alii concedentes*, per totum. Sed certè ex hoc loco tantùm concluditur, vel, quòd naturaliter sunt incompossibiles plures formæ in eadem materia; loquitur enim ibi Scotus de actione agentis naturalis; vel, si aliqud concluditur supernaturaliter, hoc nullatenus est contra sensum conclusionis; nam loquitur Scotus, ut videre est in littera, de productione unius compositi tantùm, quod intendit; non posse constitui pluribus formis. Ex quo patet, Scotum nullatenus esse contra nostram conclusionem.

QUÆSTIO IV.

An eadem numero forma substantialis possit informare simul plures numero materias?

1 NOtandum est, quòd forma substantialis se habet in ordine ad informandam materiam, sicut materia in ordine ad recipiendam formam; sicut enim materia ex natura sua inclinatur ad formam recipiendam, non

determinando aliquam, sed omnes indifferenter respiciendo; ita forma substantialis ex natura sua inclinatur ad informandam materiam, non determinando alquam, sed omnes materias indifferenter respiciendo.

2 Circa hanc difficultatem conveniunt omnes, hoc non posse contingere naturaliter; quod potest probari à paritate de materia, quæ nequit naturaliter pluribus formis simul informari: & similiter à paritate de corpore, quod nequit naturaliter esse in duplici loco adæquato. Solùm autem est difficultas loquendo supernaturaliter, seu de potentia Dei absoluta. Pro qua.

3 Dicimus: potest supernaturaliter eadem numero forma substantialis plures simul numero materias informare. In hac conclusione communiter conveniunt, qui nobiscum tenent, eandem numero materiam simul pluribus formis substantialibus informari posse: excepto Mastrio, qui disp. 5. quæst. 7. artic. 2. tenet oppositum. Et non loquimur de materiis inadæquatis, & divisis, nam ut sic ferè omnes conveniunt, hoc posse supernaturaliter evenire, eo quod continuatio partium materiæ tantùm requiritur ad informationem, tanquam prævia dispositio ex naturali rerum constitutione requisita: sed potest Deus facere, quod forma informet materiam aptam recipere formam, nulla dispositione in illa præcedente: ergo. Imò hoc de facto contigisset in miraculo Div. Dionysii, qui, abscissum caput propriis manibus gestans, ambulavit, ut plures asserunt: tunc enim, inquiunt anima rationalis informabat corpus, & caput, licèt essent separata. Conclusio autem intelligitur de materiis adæquatis.

4 Probatur: quia in sententia Scoti, ut lib. 4. dicemus, idem numero corpus potest esse in duplici adæquato loco; & eadem numero materia potest pluribus formis adæquatis informari,

ri, ut dictum est quæst. antec. ergo similiter eadem numero forma potest informare plures numero materias adæquatas. Consequentia videtur tenere à paritate; quia nullum inconveniens potest adduci contra hoc, quod non possit eciam adduci contra materiam pluribus formis adæquatis informatam; & contra corpus in duplici loco adæquato existens: sed hoc non obstante, illud tenetur de materia, & de corpore: ergo idem potest teneri de forma.

5 Confirmatur; quia sicut materia est potentia proportionata formæ, ita forma est actus proportionatus materiæ; sed materia potest recipere quamlibet formam; ergo & forma potest informare quamlibet materiam; sed ex hoc sequitur, quod ex parte materiæ non repugnet informari simul pluribus formis adæquatis; ergo etiam sequitur, quod non repugnet ex parte formæ plures materias adæquatas simul informare.

6 Arg. tamen 1. Si forma non potest naturaliter plures numero materias informare; neque supernaturaliter hoc poterit, quin aliquid ei adderetur; sed nihil potest addi formæ, ut simul plures numero materias adæquatas informet; ergo nullatenus valet illas informare. Resp. disting. sequellam majoris; quin aliquid formæ addatur, tanquam specialis virtus informativa, nego; quin addantur aliquæ informationes, & uniones, concedo, Similiter disting. min. & neg. conseq. Nihil enim virtutis informativæ additur formæ, ut plures numero materias informet; sed tantùm adduntur novæ informationes, seu uniones, quas Deus speciali concursu producit & quas agens naturale producere nequit. Idem in simili dicendum est de materia, cui non additur nova virtus receptiva ad simul recipiendas plures formas adæquatas; sed tantùm adduntur novæ receptio-

 nes,

nes, seu uniones à Deo speciali concursu productæ.

7 Arg. 2. Si unica forma posset informare simul plures numero materias, posset etiam infinitas: sed virtus informativa est perfectio: ergo forma esset infinitæ perfectionis, quod est impossibile. Resp. sicut ad simile argumentum circa materiam quæst. antec. num. 25. propositum; quod, si informare plures numero materias, dicit majorem perfectionem, quàm unicam tantùm informare, non posset forma infinitas materia simul informare, sed tantum aliquas, juxta suam virtutem. Deinde, negamus, quòd informare infinitas materias, dicat infinitam virtutem & perfectionem intensivam; hoc enim esset inconveniens; tantùm enim dicit infinitam virtutem extensivam, quæ perfectionem infinitam enitativam non adducit, ut dictum est de materia cum Scoto loco citato.

8 Ulteriùs, idem posset argui contra corpus, scilicet, quòd si posset esse in duplici loco, posset etiam esse in infinitis; & sic haberet infinitam perfectionem, quod non conceditur. Sed ad hoc respondet Mastrius, esse magnam disparitatem; nam corpus in ordine ad locum merè passivè se habet, nullamque virtutem exerceret in illius acquisitione: at verò forma exercet virtutem informativam in informando materiam: undè forma haberet infinitam perfectionem, si infinitas materias informaret; non verò corpus, etiam si infinita loca repleret. Sed contra est, primò; quia corpus non minùs exercet virtutem repletivam loci in ipsius loci acquisitione; quàm forma virtutem informativam in informando materiam: ergo si ex illo non concluditur infinita perfectio in corpore, licèt repleat infinita loca, sed tantum infinitam virtutem repletivã extensivè; neque licèt concludere infinitam perfectionem in forma, si informet infinitas materias, sed tantum infinitam virtutem infor-

ma-

mativam extensivè. Secundò; quia ex eo corpus merè passivè se haberet in repletione plurium locorum, quia haberet esse in illis formaliter à pluribùs *ubi* productis à Deo in genere causæ efficientis, sed etiam forma haberet esse formaliter in pluribus materiisà pluribus unionibus productis à Deo in genere causæ efficientis; ergo se haberet merè passivè sicut corpus; ac per consequens &c.

9 Arg. 3. Forma materialis totaliter dependet à materia concurrente ad eductionem illius in genere causæ materialis; ergo si simul informaret plures numero materias; totaliter dependeret simul à pluribus causis adæquatis, quod est impossibile. Hoc argumentum benè probat, non posse, ex vi agentis naturalis, unicam materialem formam simul plures numero materias adæquatas informare; quia, cùm agens naturale nequeat producere formam in materia, nisi illam de potentia materiæ educendo, iam forma eadem educeretur de potentiis plurium materiarum, & dependeret simul à pluribus causis materialibus adæquatis, quod est impossiblle. Loquendo verò supernaturaliter, nihil probat argumentum; negamus enim conseq. posset enim Deus educere formam de potentia unius adæquatæ materiæ, à qua talis forma dependeret, & pluribus aliis materiis eam unire, quin ex illarum potentia educeretur, & sic, quin in suo esse ab illis dependeret. Vel aliter; posset Deus producere talem formam independenter ab omni materia, ipsam creando, & non educendo; & eam pluribus materiis unire.

10 Arg. 4. ex Scoto in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *contra hoc*, vers. *Confirmatur istud*, ubi dicit; *Ita impossibile videtur unum accidens esse in duobus subjectis, sicut unam formam substantialem esse in duabus materiis*; ergo ex mente Scoti nequit eadem substantialis forma simul plures materias informare. Resp. neg. conseq. quia ibi nulla-

tenus negat Scotus, formam, tam accidentalem, quàm substantialem, posse simul informare plures materias, seu plura subjecta; ibi enim tantùm arguit contra Varronem, dicentem, non sequi infinitatem in natura humana ex eo, quòd personaretur tribus Divinis Personalitatibus, licèt sequatur talis infinitas in natura Divina; quia cùm natura Divina identificantur tres Divinæ Personalitates; at verò cum natura humana non identificarentur, sed advenirent illi ab extrinseco, & per accidens. Arguit enim Scotus contra hoc, ostendendo, non esse disparitatem in hoc, quòd natura sit accidentalis, & extranea personalitatibus; vel substantialis, & propria; ut si ex uno sequitur infinitas, non sequatur ex alio, & ponit paritatem in formis accidentalibus, & substantialibus dicendo; quòd si sequeretur infinitas ex eo, quòd una forma substantialis esset in pluribus materiis, sequeretur etiam infinitas ex eo, quòd una forma accidentalis esset in pluribus subjectis, non obstante accidentalitate: quod quidem argumentum erat sufficiens ad intentum Scoti, licèt aliàs neque in forma substantiali, neque accidentali sequeretur talis infinitas; nullatenus tamen determinat, an sequatur, vel non sequatur; loquitur enim conditionatè. Unde in prædicto loco non contrariatur Scotus nostræ conclusioni.

11 Alia argumenta facilè solvuntur, observando, quòd in hypothesi conclusionis resultarent plura numero composita, juxta pluralitatem materiarum; sicut enim, si eadem numero forma successivè informaret plures numero materias, resultarent plura numero composita; ita similiter resultarent, si omnes simul informaret.

12 Si autem dicas, quòd sicut ex natura, & personalitate constituitur persona; ita ex materia, & forma constituitur compositum: sed, licèt

licèt plures naturæ terminentur unica personalitate, tantùm constituitur una persona, ut patet in Christo Domino: ergo licèt una forma informaret plures numero materias, tantùm resultaret unum compositum. Resp. neg. paritatem, quia ratio distinctionis personalis tantùm provenit à personalitate; undè immultiplicata personalitate, nequit multiplicari persona; at verò ratio distinctionis numericę desumitur à tota entitate rei; unde, qualibet parte rei multiplicata, sive sit materia, sive forma, multiplicatur entitas numericè.

QUÆSTIO V.

Appendix, quid sit dicendum de formis accidentalibus?

1 PLura circa formas accidentales dubitari solent; ex quibus præcipua per sequentes conclusiones brevitate possibili proponemus.

2 Dicimus 1. Plura accidentia non opposita diversi generis, vel speciei, etiam adæquata, possunt naturaliter esse, imò de facto sunt in eodem numero subjecto. Hæc conclusio ex se patet: nam experientia constat, idem numero subjectum simul habere quantitatem, qualitates, & relationes. Diximus *accidentia non opposita*, nam de accidentibus oppositis, ut sunt qualitates contrariæ, quid sit tenendum, dicetur in lib. de generat.

3 Dicimus 2. Accidentia absoluta inadæquata numero distincta, possunt naturaliter esse in eodem subjecto. Hanc conclusionem tenet Scotus in 3. dist. 8. §. *contra istam rationem*, litt. A. & probatur ratione ipsius; quia in omni ordine essentiali cum unitate prioris potest stare pluralitas posterioris naturaliter, non per se, nec adæquatè inhærentis priori; sed subjectum

est prius essentialiter omni accidenti; & accidens non inhæret per se; & si est inadæquatum, non inhæret adæquatè: ergo plura accidentia inadæquata solùm numero distincta possunt simul esse in eodem subjecto. Major probatur à Scoto: quia una causa potest esse respectu plurium effectuum; & licet illi effectus non insint causæ, non tamen est major repugnantia in illis posterioribus, quæ inhærent, quàm in aliis, quæ per se existunt; quia tunc unum non est causa intrinseca alterius, ita quòd ad unitatem unius sequatur unitas alterius; & maximè si non sint adæquata, ita ut unum illorum in actualitate completa determinet potentialitatem receptivi: ergo non est contradictio, plura absoluta ejusdem rationis per accidens in esse eidem, cui nullum eorum adæquetur.

4 Et quòd hoc de facto in aliquibus accidentibus contingat, probat Scotus ex eo, quòd plures species phantasticæ sint in eodem organo phantasiæ; alias deleta specie unius imaginabilis, non posset aliquis perfectè imaginari aliquod imaginabile. Et patet, quòd istæ species sint ejusdem speciei ex eo, quòd objecta a quibus generantur, ejusdem speciei sint. Patet etiam, quòd sint in eadem parte organi ex eo, quòd organum nequeat in tot partes minimas dividi, quæ possent ex se informari tot speciebus imaginabilibus separatim existentibus, quot possunt simul esse in toto organo: ergo de facto plura accidentia absoluta solùm numero distincta sunt in eodem subjecto, eò quòd inadæquatè ipsi inhæreant. De accidentibus relativis jam diximus in Logica, loquendo de relatione, multiplicari numero in eodem fundamento ad multiplicationem terminorum.

5 Si autem dubites, quare per operationem naturæ fieri nequeat, idem numero subjectnm habere plures qualitates inadæquatas solum numero distinctas? Respondent Scotus, hoc proveni-

venire ex eo, quòd agens naturale intendit, formam præexistentem perficere, & inducit aliquam realitatem, quæ cùm etiam sit inadæquata, nata est esse pars simul cum præexistenti, & cum illa eam unit, ut partem cum parte, & ita non inducit formam omninò aliam; non esset tamen repugnantia, quòd ipsa esset alia, subiecto non propter hoc diversificato; quia subiectum habens potentialitatem ad plures formas eiusdem speciei, est illimitatum ad illas, & illimitatum ad aliqua non opportet commultiplicari illis. Hæc omnia ferè ad literam Scoti proposita sunt. Ex quibus videtur deduci, Scotum sentire, plures formas absolutas inadæquatas solùm numero distinctas posse naturaliter simul esse in eodem subiecto, prout naturale desumitur, tàm ex parte subiecti, quàm ex parte formarum; non tamen sumpto naturali absolutè; denotant enim verba Scoti, hoc non posse evenire per operationem naturæ, aut agentis naturalis. Plura dicenda in lib. de generat. possunt hic applicari, & cum supradictis conferri.

6 Dicimus 3. Plura accidentia absoluta adæquata solùm numero distincta, ut duæ quantitates, duæ albedines, &c. nequeunt naturaliter esse simul in eodem subiecto. Hæc conclusio deducitur per oppositum ex dictis cum Scoto conclus. antec. & est communis. Probatur tamen; tum, ex paritate formarum substantialium. Tum etiam quia nullum agens naturale potest operari in subiecto, quod est in actu omnino simili illi, quem potest in tali subiecto inducere, ut patebit in lib. de generat. ergo si subiectum habeat unam formam accidentalem adæquatam, cùm sit in actu omninò simili illi, quem potest agens naturale, etiam simile, in illo inducere, non poterit naturaliter recipere similem adæquatam qualitatem.

7 Dicimus 4. Supernaturaliter, seu de poten-

tia Dei absoluta, possunt simul plura numero accidentia absoluta adæquata idem numero subjectum informare. Pro hac conclusione communiter stant, qui nobiscum tenent, plures formas substantiales adæquatas posse simul supernaturaliter eandem numero materiam informare. Probatur: quia hoc non videtur repugnare ex ratione accidentium; plura enim accidentia adhuc naturaliter in eodem subjecto reperiuntur: neque ex ratione talium accidentium: supra enim dictum est, plura accidentia absoluta solùm numero distincta posse simul idem subjectum informare: neque ex ratione adæquationis; plures enim formæ substantiales solùm numero distinctæ, etiam adæquatæ, possunt simul informare eandem numero materiam, ut dictum est quæst. 3. hujus disp. ergo ex nullo capite repugnat; & consequenter, &c.

8 Argumenta, quæ contra hanc conclusionem obiici possunt, facilè solvuntur ex dictis de formis substantialibus quæst. 3. cit. Vbi advertere opportet, quòd in casu nostræ conclusionis, licèt juxta modum loquendi, tantum esset unum concretum accidentale, non tamen esset unicus effectus dependens à pluribus causis totalibus, & adæquatis; tunc enim in re essent *plura esse* accidentalia, unumquodque communicatum à qualibet forma accidentali sibi correspondente, à qua, tanquam à causa dependeret. Similiter tunc essent plures informationes activæ, & plures receptiones passivæ; quod, si præ oculis habeatur, ferè nulla difficultas in conclusione apparebit.

9 Dicimus 5. Idem numero accidens nequit naturaliter esse simul in pluribus subjectis adæquatis non subordinatis. Hæc conclusio est communis, & patet ex eo, quòd nullum est indicium, neque apparet modus talis naturalis possibilitatis, Deinde patet à paritate de for

mis

mis substantialibus. Diximus *subjectis adæquatis non subordinatis*; quia in subjectis subordinatis idem accidens naturaliter existit; eadem enim albedo v. gr. immediatè subjectatur in quantitate, & illa mediante subjectatur in substantia.

10 Dicimus 6. Idem numero accidens potest supernaauraliter, seu de potentia Dei absoluta esse in pluribus subjectis adæquatis non subordinatis. Hæc conclusio coincidit cum dictis quæst. antec. loquendo de forma substantiali, & circa illam nihil novum apparet notatu dignum sed quæ ibi dicta sunt tam in probationibus, quàm in argumentis, hic suo modo veniunt applicanda.

11 Dicimus 7. Quodlibet accidens absolutum (de accidenti relativo, jam dictum est in Logica; quid sit tenendum) potest supernaturaliter esse sine quocumque subjecto, sive immediato, ut est substantia respectu quantitatis, & quantitas respectu aliorum accidentium; sive mediato, ut est substantia respectu omnium accidentium præter quantitatem. Hæc conclusio est Scoti in 4. dist. 12. quæst. 1. §. *ad quæstionem*, vers. *Tertia conclusio*, sub litt: B. & quæstion. 2. §. ad *quæstionem*, litt. H. Dicimus *supernaturaliter*; quia naturaliter certum est, nullum accidens posse esse sine subjecto, neque hoc aliquomodo controvertitur. Quod autem quantitas possit supernaturaliter esse sine subjecto immediato, & alia accidentia sine subjecto mediato, ut est substantia, patet in Sacramento Eucharistiæ.

12 Generaliter verò probatur conclusio ex Scoto citato quæst. 1. §. *ad quæstionem*, vers. *Tertia conclusio*, litt. E. quia accidens absolutum non dependet essentialiter à subjecto: ergo potest sine subjecto existere. Antec. prob. quia nullum absolutum dependet essentialiter ab alio absoluto, nisi sit causa essentialis illius: sed

ſubjectum accidentis abſoluti eſt quid abſolutum, & non eſt cauſa eſſentialis accidentis: ergo accidens abſolutum non dependet eſſentialiter à ſubjecto. Prob. min. quoad ſecundam partem; quia ex ſubjecto, & accidenti fit unum per accidens: ſed unum per accidens non conſtituitur ex aliquibus, quorum unum pertinet eſſentialiter ad eſſentiam alterius: ergo ſubjectum accidentis abſoluti non eſt cauſa eſſentialis accidentis, ſeu non pertinet eſſentialiter ad eſſentiam illius; ac per conſequens, &c.

13 Dices: ſubjectum eſſe cauſam materialem accidentis; undè, cùm Deus non poſſit ſupplere effectum cauſæ materialis, ſequitur, Deum non poſſe accidens ſine ſubjecto efficere, nec conſervare. Ad hoc facilè reſp. quòd cauſa materialis, vel eſt intrinſeca, vel extrinſeca. Intrinſeca dicitur illa, ex qua tanquam ex parte intrinſeca conſtituitur effectus; & in hoc ſenſu certum eſt Deum non poſſe ſupplere effectum cauſæ materialis; nequit enim eſſe compoſitum ſine materia, ex qua tanquam parte intrinſeca componitur. Extrinſeca dicitur, quando aliquid recipitur in ea, & ex potentia illius educitur; in quo ſenſu benè poteſt Deus ſupplere cauſalitatem materialem producendo quamcumque formam, ſeu illam conſervando independenter à ſubjecto. Nunc ad propoſitum, accidens ſolùm habet cauſam materialem extrinſecam; quia dependet naturaliter à ſubjecto in fieri, & conſervari; non tamen habet cauſam materialem intrinſecam; quia ſubjectum non eſt pars intrinſeca, & eſſentialis illius; unde poteſt Deus ſupplere cauſalitatem materialem ſubjecti accidentis abſoluti, & ſic tale accidens ſine ſubjecto producere, & conſervare.

14 Probatur ſpecialiter concluſio loquendo de ſubjecto immediato ex eodem Scoto quæſt. 2. cit. §. *hic ſunt* verſ. *Contra opinionem*, ſub litt. C. Quia dependentia ad primum eſt eſſentialior

quàm

quàm ad aliquod posterius, loquendo de absolutis dependentibus; & terminantibus dependentias; sed qualitas est forma absoluta sicut quantitas; ergo essentialius dependet qualitas à substantia, quam à quantitate; si ergo potest esse qualitas sine dependentia actuali ad substantiam; poterit esse sine dependentia actuali ad quantitatem. Hæc in litt. Scoti; ubi adhuc ulterius probat conclusionem ex eo quòd qualitas sit perfectior quantitate; sed quantitas potest esse sine subjecto immediato, scilicet substantia, ut patet in Eucharistia; ergo & qualitas poterit esse sine subjecto immediato, scilicet quantitate. Quod autem qualitas sit perfectior quantitate, pluribus ostendit ipse Scotus ibidem consequenter adducta.

15 Arg. 1. Si albedo v. gr. esset sine quantitate esset sensibilis quia tertia species qualitatis; & non esset sensibilis; quia non esset quanta, quòd erat necessarium, ut sentiri posset. Secundo, esset similiter albedo spiritualis; quia esset indivisibilis; & esset corporea, seu non spiritualis; quia tertia species qualitatis; utrumque repugnat; ergo nequit albedo esse sine quantitate. Ad 1. resp. Scotus qu. 2. cit. vers. *Secunda ratio*, litt. B. quòd albedo sine quantitate esset sensibilis potentia remota; non verò potentia propinqua; quia illud est sensibile potentia propinqua, quòd habet formam sufficientem ad causandam sensationem, & est in modo convenienti, ita ut cessante impedimento possit sequi actus, v. gr. albedo extensa quantitativè dicitur sensibilis potentia propinqua, licèt sit in tenebris; quia ex se est forma sufficiens ad causandam sensationem, & est in modo convenienti, scilicet quantitativò: unde cessante impedimento tenebrarum, potest sequi actus sensationis; illud verò dicitur sensibile potentia remota, quòd licèt habeat formam sufficientẽ ad causandam sensationem, non tamen est in modo convenien-

nien-

nienti, scilicet quantitativo; & in hoc sensu esset sensibilis albedo sine quantitate; non autem in primo sensu, & sic cessat inconveniens.

16 Ad 2. resp. ipse Scotus vers. *Ad tertium*, quòd in tali casu albedo esset simpliciter qualitas corporalis, quia esset apta nata simpliciter perficere corpus; secundum quid autem esset incorporea; quia non actu esset in corpore: sicut substantia corporea, licèt esset sine quantitate, adhuc esset corporea; quia esset apta nata esse sub quantitate. Deinde esset albedo in tali casu indivisibilis actu, divisibilis autem potentia remota, ut supra dictum est. Videantur quæ diximus in Logica disp. de quantitate, loquendo de partibus substantiæ seclusa quantitate.

17 Aliqua hic veniunt obiter advertenda, quorum perfecta notitia pendet ex alibi dictis, & dicendis. Primò ergo est advertendum ex Scoto in 4. cit. distinct. 12. quæst. 1. §. *hic dicitur*, & infrà; quòd accidens separatum à subjecto existeret sine aliquo modo positivo illi superaddito; quod fundatur in eo, quòd accidens est verè, & propriè ens, licèt inperfectius substantia; & habet suum proprium esse, tam essentiale, quam existentiale ab esse essentiali, & existentiali subjecti realiter distinctum, ut patebit in Metaphysica loquendo de essentia, & existentia. Quomodo autem conservaretur à Deo accidens separatum à subjecto, patet ex dictis de forma separata à materia disp. 2. hujus lib. quæst. 3. num. 19.

18 Secundò est advertendum cum eodem Scoto cit. quæst. 3. §. *dico ergo*, vers. *Tertia conclusio*, sub litt. K. quòd qualitas extra subjectum mediatum, scilicèt substantiam, si tamen sit in subjecto immediato, scilicet quantitate, potest agere idem, ac si esset

in

in substantia; id est, potest agere in sensum, & intellectum intentionaliter, & realiter in contrarium. Hoc, præterquam quòd patet experientia in accidentibus Eucharistiæ, probatur ex eo, quòd quælibet forma est principium totale agendi; & dum est sub quantitate, est sub modo convenienti ad agendum, tam realiter, quàm intentionaliter: ergo. Quid sit dicendum de qualitate separata ab omni subjecto? patet ex dictis num. 15. & 16.

19 Tertiò est advertendum ex eodem Scoto quæst. 3. citat. §. *ad principale*, vers. *Et si quæras*, litt. CC. quòd quantitas sine omni qualitate non esset effectiva in sensum. Ratio est; quia quantitas non est sensibile proprium alicuius sensus, sed sensibile commune; sensibile autem commune, vel non imprimit speciem sui in sensum, vel si imprimit, dependet in hoc à simultanea impressione speciei sensibilis proprii, cuiusmodi sunt qualitates; hoc pendet ex dicendis in lib. de Anima; ergo. Ex quo deducitur, quòd intellectus noster pro hoc statu nequeat percipere quantitatem denudatam omni qualitate; eo, quòd dependeat pro hoc statu intellectus noster à sensibus; at vero intellectus Angeli, & animæ separatæ, cùm nullatenus à sensibus dependeant, benè possunt percipere quantitatem sine omni qualitate; Hoc etiam pendet, tam ex lib. de Anima, quàm ex materia de Angelis.

DISP.

DISP. V.

De pertinentibus ad unionem.

Quia finis Philosophiæ est corpus naturale, quod est quoddam compositum; & compositio est distinctorum unio, ideò postquam in præcedentibus de materia, & forma, tanquam de partibus ipsius corporis naturalis egimus de pertinentibus ad illarum unionem consequenter venit agendum.

QUÆSTIO I.

An detur unio inter materiam, & formam; & quid sit.

1 Notandum est, unionem accipi posse, vel pro actione agentis producentis compositum substantiale; vel pro aliquo medio inter materiam, & formam, quo posito ex ipsa materia, & forma tanquam ex partibus essentialibus compositum constituitur. Nunc aliqui intendunt; inter materiam, & formam nihil mediatè, sed posita actione agentis resultare compositum. Alii autem intendunt, inter materiam, & formam dari aliquid medium, quo, seu in quo uniuntur, ut compositum constituatur; sed ex ipsis aliqui volunt, illud medium esse aliquem modum absolutum de prædicamento substantiæ; alii autem, esse aliquid respectivum. Quid videatur tenendum per sequentes conclusiones proponemus.

2 Dicimus 1. Materia, & forma uniuntur ad constitutionem totius per aliquid illis superadditum, & ab illis realiter distinctum. Hæc conclusio est contra primum modum dicendi, & communiter his rationibus probatur. Prima est; nequit aliquod prædicatum aliquibus de no-

novo competere realiter sine aliqua reali ipsorum mutatione: sed materiæ, & formæ convenit de novo aliquod prædicatum realiter; nam realiter dicuntur unitæ, cùm tamen antea unitæ non essent: ergo habent in se aliquam mutationem realem: sed talis mutatio necessariò debet provenire ab aliquo ab ipsis realiter distincto; nam idem in quantum idem, semper natum est facere idem: ergo ut materia, & forma dicantur unitæ, necessariò illis debet superaddi aliquid realiter distinctum, quòd dicatur unio.

3 Secunda est illa, quorum unum potest existere sine alio, realiter distinguuntur, ut tenet Aristot. 7. Metaph. cap. 1. his verbis: *Ampliùs si potest alterum sine altero esse, non erit idem*: sed materia, & forma possunt existere saltim supernaturaliter, absque eo, quòd sint unitæ: ergo unio est quid realiter distinctum ab illis.

4 Neque valet, si dicant sufficere ut materia, & forma uniantur, quòd ponatur actio agentis, quæ dicitur unio efficiens, seu actio unitiva. Nam contra est primò, quia actio agentis est quid extrinsecum respectu materiæ, & formæ; ergo non possunt per talem actionem formaliter, & intrinsecè uniri; quod est necessarium ad constitutionem compositi. Secundò, quia nequit dari nova actio alicuius agentis sine termino de novo per eam producto; ergo nequit agens habere novam actionem circa materiam, & formam, ipsas realiter uniendo, quin producat aliquid realiter ab illis distinctum.

5 Dices; terminum talis actionis esse totum compositum ex materia, & forma. Sed (licèt hoc verum sit) contra est; quia vel tale compositum est aliquid distinctum à partibus, ut fatentur Scotistæ, vel non? Si hoc secundum, ergo nulla est responsio; quippè nullatenus ostenditur qualiter detur nova actio, cùm terminus illius

illius non assignetur. Si primum, ergo datur inter materiam, & formam aliquid ab illis distinctum, quòd dicatur unio. Probatur consequentia; quia nequit efficiens producere compositum realiter à materia, & forma distinctum, quin materia, & forma concurrant sufficienter applicatæ: sed non applicantur sufficienter ad constitutionem totius, quin prius uniantur: ex eo enim, quòd inter se uniantur constituunt compositum: ergo necessariò datur inter illas unio realiter ab illis distincta.

6 Dices adhuc: nullatenus requiri talem unionem, ut sit entitas realiter à materia, & forma distincta, sed sufficere intimam præsentialitatem ipsius materiæ, & formæ. Sed contra est, quia si hæc intima præsentialitas esset ratio, qua materia, & forma nominantur unitæ, non posset dari talis præsentialitas, quin extrema essent unita: hoc est falsum; quia, ut ex se patet, nulla est repugnantia in hoc quòd materia, & forma sint penetratæ, & sic intimè præsentes absque eo, quòd sint formaliter unitæ: ergo unio illarum non consistit in illa intima præsentialitate.

7 Arg. 1. Si unio esset aliquid medium inter materiam, & formam, & ab ipsis realiter distinctum, non unirentur immediatè, & sic non constituerent unum per se: sed hoc non est dicendum: ergo non datur talis unio realiter à materia, & forma distincta. Resp. disting. mai. non unirentur immediatè, id est; sine medio *quo*, concedo; sine medio *quod*, seu *in quo*, nego. Unde nego etiam, quòd non constituerent unum per se; nam ad hoc sufficit, quòd non detur aliquod medium, quòd per se uniatur, & ratione illius uniantur partes; quòd autem detur aliquod medium *quo*, seu, quod sit ratio formalis uniendi præcisè non obstat, ut materia, & forma dicantur immediatè unitæ modo re-

requisito ad constitutionem unius per se compositi.

8 Arg. 2. Verbum Divinum unitur naturæ humanæ sine aliqua unione superaddita: ergo similiter possunt unire materia, & forma sine superaddita unione. Resp. neg. antec. quia, licèt verum sit quòd ex parte Verbi Divini non datur aliqua unio in ipso recepta, eo quòd non sit subjectum capax talis unionis, ut dicitur in materia de Incarnatione; tamen datur unio subjectata in natura humana, & terminata ad Verbum Divinum realiter à Verbo Divino, & natura umana distincta, quòd sufficit ad præsens institutum, cùm constet, non unire aliqua extrema sine unione ab illis realiter distincta. Unde neg. conseq.

9 Dicimus 2. Prædicta unio superaddita materiæ, & formæ non est quid absolutum, sed quid relativum. Hæc conclusio deducitur ex Scoto pluribus in locis, præcipuè in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *de primo*, litt. A. Et probatur ratione ex ipso deducta; quia denominatio uniti est denominatio relativa, cùm consistat in habitudine unius ad aliud: sed denominatio relativa nequit provenire nisi à forma relativa: ergo, Major patet; quia nequit aliquid intelligi unitum, quin etiam intelligatur, cui sit unitum: ergo denominatio uniti est relativa, & dicens habitudinem unius ad aliud. Minor etiam patet; quia absolutum est ad se, & non ordinat unum ad aliud: ergo denominatio relativa debet provenire à forma relativa, & nequit à forma absoluta provenire; ac per consequens, &c.

10 Si autem inquiras, an unio sit relatio intrinsecus, vel extrinsecus adveniens? Resp. ex Scoto cit. §. *ad illud*, litt. K. quòd est relatio extrinsecus adveniens; patet ex eo, quòd non resultat ex positione fundamenti, & termini; possunt enim existere materia, & forma quin sint uni-

unitæ, sed provenit ab aliquo extrinseco, scilicet ab actione agentis; ergo non est relatio intrinsecus, sed extrinsecus adveniens. Neque obstat, quòd iuxta Aristot. ad rationem non detur per se motus; nam hoc solum intelligitur de relationibus intrinsecus advenientibus. Videantur quæ dicimus in Logica loquendo de sex ultimis prædicamentis.

11 Si iterum inquiras ad quod prædicamentum pertineat unio? vide, quæ diximus in Logica loquendo de inhærentia, seu de unione accidentis, disp. de accidenti prædicamentali, ubi invenies, quid ad præsens dubium responderi debeat; quia eadem est ratio hic, & ibi. Plura alia ibi dicta huc veniunt applicanda.

12 Arg. 1. Generatio simpliciter est actio substantialis: ergo terminus illius debet esse quid substantiale; sed per generationem producitur unio; ergo unio nequit esse relatio; quæ est accidens. Resp. quòd per generationem non solùm producitur unio, sed etiam totum compositum substantiale, quòd est terminus primo, & per se intentus à generante, & propter hoc dicitur generatio actio substantialis.

13 Arg. 2. Si unio esset relatio accidentalis, neque materia cum forma; neque natura humana cum Verbo Divino denominarentur unitæ substantialiter, sed tantum accidentaliter; quod præterquam quòd est falsum, etiam loquendo de unione naturæ humanæ cum Verbo Divino, est error Nestorii; unde in Conciliis damnatur qui dixerit, naturam humanam Christi Domini fuisse unitam Divino Verbo secundùm accidens. Sequela patet, quia nihil magis accidentaliter unitum, quàm id, quod denominatur unitum formaliter à forma accidentali. Resp. neg seq. & illius probationem; quia ut aliqua extrema dicantur unita substantialiter, vel accidentaliter, non debet attendi ad formam, qua uniuntur, sed ad unitatem illius,

quòd

quòd ex illis extremis unitis constituitur; unde cùm ex materia, & forma constituatur unum per se compositum substantiale; & ex natura humana, & Verbo Divino unitis unum in persona substantiali, dicuntur substantialiter unita, licèt forma, qua uniuntur sit accidentalis relatio.

14 Quod evidenter patet instantia Theologica, & Philosophica. Theologica desumitur ex Patribus, & Conciliis; quia dum determinant contra Nestorium, unionem naturæ humanæ cum Divino Verbo esse substantialem, & non accidentalem, non fundantur in eo quòd forma media qua uniuntur sit substantia, & non accidens, sed in eo quòd id quod resultat ex unione naturæ humanæ ad Verbum Divinum est unum in hypostasi, seu in persona substantiali, & non duæ personæ solum per affectum unitæ, ut dicebat Nestorius. Philosophica desumitur ex relatione identitatis, à qua Petrus, & Paulus v. gr. denominantur idem in substantia, seu essentia; dicuntur enim substantialiter, seu essentialiter idem; eo quòd habeant eandem substantiam, seu essentiam, licèt relatio identitatis sit accidentalis relatio: similiter ergo dicendum est in nostro casu.

QUÆSTIO II.

An materia, & forma uniantur per unicam, vel per duplicem unionem?

1 Supposita quæstione antecedenti, aliqui volunt, inter materiam, & formam unicam tantùm unionem intercedere; ex quibus aliqui dicunt, talem unionem in sola materia subjectari: alii autem, subjectari in sola forma; alii vero subjectari simul in materia, & forma. Scotistæ tamen communiter cum aliquibus ex aliis tenent, duplicem intercedere unionem, alteram subjectatam in materia, & terminatam ad

for-

formam; alteram verò subjectatam in forma; & terminatam ad materiam. Cum quibus.

2 Dicimus: duplex datur unio inter materiam, & formam modo dicto. Probatur; quia denominatio unionis est mutua in utroque extremo, sicut enim forma dicitur unita materiæ, ita materia dicitur unita formæ: ergo forma à qua provenit talis denominatio debet etiam esse mutua in utroque extremo: sed talis forma est unio: ergo tam in materia, quam in forma debet constitui aliqua unio; ac per consequens, &c. Et potest confirmari à paritate de aliis relationibus v. gr. similitudinis, & identitatis, quæ sunt mutuæ, quapropter in quolibet extremo ponitur relatio: ergo idem dicendum est de relatione unionis; non enim videtur major ratio unius, quam alterius: neque videtur qua ratione relatio unionis non sit mutua. Aliqui volunt adducere aliquas disparitates inter relationem unionis, & alias relationes, quæ quidem disparitates facilè impugnantur, quia non magni momenti; ideòque brevitatis causa illas omittimus; & quia ex dicendis facilè possunt deduci impugnationes.

3 Arg. 1. Unica unio est sufficiens: ergo altera esset superflua; ac per consequens non est ponenda. Probat. antec. quia unio est essentialiter nexus duorum: ergo sufficit unica unio, ut materia, & forma dicantur unitæ. Resp. dist. antec. unica unio est sufficiens, ut unum extremum uniatur per modum subjecti, & alterum per modum termini, concedo; ut utrumque extremum uniatur per modum subjecti, nego; & nego consequentias. Probatio antecedentis eodem modo est distinguenda. Etenim verum est, quod unio est nexus duorum, unius, ut subjecti, & alterius, ut termini; unde, ut sic uniantur aliqua extrema sufficit unica unio; non tamen sufficit, ut utrumque extremum per modum subjecti uniatur; ad hoc enim requiritur,

tur, quod ex parte utriusque extremi ponatur unio in quolibet extremo subjectata. Cujus nulla alia potest assignari ratio, nisi quod, cùm utrumque extremum sit capax unionis per modum subjecti, non debet negari, quod in quocumque illorum ponatur unio, eò vel maximè, quod ex positione illius nullum sequitur inconveniens; imò videtur necessarium, eò quod, ut dictum est, unio sit relatio mutua; idem enim contingit in aliis mutuis relationibus.

4 Dices; licèt verum sit quod utrumque extremum sit capax talis unionis per modum subjecti, & quod non sit major ratio, cur ponatur in uno, quam in altero; poterit tamen Deus determinare in quonam illorum unio ponatur: sed tunc extrema essent verè, & realiter unita? ergo non est ponenda duplex unio. Respond. 1. quod determinatio Dei solùm potest cadere super aliquam indifferentiam, quæ indifferentia non invenitur in nostro casu; non enim dicimus, utrumque extremum ita esse capax unionis, ut sit indifferens ad hoc, ut in uno, vel altero ponatur; sed ita, ut utrumque suam unionem necessariò exigat, sicut utrumque extremum relationis similitudinis v. gr. ita est capax illius, ut necessariò quodlibet suam relationem exigat, non tamen ita ut sit indifferens, ut in uno, vel altero talis relatio ponatur; quapropter non determinatur à Deo, in quonam illorum constituatur relatio.

5 Secundò potest responderi; quod in casu, quo Deus determinaret, tantùm in unico extremo subjectari unionem, & non in altero: tunc verè, & realiter dicerentur extrema unita, non tamen utrumque per modum subjecti, sed alterum per modum subjecti, & alterum per modum termini; quod idem contingeret casu, quo Deus determinaret, relationem similitudinis, v. gr. constitui tantum in unico extremo,

non

non verò in altero. An autem hoc contingere possit? tu ipse videas: nobis tamen videtur, hoc nullatenus venire posse eò quòd relationes sint mutuæ.

6 Arg. 2. unica unio sufficit, ut natura humana uniatur Verbo Divino: ergo etiam ut inter se uniantur materia, & forma. Resp. neg. conseq. quia Verbum Divinum, cùm non sit capax recipiendi in se aliquam entitatem de novo, solum unitur per modum termini, non tamen per modum subjecti, materia verò & forma uniuntur inter se, tam per modum termini, quàm per modum subjecti. Quod potest parificari in aliis relationibus; in creatis enim, sicut effectus dicit relationem realem ad causam, ita causa relationem realem ad effectum; quod non contingit in Divinis, licèt enim creatura dicat relationem realem effectus ad Deum, tanquam ad causam, tamen Deus non dicit relationem realem causæ ad creaturam tanquam ad effectum, eò quòd Deus non est capax recipiendi de novo talem realem relationem.

7 Dubitabis 1. an unio sit de essentia compositi substantialis? Resp. negativè cum Scoto in 3. dist. 2. quæst. 2. §. *quantum ad tertium*, vers. *Et ideò* litt. F. est tamen unio conditio simpliciter requisita ad constitutionem compositi, Prob. 1. quia unio, ut dictum est, est relatio, compositum verò est quid absolutum: sed relatio nequit esse de essentia absoluti: ergo. 2. quia unio, ut etiam dictum est, est accidens: sed accidens non est de essentia substantiæ: ergo unio non est de essentia compositi substantialis, Quòd autem unio sit conditio necessariò requisita ad constitutionem compositi patet ex eo, quòd est impossibile dari compositum ex materia, & forma sine unione.

8 Arg. 1. contra resolutionem; sicut esse album est effectus formalis albedinis, ita esse compositum, seu unitum est effectus formalis com-

compositionis, seu unionis: ergo sicut albedo est de essentia hujus compositi *album*; ita compositio, seu unio erit de essentia compositi ex materia, & forma unitis. Resp. quòd si argumentum intelligatur uniformiter, potest totum concedi, quin contra nos aliquid convincat. Pro cujus intelligentia notandum est, quòd *album* est quoddam concretum dicens pro formali albedinem, & pro denominato subjectum: & similiter compositum substantiale potest esse quoddam concretum accidentale dicens pro formali unionem, seu compositionem, & pro materiali materiam, & formam, seu totum, quod ex illis resultat. Hoc notato, dicimus quòd albedo est de essentia hujus concreti *album* sumpti pro formali, & per se significato; non verò sumpti pro materiali, & denominato: ita similiter unio est de essentia compositi; seu uniti substantialis sumpti pro formali, & per se significato; non verò sumpti pro materiali, & denominato; & hoc solum est quod intendimus.

9 Arg. 2. nequit intelligi compositum sine unione: ergo unio est de essentia compositi. Confirm. partes non sunt essentialiter compositum seclusa unione: ergo. Resp. ad argum. 1. admisso antec. neg. conseq. quia benè stat quod aliquid non possit intelligi sine alio, & quòd non sit de essentia illius, sed tantùm conditio per se requisita ad suum esse essentiale; quod patet in relatione, quæ nequit intelligi sine termino; cùm tamen terminus non sit de essentia relationis: & similiter patet in approximatione agentis ad passum, sine qua nequit intelligi agens actualiter agere; cùm tamen approximatio non sit de essentia actualis actionis, sed tantùm conditio necessariò ad talem actionem requisita.

10 Secundò potest responderi ex dictis ad præcedens arg. dist. antec. nequit compositum

intelligi sine unione, si sumatur compositum pro formali, concedo; si sumatur pro materiali, nego, & nego conseq. Ad confirm. Respond. dist. antec. partes non sunt essentialiter compositum seclusa unione, defectu alicujus essentialiter pertinentis ad compositum, nego; defectu alicujus conditionis necessariò requisitæ ad esse compositi, concedo; & nego conseq.

11 Dubitabis 2. quid sit dicendum de unione partium integralium? Hoc dubium supponit dari totum integrale compositum ex partibus unitis, quòd licèt communiter concedatur loquendo de partibus quantitativis; tamen non ab omnibus admittitur loquendo de partibus entitativis, seu de partibus substantiæ seclusa quantitate; hæc tamen controversia manet discussa in Logica, & suppositis ibi dictis: pro responsione dubii.

11 Primò dicimus, quod partes totius integralis non uniuntur immediatè, sed mediis indivisibilibus (sive quantitativis, sive entitativis) quæ sunt nexus, quibus partes uniuntur. Hæc resolutio videtur esse sine controversia; & fundatur in eo quòd totum integrale est unum compositum per se: sed compositum per se nequit constitui, nisi ex partibus, quæ vel ad invicem comparatæ, vel ad aliud tertium se habeant, ut per se actus ad per se potentiam: sed partes totius integralis ad invicem comparatæ non se habent, ut per se actus ad per se potentiam (in hoc enim distinguuntur à partibus totius essentialis, scilicèt materia, & forma) ergo debet assignari aliquod tertium, respectu cujus prædictæ partes se habeant, ut per se potentia ad per se actum: hoc medium nequit esse aliud nisi prædicta indivisibilia, sunt enim per se actus respectu partium, ut ferè omnes fatentur: ergo prædictæ partes non uniuntur immediatè, sed mediantibus prædictis indivisibilibus.

Se-

13 Secundò dicimus, quòd prædicta indivisibilia non sunt rationes formales uniendi, sed tantùm fundamentum, ut prędictę partes uniantur formaliter per uniones superadditas. Hęc resolutio est communis Scotistarum consensus; & fundatur in eo quòd ut jam dictum est, forma tribuens denominationem relativam, ut est denominatio uniti, debet esse relativa: prædicta indivisibilia sunt quid absolutum, quippè reductivè pertinent ad prædicamentum ipsius compositi, quod est quid absolutum: ergo prædicta indivisibilia non sunt rationes formales uniendi, sed hoc debet tribui unionibus relativis superadditis.

14 Ubi advertendum est, ne aliqua oriatur æquivocatio, quòd (ut benè notavit noster Merinero loquendo de unione) aliud est loqui de unione partium totius integralis, si ad se invicem comparentur; & aliud loqui de unione partium cum prædictis indivisibilibus. Etenim si loquamur de unione partium cùm indivisibilibus, dicendum est, quòd in qualibet parte datur unio subjectata, & terminata ad indivisibile, in quo correspondet altera unio subjectata, & terminata ad unam partem, & etiam alia unio similiter in illo subjectata, & ad aliam partem terminata, quæ quidem uniones sunt relationes extrinsecus advenientes modo dicto de unionibus materiæ, & formæ. Si autem loquamur de unione partium inter se dicendum est, in qualibet parte esse unionem subjectatam, & terminatam ad aliam partem, quæ quidem uniones sunt relationes intrinsecus advenientes; cùm non producantur per se, sed resultent inter partes ad productionem indivisibilis in quo prędictæ partes copulantur, & in cujus unitate fundantur prædictæ relationes tanquam in fundamento proximo. Unde possunt prædictæ uniones collocari in primo genere relationis.

DISP. VI.

De pertinentibus ad compositum.

RECto ordine, cùm jam egerimus in præcedentibus de partibus compositi, & de aliis ad constitutionem ipsius conducentibus, de ipso composito in præsenti venit agendum.

QUÆSTIO I.

An compositum substantiale distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis.

1 SUpponitur tanquam certum, compositum per se physicum realiter distingui à qualibet parte seorsim sumpta tanquam includens ab incluso, licèt inadæquata distinctione, eò quòd preter quamlibet partem etiam includit alteram. Similiter distinguitur realiter ab utraque parte simul; quia, ut patet ex dictis tam circa materiam, quàm circa formam, utraque potest existere sine unione; in quo casu existerent omnes partes absque eo quòd existeret compositum (& de facto contingit in morte hominis; tunc enim non existit homo compositus ex anima, & corpore, existunt tamen anima, & corpus) quo majus signum distinctionis realis nequit inveniri; in hoc enim nulla videtur esse controversia. Præcipua autem difficultas stat in hoc, an scilicet totum compositum per se dicat aliquid realiter distinctum à suis partibus simul sumptis, & unitis; ita ut præter ipsas partes, & unionem dicat aliam entitatem substantialem, quæ communiter dicitur ab Scotistis tertia entitas substantialis ad differentiam materiæ primæ, quæ dicitur prima entitas substantialis; & formæ, quæ dicitur secunda substantialis entitas.

Du-

2 Duplex circa hanc difficultatem est ex diametro opposita sententia. 1. asserit, totum compositum per se physicum nullatenus distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis, sed esse realiter ipsasmet partes unitas. Hæc sententia est ferè communis consensus Thomistarum, & Jesuitarum. Secunda sententia defendit, totum compositum per se physicum realiter distingui à suis partibis simul sumptis, & unitis. Hæc sententia est fere communis consensus Scotistarum cum subtili Magistro in 3. dist. 2. quæst. 2. §. *quantum ad primum ostendo*, litt. C. Diximus; *Ferè communis consensus Scotistarum*, quia aliqui Scotistæ (licèt pauci) oppositum defendunt eò quòd ipse subtilis Magister lib. 1. physic. primam sententiam defendit; sed ut benè notant quamplures Scotistæ, licèt Scotus juvenis hoc ita docuerit, jam provectior factus lo. citato suum consilium tanquam prudens non renuit mutare.

3 Dicimus cum secunda sententia, totum compositum per se physicum realiter distinguitur a suis partibus simul sumptis, & unitis modo supradicto. Hæc conclusio solet probari primò ex Arist. 2. de anima, & aliis in locis in quibus dividit substantiam corpoream in materiam, formam, & compositum, affirmans esse tres substantias; quod non posset verificari, si compositum non esset substantia à partibus realiter distincta.

4 Aliqui respondent; quod Arist. debet intelligi de partibus seorsim sumptis, & composito, tamquam de tribus extremis dividentibus substantiam. Sed contra est, quia ut sic jam non sunt tres substantiæ; quia totum compositum nihil aliud dicit præter materiam, & formam, quæ tantùm sunt duæ substantiæ: ergo ut salvetur prædicta divisio, non debet sic intelligi Arist.

5 Si autem dicas, præter materiam, & for-

mam dari unionem in composito, ratione cujus compositum est aliud membrum à partibus seorsim. Contra est, quia vel unio facit quod compositum sit entitas substantialis distincta à partibus unitis, vel non? Si primum, habemus intendunt. Si secundum: ergo compositum nihil aliud est nisi materia, & forma; & sic tantùm sunt duæ substantiæ. Neque unio, cùm in nostra sententia sit accidens, potest constituere aliud membrum substantiæ: neque adhuc si esset modus substantialis, ut intendunt contrarii, salvaretur divisio; cum unio non sit membrum numeratum ab Arist. sed totum compositum.

6 Prob. 2. conclusio rationibus Scoti. Prima est; si totum per se physicum non diceret tertiam entitatem realiter distinctam à suis partibus simul sumptis, & unius, non distingueretur à toto per aggregationem, quod est contra Aristot. 8. Metaphysicæ ubi tenet totum per aggregationem nihil aliud esse nisi partes aggregatæ, & simul sumptæ: ergo totum per se physicum realiter distinguitur à suis partibus simul sumptis, & unitis.

7 Resp. quod totum per se physicum distinguitur à toto per aggregationem, quia hoc præter partes non dicit unionem quam dicit totum per se physicum. Sed contra est primò, quia etiam totum per aggregationem dicit præter partes approximationem, ratione cujus, distinguitur realiter à qualibet parte seorsim, & ab omnibus simul sinè approximatione, sicut totum per se physicum distinguitur realiter à qualibet parte seorsim, & ab omnibus non unitis ratione unionis: ergo ut totum per se physicum distinguatur à toto per aggregationem dicendum videtur, præter partes simul sumptas, & unitas dicere tertiam entitatem ab ipsis realiter distinctam, quam non dicit totum per aggregationem.

Con-

8 Contra secundò: quia si totum per se physicum ratione unionis tantùm distingueretur à toto per aggregationem, sequeretur, quòd totum per se physicum non distingueretur à toto per accidens; quia etiam hoc præter partes scilicet formam accidentalem, & subjectum, dicit unionem, & sic sicut totum per accidens est simpliciter plura, & tantùm secundùm quid unum ratione unionis; ita totum per se esset simpliciter plura, & tantùm secundùm quid unum ratione unionis: sed quod hæc duo non distinguantur nullus concedit: ergo dicendum est, quod totum per se physicum dicit tertiam entitatem à partibus simul sumptis, & unitis realiter distinctam, ut tam à toto per accidens, quàm à toto per aggregationem distinguatur.

9 Respondent; quòd licèt totum per accidens includat subjectum, formam, & unionem, sicut totum per se, versatur tamen inter illa hæc differentia, quòd totum per se physicum est per se intentum à natura, quia constat partibus ex natura sua ordinatis tamquam actus, & potentia per se, at verò partes totius per accidens non se habent tamquam actus, & potentia per se, neque accidens intenditur per se à natura, sed solùm intenditur ratione subjecti, seu substantiæ.

10 Sed contra est; vel quòd totum per se physicum sit per se intentum à natura, & constet partibus ordinatis ut actus & potentia per se sufficit ut dicat tertiam entitatem realiter distinctam à suis partibus, vel non? Si primum: habemus intentum. Si secundum; argumentum manet in sua vi; scilicet, totum per se non distingui à toto per accidens ratione totius; nam semper esset plura simpliciter, & tantùm secundùm quid unum ratione unionis, sicut totum per accidens. Dicere autem quòd totum per se est per se intentum à natura, non verò to-

tum per accidens, nihil aliud videtur, quàm dicere quod totum per se est totum per se; & totum per accidens est totum per accidens: ergo ut inter illa salvetur distinctio dicendum venit: totum per se dicere tertiam entitatem, quæ sit unum simpliciter, quam tertiam entitatem non dicit totum per accidens, eò quòd non est unum simpliciter, sed simpliciter plura, & tantum per accidens unum.

11 Respondent aliter; quòd major unio reperta inter partes totius per se, quàm inter partes totius per accidens, est sufficiens ad distinguendum unum totum ab alio, Sed contra est; quia major unio reperta inter partes totius per accidens; quàm inter partes totius per aggregationem, non distinguit totum per accidens à toto per aggregationem in hoc quòd utrumque non sit simpliciter plura, & tantùm secundum quid unum; ergo similiter neque major unio reperta inter partes totius per se, quàm inter partes totius per accidens non sufficit ad distinguendum unum ab alio in hoc quòd totum per se non sit plura simpliciter, & tantùm secundum quid unum sicut totum per accidens: ergo ut inter illa assignetur distinctio dicendum est; quòd ratione majoris unionis dicit totum per se tertiam entitatem simpliciter unam realiter à partibus distinctam, quam non dicit totum per accidens.

12 Secunda ratio Scoti est: omnis causa physica realiter distinguitur à suo effectu: sed materia, & forma unitæ causant totum per se, ergo materia, & forma unitæ realiter distinguuntur ab illo. Minor prob. quia materia; & forma causant totum, quatenus illud constituunt. sed constituunt illud ut unitæ ergo ut unitæ illud causant; ac per consequens: &c.

13 Diversimodè respondent contrarii ad hoc argumentum: Primò enim dicunt aliqui, major e m

jorem esse veram de causis extrinsecis; quia hæ producunt effectum extra quem manent, falsam verò de causis intrinsecis; ut sunt materia, & forma; quia hæ ita causant effectum, ut intrinsecè remaneant in ipso. Sed contra est; quia habitudo causæ ad effectum est realis relatio; sed relatio realis requirit extrema realia; & realiter distincta, ut dictum est in Logica loquendo de relatione; ergo quælibet causa sive extrinseca, sive intrinseca realiter distinguitur à suo effectu. Deinde; effectus cujuscumque causæ physicæ est posterior sua causa, & ab illa physicè, & realiter dependens, sed nihil est posterius se ipso, neque à se ipso dependet: ergo nihil potest esse causa sui ipsius in aliquo genere causæ; ac per consequens etiam causa intrinseca distinguitur realiter à suo effectu.

14 Aliter respondent alii; materiam, & formam, ut unitas non causare totum, sed seorsim, & divisim sumptas. Sed contra est; quia implicat, quòd materia, & forma; sive ponantur in rerum natura simul, sive seorsim, causent totum nisi uniantur; hoc nullus negat, quia non causant totum nisi sufficienter applicatæ, quæ quidem applicatio nihil aliud est, nisi unio; & applicatio ad causandum necessariò est prior effectu; ergo materia, & forma, non aliter causant totum quàm unitæ, & conjunctæ.

15 Respondent; verum esse partes necessariò exigere unionem ut causent totum; tamen non causare illud simul sumptas; & unitas; ita ut tam unio, quam materia, & forma in recto illud causent, ita ut possit dici: *Materia, forma, & unio causant totum*; nam ut sic potius sunt ipsum totum; causare tamen ut unitas si divisivè sumantur, ita ut unio non consideretur in recto, sed in obliquo; seu ita ut una pars consideretur in recto, & altera in obliquo, & sensus sit: *Materia unita formæ causat totum*;

forma unita materia causat totum. Sed contra est; quia juxta responsionem quælibet pars seorsim, & alteri unita causat totum: ergo utraque pars simul, & unita causat totum. Patet consequentia, quia à particularibus divisivè sumptis valet consequentia ad universale collectivè: ergo si quælibet pars divisivè causat, utraque simul, & collectivè causat.

16 Sed respondent verum esse, utramque partem causare; materia enim causat, & forma causat, ex hoc tamen non sequitur, quod materia, forma, & unio causent totum; sed quod materia unita formæ illud causat, & similiter forma unita materiæ; sed contra est, quia vel hoc intelligitur, ita ut unio non causet totum tanquam pars, & causa illius; vel quod non causet tanquam causalitas, vel conditio ad causandum? Si primo modo, non est contra nos, fatemur enim, unionem neque esse partem, neque veram causam totius. Si secundo modo non loquuntur consequenter sic respondentes, cùm ipsi teneant unionem esse causalitatem materiæ, & formæ: ergo unio saltim ut causalitas causat totum; & consequenter sicut dicitur quod materia unita causat, & forma unita causat; ita poterit dici quod materia, forma, & unio causant totum, quælibet in sua linea: sed effectus sicut distinguitur realiter à causa, etiam distinguitur realiter à causalitate: ergo totum distinguitur realiter à materia, forma, & unione, seu à materia, & forma simul sumptis, & unitis.

17 Adhuc respondent, quod totum distinguitur à materia, & unione, quæ est causalitas materiæ; & similiter à forma, & unione quæ est causalitas formæ; non tamen à materia, forma, & unione simul; quia effectus eo modò distinguitur à suis causis, quot sunt causæ illius, & cum materia, & unio ut causa, & causalitas; & forma, & unio, etiam ut causa, & causalitas

tas divisivè sumptæ causent totum; totum distinguitur ab illis divisivè sumptis: cum autem collectivè sumptæ non causent totum, sed potius sint ipsum totum, seu effectus causatus; nullatenus totum distinguitur ab illis collectivè sumptis; nihil enim à se ipso distingui potest.

18 Sed contra est primò; quia materia, & forma sunt causæ intrinsecæ, ideòque intrinsecè in effectu remanentes: ergo materia, forma, & unio nequeunt esse ipsum totum causatum. Prob. conseq. quia si materia, forma, & unio essent ipsum totum, neque materia, neque forma aliquid causarent; materia enim non causat se ipsam, neque formam intrinsecè, cùm non sit materia pars intrinseca formæ; neque causat unionem intrinsecè propter eandem rationem; & quia unio est causalitas, seu conditio ad causandum aliud intrinsecè: similiter propter easdem rationes forma non causat se ipsam, neque materiam, neque unionem: ergo assignandum est aliquid distinctum à materia, forma, & unione, quod sit effectus intrinsecus illarum, & consequenter non seorsim, sed simul sumptæ, & unitæ causant totum; & ut sic ab illo realiter distinguuntur.

19 Contra secundò; quia admisso quod quælibet pars scilicet materia, & forma, seorsim causent totum, tamen quælibet est tantùm causa inadæquata, & partialis illius: ergo simul sumptæ, & unitæ sunt causa intrinseca totalis, & adæquata, & consequenter totum, ut effectus illarum, est quid realiter ab ipsis distinctum. Prob. conseq. quia quando duæ causæ extrinsecæ v. gr efficientes, concurrunt partialiter ad aliquem effectum, licèt quælibet seorsim sumpta sit causa partialis, & inadæquata illius, tamen utraque simul, & conjunctim sumpta est causa illius totalis, & adæquata: ergo similiter dicendum est de causis intrinse-

cis scilicet materia, & forma, & consequenter, &c.

20 Respondent, esse disparitatem; quia causæ extrinsecæ sunt efficientes, quando partialiter concurrunt ad aliquem effectum, cùm sint causæ ejusdem rationis, uniuntur in causando ad constituendam unam causam totalem, & adæquatam ejusdem generis: at verò causæ intrinsecæ, ut sunt materia, & forma cùm sint diversi generis non possunt uniri in causando ad constituendam unam causam totalem, & adæquatam; quælibet enim in suo genere est adæquata, ita ut quantum compositum est causabile materialiter, causetur à materia; & quantum est causabile formaliter, causetur à forma.

21 Sed contra est primò; quia nos non intendimus, quod materia, & forma constituant unam causam adæquatam ejusdem generis; hoc enim impossibile apparet, sed solùm intendimus, quod constituant unum adæquatum constitutivum totius, à quo constitutivo adæquatè totum dependeat; nam quælibet pars seorsim, licèt in suo genere causa sit adæquata; tamen est inadæquata in ratione constituendi totum, quippè est una pars illius; & consequenter ratione effectus intrinsecè constituti, & causati est causa inadæquata intrinseca, à qua totum tantùm indæquatè dependet. Unde pro nostra ratione sic potest formari argumentum: totum est adæquatè constitutum, & causatum intrinsecè: sed non constituitur, nec causatur adæquatè intrinsecè à causa materiali, vel formali seorsim sumptis: ergo ab utraque simul sumpta, & unita, & consequenter ab utraque simul sumpta, & unita realiter distinguitur.

22 Contra secundò; quia intellectio v. gr. causatur ab objecto, & potentia per modum unius; licèt objectum possit dici causa totalis in-

intellectionis in genere repræsentativo; & potentia possit dici causa totalis in genere vitali: ergo licèt materia in genere causæ materialis sit causa totalis, & forma in genere causæ formalis sit etiam causa totalis totius; utraque tamen per modum unius causant totaliter, & adæquatè totum. Patet consequentia; quia sicut intellectio est adæquatè vitalis, & repræsentativa; ita totum compositum est adæquatè materiale, & formale: ergo sicut ex objecto in ratione repræsentativi, & potentia in ratione vitalis constituitur una causa extrinseca adæquata intellectionis; ita ex materia in ratione materialis, & ex forma in ratione formalis constituitur una causa intrinseca adæquata compositi. Hæc ratio dependet ex dicendis in lib. de anima ex quibus poterit prosequi, & quidquid ad ipsam respondeatur, impugnari.

23 Tertia ratio Scoti est: terminus generationis substantialis est unum per se substantiale: sed hoc non est materia; hæc enim præsupponitur ad generationem; neque est forma; quia licèt hæc etiam præsupponatur (ut contingit in generatione hominis, ad quam præsupponitur anima creata) & postea uniatur materiæ, erit vera generatio; neque est unio; quia hæc in nostra sententia est accidens relativum, & licèt, ut tenent aliqui ex contrariis sit substantia, non tamen est substantia per se una, quæ sit terminus generationis, sed tantùm est modus substantialis: ergo terminus generationis substantialis erit alia tertia entitas ex materia, & forma constituta, & ab ipsis realiter distincta.

24 Respondent, quod per generationem substantialem producuntur materia, & forma, non entitativè, sed ut unitæ, & in esse compositi; in quo sensu sunt una per se substantia, & terminus generationis substantialis. Sed contra est, quia materia, & forma reduplicati-

vè

vè ut unitæ sunt unum per accidens; dicunt enim unionem, quæ ut sæpè dictum est, est accidens relativum: ergo materia, & forma, ut unitæ nequeunt esse terminus per se generationis substantialis; cùm talis terminus debeat esse unum per se. Deinde partes ut unitæ nihil dicunt præter materiam, formam, & unionem: ergo si forma non producitur per generationem, ut contingit in generatione hominis; neque materia, & aliàs unio non est terminus talis generationis; admittenda est alia tertia entitas, quæ sit unum per se compositum substantiale, & terminus substantialis generationis, realiter à partibus unitis distincta.

25 Quarta ratio Scoti est; quia si totum per se physicum essentiale non esset tertia entitas à partibus simul sumptis, & unitis realiter distincta, non esset assignabile subjectum, cui propriæ passiones, & operationes speciei per se competerent; quia *risibilitas*, *ridere*, *generare*, *&c.* non conveniunt per se primò materiæ; neque formæ ut *quod*, sed tantùm ut *quo*, ut omnes fatentur: neque potest dici quod conveniant primò, & per se materiæ, & formæ unitis; nam propria passio est unius entis & operatio unius speciei provenit ab uno ente; materia autem, & forma adhuc ut unitæ non sunt simpliciter unum ens, sed simpliciter plura, & tantùm secundùm quid unum, ut jam dictum est: ergo totum per se physicum essentiale dicit tertiam entitatem substantialem à partibus simul sumptis, & unitis realiter distinctam, quæ est unum per se substantiale, & per se subjectum passionum, & operationum speciei.

26 Pluribus insurgunt adversarii contra nostram conclusionem; ex quibus præcipua proponemus, & ex solutione illorum, quid ad alia responderi debeat, facilè cognoscetur. Argum. igitur primò; materia, & forma semel unitæ, & seclusa omni alia entitate superaddita constituunt

tuunt unum per se substantiale: sed non unum per se unitate simplicitatis: ergo unitate compositionis; & consequenter compositum substantiale non addit aliquam entitatem super materiam, & formam simul sumptas & unitas. Prob. mai. 1. quia secundùm Aristot. 2. de anima, cap. 1. text. 7. & 8. met. cap. ultim. ex prima potentia, & primo actu inter se unitis constituitur unum per se: sed prima potentia est materia prima, & primus actus est forma substantialis: ergo ex materia, & forma unitis constituitur unum per se: ac per consequens non est addenda alia tertia entitas ab illis distincta. Prob. 2. eadem major, quia eo ipso, quod intrinsecè uniantur aliqua duo ad invicem ordinata ut actus, & potentia per se absque alio superaddito resultat unum ens per se: sed materia, & forma ad invicem ordinantur, ut actus, & potentia per se: ergo eo ipso quod intrinsecè uniantur, absque alio superaddito resultat ex illis unum per se. Prob. 3. eadem major; quia unum per se compositum, ut distinctum à simplici nihil aliud importat, quam simultaneam partium positionem, & unionem intrinsecam illarum; per hoc enim distinguitur essentialiter, & à quolibet toto, seu ente per se simplici, & à qualibet parte ipsius seorsim sumpta: ergo non est necessaria alia tertia entitas à partibus simul sumptis, & unitis realiter distincta.

27 Resp. neg. mai. ad cujus primam probationem dicimus, quod Arist. debet intelligi in sensu causali; ita ut sensus sit, quod ex potentia prima, & actu primo, scilicet materia prima, & forma substantiali, resultat unum per se compositum, quod est effectus illarum, & sic ab illis realiter distinctum. Ad secundam probationem respondetur, quod quando partes, non quomodocumque uniuntur, seu tanquam causæ, ut uniuntur materia, & forma, ipsæ ut unitæ non sunt compositum per se, sed causa adæ-

qua-

quata ipsius per se compositi, quod est tertia entitas ab ipsis, ut unitis, causata, & sic ab illis realiter distincta. Unde neganda est mai. in sensu argumenti. Ad tertiam probationem respondetur negando antecedens; quia quando partes uniuntur tanquam causæ per se, compositum ab illis causatum distinguitur ab ente simplici, & à qualibet parte ipsius compositi seorsim; quia est quædam tertia entitas per se causata ab illis partibus unitis, & illas essentialiter includens.

28 Replicant 1. si daretur aliqua tertia entitas à partibus unitis realiter distincta, posset ab illis separari saltim supernaturaliter: sed hoc repugnat, ut ex se patet: ergo. Sequella patet, quia absolutum (ut est totum compositum) quod realiter ab alio absoluto (ut sunt materia, & forma) distinguitur, potest ab illo separari: ergo si daretur tertia entitas à partibus unitis realiter distincta, posset ab illis separari. Resp. neg. seq. & dist. anteced. probationis; si illud absolutum non est posterius, & essentialiter dependens ab alio; concedo; si est posterius, & essentialiter ab alio dependens, nego. Etenim, cùm illa tertia entitas sit posterior partibus unitis posterioritate effectus, & essentialiter dependens ab illis tanquam à partibus ipsum intrinsecè causantibus, & constituentibus: hinc est, quòd nullatenus possit existere sine illis.

29 Dices: ergo saltim partes unitæ, quæ sunt priores composito, independentes ab illo poterunt sine illo existere; quod etiam videtur implicare; nego non est admittenda talis tertia entitas. Resp. neg. 1. conseq. quia cùm uniones materiæ, & formæ sint causalitates, vel conditiones necessariò requisitæ ad causandum, & quibus mediis compositum actualiter causatur, implicat, prædictas partes esse unitas, & non esse totum; quia implicat causam esse actualiter

cau-

causantem, & non esse effectum actualiter causatum. Quando autem communiter dicitur, absolutum prius alio, & independens ab illo, posse sine illo actualiter existere, debet intelligi, quatenus est ex se, & ex natura sua intrinseca, cum quo bene componitur, quòd ratione alicujus adjuncti, nequeat existere sine illo; quod quidem contingit in materia, & forma unitis, quæ licèt sint priores toto composito, & ab illo independentes, sunt tamen causæ actualiter illud causantes, quapropter sine illo existere nequeunt. Quod ab aliquibus solet dici dependentia à posteriori, quæ est sufficiens, ut unum sine alio existere non possit.

30 Replicant 2. si totum compositum est tertia entitas realiter à suis partibus distincta: ergo sicut partes includuntur in toto composito, ita illa tertia entitas includetur in illo, tanquam tertia pars materiæ, & formæ superaddita: ergo sicut illa tertia entitas causatur à materia, & forma simul sumptis; quia sunt partes illius; sic etiam à partibus, & illa tertia entitate causabitur alia entitas, & sic in infinitum; quod nullatenus est dicendum: ergo non est admittenda talis tertia entitas à partibus simul sumptis realiter distincta. Confir. quia illa tertia entitas adveniret enti in actu; ac proinde accidentaliter: ergo non poterit totum exinde resultans esse unum per se; quod est falsum. Antec. patet; nam adveniret materiæ jam constitutæ in actu per formam substantialem.

31 Resp. ad arg. neg. conseq. quia illa tertia entitas non est pars compositi, neque includitur in composito, sed est totum compositum per se physicum causatum à materia, & forma unitis, & illas, tamquam partes, essentialiter includens. Ubi notandum est, hanc tertiam entitatem aliunde habere esse compositum, ac esse distinctam à suis partibus simul sumptis, & unitis: est enim compositum, quatenus includit

par-

partes; & est distincta à partibus quatenus est effectus causatus ab illis, tanquam à causis intrinsecis. Ad confirmat. (præterquàm quòd maximè in æquivoco laborat) resp. disting. antec. illa tertia entitas adveniret enti in actu, tamquàm forma in ipso recepta, nego; tanquam aliquid ab ipso pullulans, ab ipso causatum, & illud includens, concedo. Unde nego, quòd adveniret accidentaliter, nam hoc solum esset verum, si adveniret enti in actu ipsum informando. Per quod patet ad probationem antecedentis.

32 Adhuc. Replicant; quæ constant eisdem partibus sunt idem realiter: sed totum constat eisdem partibus, quibus constant partes unitæ: ergo totum, & partes unitæ sunt idem *realiter*, Resp. disting. mai. si partes se habeant eodem modo, admitto: diverso modo, nego. Similiter distinguo min. totum constat eisdem partibus, quibus constant partes unitæ, eodem modo, nego; diverso modo, admitto, & nego conseq. Etenim partes unitæ licèt constent materia, & forma; non tamen ut unitis; nam ut sic potius dicuntur materia, & forma unitæ, non tamen dicuntur constare materia, & forma unitis, quia nihil dicitur constare se ipso: at verò totum compositum rectè dicitur constare materia, & forma unitis.

33 Arg. 2. Si homo distinguitur realiter à materia, & forma unitis, non includeret illas essentialiter, ut partes; sed homo essentialiter includit materiam, & formam; ergo non distinguitur realiter ab illis. Mai. patet, quia nihil realiter distinguitur ab illo, quod essentialiter includit: ergo si homo distingueretur realiter à suis partibus, non includeret illas essentialiter. Resp. neg. mai. & disting. antec. probationis; nihil realiter distinguitur ab illo, quòd essentialiter includit metaphysicè, concedo; quod essentialiter includit physicè, nego. Totum enim

com-

compositum per se physicum non includit materiam, & formam metaphysice, sed tantum physicè; unde benè potest ab illis realiter distingui.

34 Replic. definitio essentialis rei non distinguitur realiter ab ipsa re, cujus est definitio: sed materia, & forma unitæ sunt definitio compositi substantialis: ergo non distinguuntur realiter ab illo. Mai. patet, quia ex eo animal rationale non distinguitur realiter ab homine, quia est hominis definitio essentialis: ergo definitio essentialis non distinguitur realiter à re, cujus est definitio. Min. etiam patet; quia ex eo animal rationale est definitio essentialis hominis, quia animalitas, & rationalitas sunt partes essentiales ipsius hominis: sed materia, & forma unitæ sunt partes essentiales compositi: ergo etiam sunt definitio essentialis illius. Resp. disting. mai. definitio essentialis rei non distinguitur realiter ab ipsa re, cujus est definitio, secundùm id, quòd definitio dicit in recto, concedo; secundùm id quòd dicit in obliquo, & de connotato, nego. Distinguo etiam min. materia, & forma unitæ sunt definitio compositi in recto, nego; in obliquo, & de connotato, concedo, & nego consequent. Materia enim, & forma non sunt definitio compositi si sumantur in recto, ita ut sensus sit: *Homo v. gr. est corpus, & anima, & unio*; benè tamen sunt quid connotatum in definitione compositi, ita ut verum sit dicere: *Homo est quid constans corpore, & anima*; seu, quod idem est: *Homo est tertia entitas physica substantialis, & composita ex corpore, & anima*; per quod patet ad probationes; nam in definitione metaphysica partes essentiales in recto sunt definitio, & sic verum est dicere: *Homo est animal rationale*, quapropter partes essentiales metaphysicæ non distinguuntur realiter ab homine v.gr. benè tamen partes essentiales physicæ.

Arg.

35 Arg. 3. Si totum distinguitur realiter à suis partibus simul-sumptis, & unitis; vel per *esse* commununicatum intrinsecè ab ipsis, vel per aliud *esse*? Non per aliud; nam *esse* effectus est intrinsecè communicatum à partibus tanquam ab intrinsecis constitutivis: neque per *esse* communicatum ab illis, nam tale *esse* non distinguitur à proprio *esse* materiæ, & formæ; causa enim materialis, & formalis non causant communicando aliud *esse*, sed per suimet exhibitionem suum proprium *esse* communicando? ergo nullatenus compositum à suis à partibus simul sumptis, & unitis realiter distinguitur. Resp. quòd totum compositum distinguitur à suis partibus simul sumptis, & unitis per *esse* communicatum ab ipsis causaliter, quòd quidem *esse* constituitur intrinsecè ex *esse* ipsarum partium, eò quòd ipsas partes intrinsecè includit. Unde aliud est loqui de modo, quo partes causant, & aliud de effectu ab illis causato; causant enim partes communicando suum proprium *esse*, sed non communicant suum proprium *esse* illud causando, nam idem nequit causare se ipsum; illud verò communicant causando effectum compositum ex *esse* ipsius materiæ, & formæ, qui quidem effectus realiter distinguitur ab ipsis partibus tamquam à causis. Ex quo potest in forma distingui dicendo; materia, & forma causant communicando suum proprium *esse*, ita ut effectus ab illis causatus includat ipsum *esse* illarum, est verum; ita ut proprium *esse* illarum sit effectus causatus ab illis, est falsum; quia ut dictum est idem nequit causare se ipsum. Unde nullatenus sequitur compositum non esse tertiam entitatem realiter à partibus simul sumptis, & unitis distinctam; solum autem sequitur, illam tertiam entitatem, quæ est effectus intrinsecè causatus à partibus, includere intrinsecè ipsas partes, & *esse* ipsarum partium.

Re-

36 Replicant; si totum distinguitur realiter à partibus simul sumptis, & unitis necessariò excludit partes: sed ex supradictis totum compositum includit realiter partes: ergo non distinguitur realiter ab illis. Prob. seq. maj. quia distinctio est, unum non esse aliud: sed hoc dicit exclusionem unius ab alio: ergo si totum distinguitur à partibus, excludit illas; ac per consequens, &c. Resp. neg. seq. & min. prob. Aliud enim est, unum non esse aliud, & aliud, unum excludere aliud; nam unum non esse aliud dicit distinctionem in communi unius ab alio, at verò, unum excludere aliud dicit distinctionem in particulari unius ab alio, scilicet distinctionem excludentis ab excluso; cùm tamen præter istam distinctionem detur etiam distinctio includentis ab incluso; hinc est, quòd non sit idem, unum non esse aliud; ac, unum excludere aliud; potest enim unum non esse aliud, seu esse ab alio distinctum, & tamen illud includere; quod contingit in præsenti: totum enim compositum non est partes realiter, seu est distinctum realiter à partibus, & tamen illas intrinsecè includit; quapropter hæc distinctio dicitur includentis ab incluso.

37 Ubi advertendum est, quòd talis distinctio est adæquata; quia distinctio includentis ab incluso inadæquata dicitur, quando includens non solùm includit illud à quo distinguitur, sed etiam aliquid aliud; hoc modo distinguitur totum compositum à qualibet parte seorsim; quia præter quamlibet partem includit aliam: ergo distinctio includentis ab incluso adæquata erit quando includens tantùm includit id a quo distinguitur, & nihil aliud: sed totum compositum includit partes, scilicet materiam, & formam, & nihil aliud: ergo distinguitur ab illis distinctione includentis ab incluso adæquata.

38 Arg.4. Si daretur tertia entitas realiter à par-

partibus distincta, neque esset corporea, neque spiritualis: hoc nequit dici: ergo non datur talis tertia entitas. Prob. seq. quia quod realiter distinguitur à corpore, & anima, non est corporeum, neque spirituale: ergo si daretur tertia entitas realiter à partibus distincta non esset corporea, neque spiritualis. Resp. neg. seq. & disting. antec. prob. quod realiter distinguitur à corpore, & anima, non est corporeum, neque spirituale; si distinguatur distinctione excludentis ab excluso, concedo; si distinguatur distinctione includentis ab incluso, nego. Etenim illa tertia entitas, cùm solùm distinguatur à partibus distinctione includentis ab incluso, est partim corporea, & partim spiritualis ratione partium, scilicet corporis, & animæ, quas intrinsecè includit. Hoc etiam potest ostendi loquendo de distinctione totius compositi à qualibet parte seorsim; nam totum compositum (licèt non sit tertia entitas distincta à partibus simul, ut tenent contrarii) est corporeum, & spirituale, etiam si distinguatur à corpore, vel ab anima; eò quòd talis distinctio est distinctio includentis ab incluso. Potest etiam dici illa tertia entitas simpliciter corporea; quia effectus sequitur debiliorem partem, sed hoc reducitur ad modum loquendi, & ad quæstionem de nomine.

39 Arg. 5. Si homo diceret tertiam entitatem à partibus simul sumptis realiter distinctam, sequeretur, Verbum Divinum illam assumpsisse in Incarnatione, & illam dimisisse in triduo mortis; tunc enim non extitit talis tertia entitas: sed hoc est contra D. Damascenum asserentem, ut dicitur in materia de Incarnatione, Verbum Divinum, nihil eorum, quæ semel assumpsit, dimisisse; ergo non est admittenda talis tertia entitas. Resp. concessa sequella majoris, neg. min. quia Damascenus tantùm intendit, Verbum Divinum, nullam partem naturæ

turæ humanæ, quam assumpsit, dimisisse; cum quo benè componitur, quod dimiserit aliquid, quod non erat pars, ut est tertia entitas. Vel potest intelligi Damascenus; quòd nihil dimisserit Verbum Divinum eorum, quæ assumpsit; ita ut existeret à parte rei postquam fuerit dimissum; quod non est contra nos, nam tertia entitas non extitit in rerum natura post dimissionem; quod idem debent dicere, qui oppositum tenent; nam Verbum Divinum assumpsit partes unitas, & tamen dimisit unionem, quæ non extitit in triduo mortis.

40 Arg. 6. ex symbolo S. Athanasii ubi dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus, & homo unus est Christus*: Sed Christus non dicit tertiam entitatem realiter distinctam à Verbo Divino, & natura humana unitis: ergo neque homo dicit tertiam entitatem à carne, seu corpore, & anima unitis, realiter distinctam. Resp. quòd prædicta authoritas tantùm intendit, quòd sicut ex anima rationali & carne, seu corpore constituitur unus homo, ita ex natura divina, & humana constituitur Christus, qui est unus in persona; cum quo benè stat quòd in homine detur tertia entitas à partibus realiter distincta, quin detur in Christo tertia entitas realiter distincta à natura divina, & humana; unde concessa minor. neg. conseq. Ad aliquas authoritates PP. quæ solent adduci contra nostram conclusionem, dicendum est, quòd PP. solùm intendunt totum compositum nullam partem dicere præter materiam, & formam; vel compositum essentialiter includere materiam, & formam, quod nos nullatenus negamus.

41 Dubitabis 1. quomodo totum compositum includat partes? Hoc dubium adducitur propter nostrum Philippum Fabrum, qui *Theoremate* 21. tenet, partes, scilicet materiam, & formam non includi in composito secundùm

pro-

proprias rationes formales, sed transire in tertiam entitatem, suas proprias entitates ammittentes; & in hoc sensu, inquit, non distinguuntur partes à toto, sed sunt ipsummet totum, seu tertia entitas; distinguitur tamen totum à partibus secundum suas rationes formales sumptis; quippè quando datur totum, seu tertia entitas, non dantur partes secundum suas rationes formales, quod est evidens signum realis distinctionis. Contra quem modum dicendi.

42 Resp. ad dubium cum communi Scotistarum consensu, quòd partes secundum proprias rationes formales includuntur in toto composito. Pluribus rationibus hæc resolutio solet probari, ex quibus aliquas breviter attingemus. 1. est; quia alias productio totius essentialis physici non esset generatio; sed conversio, seu transubstantiatio materiæ, & formę in tertiam entitatem. 2. est; quia aliàs totum essentiale physicum non esset compositum ex materia, & forma; neque materia, & forma constaret, cum hæc non essent formaliter in illo. 3. est; quia aliàs non daretur in rerum natura materia prima, neque forma substantialis; & consequenter, neque anima rationalis in homine, quod nullatenus est dicendum. Aliæ rationes possunt videri apud *Pontium in physica*, disp. 8. quæst.2. quas omittimus, quia sententia *Fabri* facilis est impugnationis, & parum controversa. Fundamenta ipsius *Fabri* facilè diruuntur ex dictis in tota quæstione.

43 Dubitabis 2. an distinctio totius à partibus sit mutua. Resp. affirmativè. Sic communiter Scotistæ recentiores contra aliquos antiquos. Prob. & simul impugnantur contrariorum fundamenta; quia distinctio inter causam, & effectum debet esse mutua; sicut enim implicat, quòd aliquid producat, & causet se ipsum: ita implicat, quòd aliquid producatur, & causetur à se

à se ipso: ergo sicut partes distinguuntur à toto tanquam ab effectu; ita totum distinguitur à toto tanquam à causis. Neque obstat, quòd totum nequeat existere sine partibus, & quod partes possint existere sine toto; nam si ex eo quòd totum non possit existere sine partibus sequeretur, quòd non distingueretur realiter ab ipsis: ergo etiam ex eo quòd partes unitæ non possint existere sine toto, sequeretur quòd partes unitæ non distinguantur a toto; sed consequentia non admittitur: ergo nec debet admitti antecedens; & consequenter talis distinctio est mutua. Deinde quòd totum nequeat sine partibus existere non impedit distinctionem realem totius à partibus; nam aliàs Verbum Divinum; quod nequit existere sine Patre Æterno non distingueretur realiter ab illo, quod nullus Catholicus concedit. In quo sensu hæc distinctio dicatur mutua deducendum est ex dictis in Logica loquendo de distinctione formali inter superius, & inferius.

QUÆSTIO II.

An totum per se integrale, & totum per accidens, distinguantur realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis?

1 Dicimus 1. pro primo quod inquirit quæstio: totum per se integrale distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis. Hæc conclusio videtur conformis principiis Scoti juxta dicta quæstione antecedenti, licèt aliqui Scotistæ oppositum teneant; pro illa autem Meriner. *lib. 1. physic. disp. 5. q. 3. sect. 2.* cit. Scotum in 2. *distinctione* 16. §. *alia opinio, lit:* F. sed tamen Scotus videtur apertè loqui de distinctione totius per se integralis à qualibet parte seorsim sumpta, non tamen ab omnibus partibus simul sumptis, & unitis.

2 Prob. tamen conclusio ratione; qu
tum integrale est totum per se, ut suppo
ergo sicut totum per se essentiale realiter d
guitur à suis partibus simul sumptis, &
in esse essentiali; ita totum per se integral
liter distinguitur à suis partibus simul
ptis, & unitis in esse integrali. Paritas vi
tenere; quia ideò totum per se essentiale d
guitur realiter à suis partibus simul sumpti
unitis; quia est unum per se, partes ver
huc, ut unitæ, sunt plura simpliciter: se
tum per se integrale est unum per se in es
tegrali, sicut totum per se physicum est
per se in esse essentiali: ergo totum per se
grale realiter distinguitur à suis partibus
sumptis, & unitis, quippè hæ, adhuc ut
sunt plura simpliciter; eo vel maximè,
aliàs totum per se integrale non distingue
à toto per accidens, quod non est admitten
ut dictum est quæst. antec. de toto per se
tiali.

3 Confirm. quia ex eo totum per se essen
distinguitur realiter à suis partibus simul
ptis, & unitis: quia partes illius se habent
per se actus, & per se potentia, sed parte
tius per se integrales se habent ut per se pote
respectu indivisibilium, quæ se habent ut p
actus: ergo.

4 Arg. 1. totum distinctum à partibus d
esse distinctæ rationis ab illis: sed tota aqua
tegralis v. gr. non est distinctæ rationis à p
bus: ergo non distinguitur ab illis. Prob.
quia partes ex quibus resultat tertia entita
illis distincta debent accipere aliquod com
mentum ab illa tertia entitate, & esse esse
liter incompletæ: sed si partes sint ejusder
tionis cum composito, non recipiunt aliq
complementum ab aliqua tertia entitate,
sunt essentialiter incompletæ: ergo totum
stinctum realiter à partibus debet esse distir

ra

rationis ab illis. Resp. disting. maj. totum distinctum à partibus debet esse distinctæ rationis ab illis in illa linea, in qua est totum distinctum à partibus, concedo; in alia linea, nego. Distinguo etiam min. tota aqua integralis non est distinctæ rationis à partibus in esse essentiali, concedo; in esse integrali, nego. Similiter distinguo consequens; totum integrale non distinguitur à suis partibus essentialiter, concedo; integraliter, nego; & per hoc patet ad probationem; nam partes totius integralis recipiunt à tertia entitate integrali integrale complementum, quia respectu totius sunt per se incompletæ in tali esse integrali; licèt non sint incompletæ, sed completæ, & ejusdem rationis cum toto in esse essentiali, in quo esse ab illo non distinguuntur.

5 Arg. 2. Si totum per se integrale distingueretur realiter à suis partibus, sequeretur primò, quòd materia prima posset produci de novo, & destrui à causa secunda; quia posset à tali causa continuari, & discontinuari; & quando discontinuaretur, destrueretur tertia entitas resultans ex partibus ejus continuatis, quæ tertia entitas esset materia prima; & quando continuarentur de novo produceretur tertia entitas, quæ etiam esset materia prima: sed hoc non est dicendum; quia materia nequit produci, nec destrui à causa secunda; cùm producatur per creationem, & destruatur per annihilationem, quod est proprium causæ primæ; ergo totum per se integrale non dicit tertiam entitatem realiter à suis partibus distinctam. Secundò sequeretur; idem individuum naturaliter reproduci, quia si ex partibus aquæ resultaret tertia entitas ab illis realiter distincta, si illæ partes separarentur, destrueretur talis tertia entitas, & si iterum continuarentur, iterum produceretur ipsa tertia entitas numero: sed hoc non est dicendum: ergo.

6 Respond. dist. maj. si totum per se integrale distingueretur à suis partibus simul sumptis, & unitis, posset materia prima produci de novo, & destrui quoad esse integrale, concedo; quoad esse essentiale: nego. Hoc secundum esset inconveniens; non verò primum; quia materia prima creatur, & annihilatur quoad esse essentiale, seu actualis quidditatis, quod solùm à causa prima potest provenire; quoad esse verò actualis integritatis non dicitur creari, seu annihilari; & sic tale esse potest à causa secunda destrui, & produci. Similiter respondetur ad confirm. quòd individuum reproduci posset à causa secunda quoad esse integritatis; licèt non quoad esse actualis quidditatis, de quo alibi; quod nullum est inconveniens.

7 Dicimus 2. pro secundo quòd inquirit quæstio; totum per accidens non dicit tertiam entitatem realiter distinctam à suis partibus simul sumptis, & unitis. Hæc conclusio videtur expressa Scoti in 3. distinct. 2. quæstion. 2. §. *quantum ad tertium*, vers. *Et si quæras sub litt. E.* quem sequuntur ferè omnes Scotistæ. Rationem pro illa assignat Scotus loco citat. dicens; quòd totum per se distinguitur à toto per accidens in eo, quòd totum per se dicit tertiam entitatem per se unam, quam non dicit totum per accidens; quia partes totius per se sunt per se causæ illius tanquam actus, & potentia per se; partes verò totius per accidens non sunt per se causæ, sed tantùm actus, & potentia per accidens, cujus nulla alia potest assignari ratio, inquit ipse Scotus ex phyl. 8. met. nisi quia istæ entitates (scilicet partes totius per se) sunt tales; & aliæ (scilicet partes totius per accidens) sunt alterius rationis.

8 Si autem dicas; ex hoc solùm sequi, totum per se esse totum per se, & totum per ac-

accidens esse totum per accidens; non tamen, totum per accidens non dicere tertiam entitatem per accidens unam realiter distinctam à suis partibus simul sumptis, & unitis, sicut totum per se dicit tertiam entitatem per se unam à suis partibus simul sumptis, & unitis realiter distinctam. Hoc nihil valet, nam contra est; quia ex tali responsione potius sequitur, quod nos intendimus, quam aliquid contra nos; quod patet; nam dicere, quod totum per accidens dicit tertiam entitatem per accidens unam, idem est, ac dicere, quod illa tertia entitas est simpliciter plura; quia nihil aliud est, esse per accidens unum, quam esse plura simpliciter: sed partes totius per accidens unitæ sunt simpliciter plura: ergo etiam sunt per accidens unum; & consequenter, ut detur totum, quod sit unum per accidens, non est necessarium addere tertiam entitatem à partibus simul sumptis, & unitis realiter distinctam.

9 Deinde probat. conclusio ratione communi; quia, si totum per accidens diceret tertiam entitatem realiter à partibus simul sumptis, & unitis distinctam, vel esset substantia, vel accidens? Non substantia; quia talis entitas includeret essentialiter accidens, quod substantia nequit includere; neque esset accidens; quia includeret essentialiter substantiam, quam accidens includere nequit: ergo totum per accidens non dicit tertiam entitatem à partibus simul sumptis, & unitis realiter distinctam.

10. Arg. 1. ex Scoto citat. §. *quantum ad primum, lit. C.* Ubi dicit totum per accidens esse magis unum, quam totum per aggregationem, & non esse suas partes: ergo ex mente Scoti, totum per accidens dicit tertiam entitatem à suis partibus simul sumptis, & unitis realiter distinctam.

Respond. negat consequent. quia Scotus solùm intendit totum per accidens esse magis unum; quam totum per aggregationem, quod non probat ex eo quod totum per accidens dicat tertiam entitatem realiter distinctam à suis partibus simul sumptis, & unitis, quam non dicit totum per aggregationem; sed ex eo quod partes totius per accidens sint magis unitæ; quia dicunt unionem intrinsecam, quam partes totius per aggregationem, quæ non dicunt unionem intrinsecam, sed tantùm approximationem; & dicit Scotus, totum per accidens non esse suas partes, quod intelligitur de partibus non unitis; quia prædictæ partes possunt simul esse approximatæ, quin detur totum per accidens defectu intrinsecæ unionis, quod sufficit, ut differat à toto per aggregationem; hoc enim datur per hoc præcisè, quod partes illius ponantur simul approximatæ. Et quod hoc sit intentum Scoti patet ex lit. ipsius; inquit enim: *Homo albus est unum aliquid; quia albedo inest homini, non autem esset tale totum, si non informaret.*

11 Argum. 2. ex eo totum per se distinguitur à suis partibus simul sumptis, & unitis, quia hæ sunt intrinsecæ causæ illius: sed partes totius per accidens sunt intrinsecæ causæ illius: ergo distinguitur realiter ab illis. Respondet. negat. min. quia ubi non est aliquod unum causatum, neque dantur causæ illius; totum enim per accidens, ut dictum est, est simpliciter plura; quæ quidem plura sunt ipsæ partes unitæ; unde non datur aliquod unum, quod causetur ab illis; nam nihil potest se ipsum causare. Si autem inquiras; quare partes totius per se sunt causæ illius; non verò partes totius per accidens? Recurrendum est ad illarum entitates; quia scilicet partes totius

tius per se sunt tales entitates, ex quibus unum per se constituitur, quod non est plura simpliciter, ut sunt ipsæ partes unitæ; partes verò totius per accidens sunt tales entitates, ex quibus constituitur unum, quod est plura simpliciter; & cùm ipsæ partes unitæ sint plura simpliciter, ipsæ unitæ sunt totum constitutum; & sic nihil, realiter ab ipsis distinctum, causant; & in hac responsione videtur sistendum, ne in infinitum procedatur.



LIBER SECUNDU

PHYSICORUM.



Oſtquam de corpore naturali, trinſecis principiis illius in p libro egit Ariſt. in ſecundo de ipſius corporis naturalis ca tam intrinſecis, quàm extrin & etiam de ipſius natura tan de principio motus, & quietis ſermonem tuit.

D I S P. I.

De natura in communi.

PRo hujus diſputationis intelligentia n dum eſt, naturam multipliciter poſſe 1. pro mente Divina, quam aliqui natura turantem, ſeu omnia parturientem appel tanquam omnium rerum Opificem, 2. pro verſitate rerum, in quo ſenſu communiter tur, aliquid eſſe in rerum natura. 3. pro tia cujuſcumque rei, quæ quatenus eſt proprietatum, dicitur natura. 4. pro cauſ turalibus quatenus habent inſitam, & inn proprietatem ad operandum. 5. pro nativ viventis quatenus natura idem ſonat, ac na tia, ſeu ratio naſcendi, 6. pro interno princ unde per ſe primo quælibet res habet move qaieſcere; & hoc ſive motus ſit phyſicus, & ſibilis, ſive non. 7. pro principio intri motus, & quietis phyſici, & ſenſibilis; in ſenſu pertinet ad conſiderationem phyſica in illo loquitur Ariſt. de natura.

QUÆSTIO I.

An definitio naturæ rectè sit tradita ab Aristot.

1 ARist. cap. 1. hujus libri, his verbis naturam definivit: *Natura est principium, & causa motus, & quietis ejus in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.* Sic communiter traditur definitio naturæ à Philosophis; licèt aliis æquivalentibus verbis ab Arist. sit tradita, scilicet: *Natura est principium, & causa movendi, & quiescendi, in quo est primum per se, & non secundùm accidens.* Nunc inquirimus, an sit exacta prædicta definitio? an essentialis, vel descriptiva.

2 Dicimus 1. prædicta definitio est bona. Sic communiter Philosophi. Prob. quia per illam rectè explicatur quid sit natura prout à quolibet alio distincta: ergo. Antec. non melius ostendi potest, quam explicando particulas ipsius definitionis ex mente Scoti quæst. 3. sup. 2. physic. Dicitur *principium*, quod ponitur loco generis, in quo convenit natura cum aliis principiis, quæ natura non sunt. Dicitur *& causa*, per quod denotatur, quòd natura non est quodcumque principium, sed principium quod est causa; in quo distinguitur natura à privatione, quæ licèt sit principium, tamen causa non est. Dicitur *motus*, quod debet intelligi de quacumque mutatione physica, sive instantanea, sive successiva. Dicitur, & *quietis*, pro cujus intelligentia est advertendum, quod *quies* dupliciter usurpatur, privativè, scilicet, & positivè. Privativè dicit carentiam motus præcisè, in quo sensu non sumitur in præsenti: quia nullum principium debet assignari ordinatum per se ad negationem motus; ad hoc enim sufficit, quòd res, quæ non movetur,

non habet in se principium motus. Positivè, seu, quod idem est, terminativè; dicit possessionem termini ipsius motus, in quo termino res, quæ movetur naturaliter dicitur quiescere; & in hoc sensu sumitur in præsenti; & in hoc distinguitur natura à principiis, quæ non sunt causa motus, & quietis, ut est Deus, quatenus est principium rerum, quæ creantur; quia, cum non supponant aliquod subjectum, quod dicatur mutari, non producuntur per motum, neque datur quies motui correspondens.

3 Dicitur *ejus, in quo est*, per quod datur intelligi, quòd natura debet esse principium intrinsecum, seu intrinsece inexistens rei, quæ movetur; & quiescit; in quo distinguitur à causis extrinsecis, ut sunt efficiens, & finalis. Dicitur *primo*, quæ particula debet conjungi cum illa *principium & causa*, quia natura est primum principium, & prima causa motus, & quietis, ita ut non præsupponat aliud principium, ratione cujus insit rei quæ movetur; in quo distinguitur à potentia loco motiva, quę ineit rei, quæ movetur ratione alterius principii, scilicet, formæ substantialis. Dicitur *per se*, quæ particula etiam conjungitur cum illa *principium, & causa*; & ponitur ad excludendum consortium causæ extrinsecæ; & idem est ac dicere, quòd natura est principium & causa motus, ita ut se sola, & sine consortio alicujus extrinseci talem motum principiet, & causet; unde forma ferri v. gr. non dicitur natura respectu motus, quo ferrum fertur ad magnetem; nec talis motus dicitur naturalis respectu ferri; licèt ratione suæ formæ sit in ferro aliqua inclinatio in talem motum; eò quòd forma ferri cum dispositionibus ipsam naturaliter consequentibus non sufficiat ad talem motum, sed adhuc indigeat, ut ab ipso magnete fiat in ferro aliqua alteratio.

Di-

4 Dicitur *non secundum accidens*, quæ particula conjungitur cum illa *ejus*, *in quo est*, & denotatur, quòd ad rationem naturæ non sufficit esse principium primum, seu radicale, & per se motus & quietis ejus; in quo est, sed etiam requiritur, esse de intrinseca, & essentiali ratione ejus, quod movetur, & quiescit; in quo distinguitur natura ab arte, quæ licèt sit primum, & per se principium, & causa motus artificialis, non tamen est natura, eò quòd non conveniat essentialiter, sed tantùm accidentaliter subjecto quod movetur, ex hac explicatione constat: prædictam definitionem rectè explicare, quid sit natura, ut à quolibet alio distincta; & adhuc amplius patebit ex solutione argumentorum.

5 Arg. 1. predicta definitio continet aliquod superfluum: ergo non est bona. Prob. antec. quia illa particula *primo* includit illam *per se*, quæ etiam includit illam *non per accidens*: ergo particulæ *per se*, & *non per accidens* superfluè ponuntur in definitione; ac per consequens, &c. Resp. neg. antec. & antecedens probationis: quia, ut dictum est in explicatione definitionis, illa particula *primò* denotat primum principium, & radicale motus; illa *per se* denotat exclusionem causæ extrinsecæ, & illa *non secundum accidens* denotat, quòd illud, quod dicitur natura, sit de essentia rei, quæ movetur; quæ omnia valdè diversa sunt, & nullum eorum alterum includit.

6 Arg. 2. quies est privatio motus: & consequenter nihil: sed quod nihil est non habet principium, & causam sui: ergo non debet dici, quòd natura est principium, & causa quietis. Confirm. quia nequit idem esse causa contrariorum; sed motus, & quies inter se contrariantur: ergo natura nequit esse causa motus, & quietis. Ad argumentum resp. dist. antec. est enim verum de quiete privativa; falsum autem de quie-

te positiva, de qua loquimur in præsenti, ut dictum est in explicatione definitionis. Ad confirmationem resp. dist. min. eodem modo; motus, & quies privativa contrariantur, concedo, motus, & quies positiva, nego; imò motus, & quies positiva, ita sunt connexa, ut nequeat aliquid esse principium per se motus tendentis in terminum naturalem, quin etiam sit principium quietis positivæ, quæ consistit in possessione termini ipsius motus. Verum tamen est quòd ad quietem positivam, sequitur quies privativa, seu privatio alicujus formæ, sed hoc non est: quia natura sit causa per se quietis privativæ, sed tantùm per accidens propter connexionem quam habet cum quiete positiva, cujus natura est causa per se. Hoc ampliùs patebit in lib. de gener: & corrupt.

7 Arg. 3. natura non dicitur univocè de inferioribus: sed solum univoca possunt definiri; ergo malè traditur definitio naturæ. Prob. mai. quia ratio naturæ perfectius convenit formæ quam materiæ: ergo non dicitur univocè de materia, & forma. Resp. neg. mai. & consequentiam probationis; quia licèt ratio naturæ sit perfectior in forma, quam in materia, tamen in ratione communi naturæ univocè conveniunt, sicuti licet forma sit perfectior substantia, quam materia, conveniunt univocè in ratione substantiæ incompletæ eò quod major, vel minor perfectio non desumitur à conceptu communi naturæ, & substantiæ, sed à conceptibus specialibus materiæ, & formæ. Si autem in hoc aliqua appareat difficultas resolvenda est ex dicendis in metaph. loquendo de univocatione entis.

8 Argum. 4. prædicta definitio non convenit omni suo definito: ergo non est bona. Prob. antec. quia cœlum, & globus terræ sunt corpora naturalia habentia in se naturam: sed cœlum numquam quiescit, & terra numquam mo-

movetur: ergo predicta definitio non convenit naturæ, qua cœlum, & terra constant. Resp. neg. antec. ad cujus probationem variæ solent adduci responsiones, quæ pendent ex lib. de cœlo, & mundo. Pro nunc respondetur, quòd cœlum acquisivit formam substantialem cœli, & accidentia sibi connaturalia per motum, & sub tali forma substantiali, & accidentibus naturaliter quiescit, cujus motus, & quietis est principium, & causa natura qua constat. Similiter idem potest dici loquendo de terra; & quòd potest terra moveri deorsum, licèt actualiter non moveatur eò quod sit in centro.

9 Aliqui aliter respondent ad argumentum, quòd illa verba definitionis *principium motus, & quietis* debent intelligi distributione accommoda, ita ut natura sit principium motus ubi fuerit motus: & principium quietis ubi fuerit quies; & principium utriusque, ubi utrumque fuerit; unde inquiunt; in terra est natura principium quietis, & in cœlo principium motus. Vide an hæc responsio subsistere possit? Nobis tamen videtur nihil esse; quia motus cœli; ut dicitur in lib. de cœlo non est naturalis, sed neuter, & natura solùm dicitur talis per ordinem ad motum naturalem.

10 Propter quod alii dixerunt quòd prædicta verba definitionis non ita debent intelligi quòd omnis natura sit principium motus, & quietis; sed quòd omnis motus; & quies naturalis sit à natura. Unde benè stat quòd aliquod corpus sit naturale; seu constans natura, quin in illo natura sit principium motus, & quietis naturalis. Si autem dicas, ex hoc sequi non benè Arist. definisse naturam per ordinem ad motum, & quietem naturalem; hoc potest negari; quia Arist. ut dictum est per prædicta verba solùm intendit, quòd omnis motus, & quies naturalis proveniat à natura tanquam à principio,

& causa, quod certè verum est; verum etiam est, quod si definitio intelligatur in hoc sensu non convenit omni naturæ, quippè non convenit naturæ, quæ non est principium motus, & quietis naturalis: sed hoc non obstat; quia potest dici, quod Arist. tantùm loquitur de natura à posteriori, & per effectum; & cùm nullus sit effectus, quo magis innotescat natura, quam motus, & quies naturalis, non melius potuit naturam definire. Vide etiam, si hæc responsio sustineri possit, & consule Meriner. 2. physic. disputat. 1. quæst. 2. precipuè num. 30.

11 Dicimus 2. pro secundo quod inquirit quæstio prædicta definitio naturæ est essentialis & quidditativa. Hanc conclusionem tenet Meriner. citat. quæstion. 3. citans pro illa Scotum quæstion. 3. super 2. physic. §. *quantum ad primum*, & plures alios. Prob. quia si propter aliquam rationem talis definitio non esset essentialis, maximè, ut tenent aliqui; quia natura est quid absolutum (materia enim, & forma quæ secundum Arist. sunt natura, sunt entitates absolutæ) & talis definitio datur per principium, & causam, quæ sunt formaliter respectus, & respectus nequit esse de essentia absoluti: sed hoc nihil est; nam juxta Scotum cit. nomen *natura* est respectivum, sicut nomen *pater*, & significat substantiam non in se, sed in ordine ad aliud, scilicet ad motum, & quietem: ergo talis definitio est essentialis. Quod potest confirmari; quia quælibet potentia essentialiter definitur per respectum, licèt id, cujus est potentia sit quid absolutum: ergo licèt materia, & forma sint entitates absolutæ, ratio naturæ, quæ illis convenit tamquam quid extra essentiale, potest essentialiter definiri per respectum; eò vel maximè; quia per prædictam definitionem non definiuntur ipsæ entitates absolutæ materiæ, & formæ, sed inclinatio

tio naturalis, quam habent ad causandum motum. Cùm quo facilè respondetur ad aliqua argumenta.

12 Dices tamen, definitio quæ datur per effectus nequit esse quidditativa; sed prædicta definitio datur per motum, & quietem, quæ sunt effectus naturæ; ergo non est essentialis seu quidditativa. Prob. mai. quia effectus supponit causam constitutam in suo esse quidditativo; ergo effectus nullatenus pertinet ad rationem quidditativam causæ; ac per consequens, &c. Resp. dist. major. Definitio quæ datur per effectus nequit esse quidditativa; si sit definitio alicujus absoluti; concedo; si sit definitio alicujus respectivi, subdisting. si detur per effectus tanquam per partem intrinsecam definitionis, concedo tanquam per extrinsecum connotatum, nego, Similiter disting. min. prædicta definitio datur per effectus tanquam per partem intrinsecam, nego; tanquam per extrinsecum connotatum, concedo, & nego conseq. Etenim motus, & quies, quæ sunt effectus naturæ, non sunt partes intrinsecæ definitionis; sed quid extrinsecè connotatum in illa; quod contingit in omnibus definitionibus relativorum; quæ nequeunt concipi, nec definiri nisi per ordinem ad terminum, qui non est de essentia relativorum, sed solùm extrinsecum connotatum in definitionibus illorum. Per quod patet ad probationem majoris.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An natura sit principium activum, vel passi[vum] motus, & quietis.

1 PRo intelligentia quæstionis notandu[m] est dupliciter posse compositum n[atu]rale habere motum, activè scilicet, ut qua[ndo] ignis producit calorem; & passivè, ut qua[ndo] ignis calorem recipit. Nunc inquirimus, an [na]tura, quæ dicitur causa motus naturalis i[n na]turali composito, dicatur talis in ordine ad [mo]tum activè, vel passivè? Ne autem in æqu[ivo]co procedamus, scire oportet, tripliciter [posse] motum dici naturalem scilicet, vel prou[t op]ponitur supernaturali, vel libero, vel viole[nto,] ut dictum est disputatione procemiali quæ[st.] num. 3. & similiter opportet scire Arist. in [pre]senti accepisse motum naturalem, ut natu[rali] opponitur, violento, quia egit de corpore n[atu]rali, ut mobili, non verò ut motivo, & in [hoc] sensu procedit difficultas, nisi forte fiat con[tentio] de nomine.

2 Triplex est sententia: 1. asserit, natu[ram] esse principium motus activi, non verò pa[ssivi] itaut si aliquid haberet principium intrinse[cum] unde moveretur passivè, non tamen, un[de] activè moveret, non constaret natura. 2. [sen]tentia tenet, naturam esse principium mo[tus] vel activi, vel passivi indifferenter, ita ut q[uod]libet sufficiat ad rationem naturæ, hæc est c[om]munior sententia inter recentiores præter S[coti]stas. Aliquos Authores nominatim pro [his] sententiis citant Pontius disp. 7. physicæ, qu[æst.] 2. & Merin. 2. physic. disp. 1. quæst 4. 3. d[eni]que sententia tenet, ad rationem naturæ accidens se habere esse principium motus [acti]vi, & necessariò requiri esse principium m[otus] passivi. Sic communiter Scotistæ cum S[coto] in 2. dist. 2. quæst, 10. §. *respondeo ad tamen li*...

& dist. 18. quæst. unica, §. *contra primum*, vers. *Arguitur etiam, sub litt. A.* & in 4. dist. 43. q. 4. §. *intelligendum est à litt. A. usque ad lit.* F. Cujus verba in prædictis locis, ita clara sunt pro conclusione, ut à nullo Scotista possint legitimè in alium sensum adduci.

4 Dicimus; tertia sententia est vera. Probat. communiter conclusio 1. ex Arist. pluribus in locis præcipuè in hoc libro, text. 71. & 73. ubi dicit; quod moventia mota sunt physicæ considerationis; non autem moventia non mota; quia non habent principium motus in se ipsis: sed moventia non mota habent in se principium motus activi: ergo juxta Arist. quæ non habent in se principium motus passivi, licèt habeant principium motus passivi, non pertinent ad physicam considerationem; ac consequenter, natura non dicit ordinem ad motum activum, sed ad passivum.

4 Sed certè prædicta authoritas Arist. licèt ostendat, ad rationem naturæ necessariò requiri ordinem ad motum passivum; non tamen convincit, non requiri ordinem ad motum activum; nam licèt verum sit, quod principium motus activi tantùm non sufficiat ad rationem naturæ; si tamen sit simul principium motus activi in se ipso, ita ut illud quod constat natura se ipsum moveat, erit sufficiens ad rationem naturæ, quod videtur intendere Arist. nam dicit, moventia mota pertinere ad physicam considerationem; illa enim verè dicuntur moventia mota, quæ se ipsa movent; in qua motione includitur motus activus, & passivus. Quapropter.

5 Probat. 2. conclusio ratione; quia motus non dicitur naturalis, ut naturale opponitur violento ex eò quod procedat à principio intrinseco ipsi agenti, habenti naturalem inclinationem ad talem motum producendum, sed ex eo quod motus recipiatur in subjecto habente na-

naturalem inclinationem ad illum recipiendum : ergo ratio naturæ consistit in ratione principii motus passivi, non verò activi. Prob. anteced. quia motus, quo aqua calefit ab igne dicitur violentus eò quod aqua non dicat naturalem inclinationem ad recipiendum calorem: sed talis motus provenit ab igne habente naturalem inclinationem ad illud producendum: ergò motus non dicitur naturalis prout naturale opponitur violento, ex eo quod procedat à principio intrinseco ipsi agenti habenti naturalem inclinationem ad talem motum producendum. E contra verò; si aqua frigefiat dicitur motus naturalis, ut naturale opponitur violento, eò quod dicit naturalem inclinationem ad frigus recipiendum, à quocumque agente *frigus* producatur, sive habente, sive non habente naturalem inclinationem ad frigus producendum: ergo ratio naturæ desumitur à principio intrinseco motus passivi tantùm.

6 Prob 3. quia si ad rationem naturæ esset sufficiens principium motus secundùm naturalem inclinationem activam, sequeretur, omnes motus; qui fiunt viribus naturæ, esse naturales, & nullum esse violentum, siquidem omnes procedunt ab agente habente naturalem inclinationem ad illos producendos: sed hoc est falsum; nam plures sunt motus violenti: ergo ratio naturæ non desumitur à principio intrinseco motus activi.

7 Neque valet si dicant; non quodcumque principium motus activi sufficere ad rationem naturæ, sed tantùm principium motus activi illius rei, in qua recipitur ipse motus; id est principium actionis immanentis, cujus terminus recipitur in ipso agente sufficit ad rationem naturæ; non verò principium actionis transeuntis, cujus terminus recipitur in externo subjecto. Hoc non valet; quia contra est; in tantùm principium activum, juxta responsionem consti-

stituit naturam in quantum est principium motus rei, in qua recipitur ipse motus: ergo principium activum non constituit naturam per hcc, quod causat motum activè, sed per hoc, quod talis motus recipiatur in ipsa re, in qua est principium. Nunc sic: sed adhuc motus causatus in re à principio intrinseco activo potest non esse naturalis; ut patet in motu, quo homo se ipsum sursum movet, qui non est naturalis, sed violentus, eò quod homo non dicit naturalem inclinationem ad illum recipiendum, licèt illam habeat ad producendum; imò dicit naturalem inclinationem ad oppositum, scilicet motum deorsum recipiendum; quapropter prædictus motus sursum; est homini violentus: ergo naturalitas motus nullatenus desumitur à principio activo, sed à principio passivo; ac per consequens, &c.

8 Plura solent obiici contra nostram conclusionem; præcipua proponemus, ex quorum solutione, quid ad alia respondendum sit, facilè deduci potest. Arg. igitur 1. secundum Aristot. forma est magis natura quam materia: sed forma tantùm est principium activum motus: ergo principium activum motus constituit naturam. Resp. neg. min. quia forma etiam est principium passivum motus naturalis, imò magis quam materia, & hoc intendit Arist. forma enim est principalior ratio, qua compositum naturale magis in unas, quam in alias qualitates inclinatur; nam si quæratur, cur ignis dicit naturalem inclinationem ad calorem, & non ad frigus? Ultimate, & ptincipaliùs respondetur per formam, & non per materiam, nisi minus principaliter.

9 Arg. 2. ex ipso Arist. in hoc libro, text. 2. artificialia distinguuntur à naturalibus in eo quod naturalia habent in se principium motus; non verò artificialia; sed hoc intelligitur de principio activo; quia artificialia non habent

in

in se principium activum : ergo ratio naturæ sumitur à principio activo motus. Respondet. negat. min. quia, ut ad præsens attinet, Arist. loquitur de principio passivo motus; distinguuntur enim naturalia ab artificialibus in eo quod naturalia habent principium passivum motus, seu naturalem inclinationem, tam ad motum, quam ad terminum illius recipiendum; quod principium passivum, seu naturalem inclinationem non habent artificialia; nam lignum v. gr. non habet naturalem inclinationem ad aliquam formam artificialem, sed tantùm quandam indifferentiam, seu naturalitatem.

10 Argument. 3. ex eodem Aristot. 3. Ethic. *Violentum est cuius principium est extra, non conferente vim passo*; idest: *positivè resistente passo*: quod debet intelligi, non concurrente passo per aliquam actionem: ergo naturale, quod opponitur violento, est, cujus principium est intra conferente vim passo, seu aliquid agente, vel operante; cùm oppositorum eadem sit ratio per oppositum: ergo ratio naturæ desumitur à principio activo. Respond. ex Scoto in 4. distin. 29. quæst. unica, §. *ad quæstionem*, *litt. B.* negat. quod verba Aristot. intelligantur, ita ut violentum resistat per aliquam actionem; quia licèt non intelligantur negativè, sed positivè, ita ut sensus sit; *Passo præbente inclinationem contrariam*; tamen talis inclinatio non est activa, neque passum agendo resistit; sed passiva, id est passum dicat inclinationem ad recipiendum motum oppositum; quod patet in lapide, qui, etiam si non haberet principium activum motus deorsum, sed solùm passivum, non minus violenter moveretur sursum, quam movetur ponendo in illo tale principium activum; unde per oppositum naturale non dicitur ratione principii activi, sed passivi, seu ratione naturalis inclinationis passivæ ad recipiendum, tam motum, quam ter-

mi-

minum illius, ex quo patet falsitas consequentiæ. Ad alias authoritates Arist. facilè respondetur, quòd loquitur de naturali, prout opponitur supernaturali, vel libero, non vero prout opponitur violento, in quo sensu sumitur naturale in præsenti.

11 Arg. 4. Sicut est gravi naturale moveri deorsum, ita est igni naturale calefacere: ergo ratio naturæ desumitur, tàm à principio activo, quàm à passivo motus. Resp. dist. anteced. Est enim verum sumpto naturali in diversa linea; falsum autem in eadem linea. Etenim igni est natura calefacere, prout naturale opponitur supernaturali, & libero; gravi autem est naturale moveri deorsum prout naturale opponitur violento, de quo loquimur in præsenti; primum potest desumi à principio activo secundum verò tantùm à principio passivo. Unde nego consequentiam.

12 Replic. si ignis debitè applicatus ad producendum calorem impediretur, esset in statu violento: ergo calefacere est igni naturale, ut naturale opponitur violento; ac per consequens, &c. Resp. dist. antec. Si ignis debitè applicatus ad producendum calorem impediretur, esset in statu violento propriè, & positivè, nego; impropriè, & negativè, concedo. Et distinguo conseq. calefacere est igni naturale, ut naturale opponitur violento propriè, & positivè, nego; impropriè, & negativè, concedo.

13 Pro cujus intelligentia observandum est dupliciter posse aliquid violentari; scilicet positivè, & propriè, quod contingit quando recipit aliquam formam positivam oppositam formæ in quam naturaliter inclinatur; hoc modo violentatur aqua per receptionem caloris eò quod calor est forma positiva opposita frigiditati, in quam aqua naturaliter inclinatur: & negativè, & impropriè, quod contingit, quando sine introductione alicujus formæ positivæ

im-

impeditur id, in quo aliquid naturaliter inclinatur; hoc modo violentaretur ignis debitè applicatus ad operandum, si impediretur ab actione: quia hoc fieret sine introductione alicujus formæ positivæ, & etiam contingeret, si ab aqua auferretur frigiditas sine introductione caloris, & in aliis similibus. Unde patet ad argumentum, nam violentum in primo sensu dicitur per ordinem ad principium passivum tantùm, & de naturali prout opponitur sic violento procedit quæstio; licèt violentum in secundo sensu dicatur, tam in ordine ad principium activum, quàm passivum. Observandum est etiam, quòd omnis motus, vel est naturalis prout naturale opponitur violento propriè sumpto, vel violentus, vel neuter; sed hoc in ordine ad principium passivum, quod, vel dicit naturalem inclinationem ad motum, & sic est motus naturalis; vel dicit repugnantiam, & sic est motus violentus; vel indifferenter respicit motum, & oppositum illius, & sic est neuter.

QUÆSTIO III.

In quibus propriè reperiatur ratio naturæ?

1 PRæsentis quæst. attenta definitione naturæ ab Arist. tradita, facilis est resolutio, & supponitur tanquam certum apud omnes, privationem, & accidentia non includere rationem naturæ. Primum patet, & quia licèt privatio sit principium motus, tanquam terminus *à quo*, non tamen est causa illius, quod, ut patet ex definitione, requiritur ad rationem naturæ; & quia privatio non est principium intrinsecum, & essentiale ejus, in quo est motus. Quando autem Arist. appellat privationem naturam, non loquitur de privatione propriè dicta,

cta, sed de forma minus perfecta, quæ respectu perfectioris potest dici privatio, ut benè advertit Scotus quæst. 5. super 2. physic. Secundum etiam patet; & quia ad rationem naturæ requiritur, quòd sit primum, & radicale principium motus, quod nullatenus accidentibus convenit; & quia Arist. in hoc lib. text. 4. expresè asserit rationem naturæ, ut hic sumitur, solùm substantia convenire. Difficultas ergo solùm procedit de materia prima, forma substantiali; & quidditate totius.

2 Dicimus 1. materia prima propriè dicitur natura. Conclusio est communis contra asserentes naturam constitui per rationem principii activi. Prob. quia materia prima cùm sit de essentia compositi substantialis, est causa partialis, ratione cujus conveniunt composito motus naturales, qui in ipso subjectantur; ergo convenit illi ratio naturæ. Deinde, materia est principium passivum intrinsecum motus, & quietis ejus, in quo est; est enim causa motus eductionis formæ, & sub illa forma tanquam sub termino motus quiescit; & licèt motus quo educitur forma, & ipsa forma quæ est terminus motus subjectentur in materia, & non in toto composito, non propter hoc dicendum est, materiam non esse principium motus ejus, in quo est, scilicet compositi; nam licèt verum sit quòd respectu talis motus non dicatur materia principium motus ejus, in quo est, ita ut motus subjectetur entitativè in illo, in quo est materia, scilicèt in composito; est tamen principium motus ejus, in quo est, ita ut totum compositum denominetur per talem motum; nam ut fert commune proloquium: *Quod movetur semper compositum est*: totum ergo compositum dicitur productum per motum, seu actionem eductivam formæ: ergo materia prima habet rationem naturæ.

3 Arg. 1. Natura non est in potentia ad natu-

minati compositi dicit naturalem inclinationem ad motus proprios illius compositi, & non ad alios; imò ad motus oppositos dicit repugnantiam; unde naturalis inclinatio materiæ secundùm se ad omnes motus non aufert, quòd aliqui motus sint violenti respectu totius compositi.

6 Dicimus 2. forma substantialis materialis habet rationem naturæ. Conclusio est communis, quam simul cum præcedenti tenet Arist. in hoc lib text. 10. & 5. met. cap. 5. ubi dividit naturam in materiam, & formam; & Scotus in 2. dist. 18. quæstion. unic. §. *responsio*, vers. *Ad illud litt. C.* Prob. quia quælibet forma materialis est principium intrinsecum passivum motus ejus, in quo est; ratione enim formæ convenit naturaliter igni recipere calorem; & ratione animæ vegetativæ, & sensitivæ conveniunt plantis, & brutis motus nutritionis, augmentationis, & sensationis; ergo cuilibet formæ materiali convenit ratio naturæ. Propter eandem rationem conveniunt omnes, animam rationalem, ut vegetativam, & sensitivam habere rationem naturæ. Solùm potest dubitari de anima rationali, ut rationalis est. Pro qua

7 Dicimus 3. anima rationalis, etiam ut rationalis, habet rationem naturæ. Conclusio est communis inter Scotistas. Prob. quia homo movetur naturaliter motibus intellectionis, & volitionis, & habet naturalem inclinationem ad illos, qui saltim pro hoc statu à corpore dependent: sed anima ut rationalis est principium intrinsecum, quo tales motus homini naturaliter conveniunt: ergo anima rationalis ut rationalis est natura. Similiter anima ut rationalis est principium intrinsecum, *quo* aliquæ operationes materiales, ut sunt risus, admiratio, &c. Homini naturaliter conveniunt: ergo adhuc ut rationalis est dicenda natura. Ubi adverten-

dum est, quòd anima separata secundum se considerata non est dicenda natura; quia in tali statu operationes ejus sunt purè spirituales; considerata tamen cum aptitudine ad informandum corpus, est dicenda natura; quia, ut sic apta est esse principium intrinsecum prædictorum motuum in homine, quod est sufficiens ad rationem naturæ; eò quòd verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

8 Arg. 1. natura debet esse principium passivum: sed anima rationalis non est principium passivum, sed activum operationum: ergò anima rationalis non est natura. Confirm. quia natura est determinata ad unum: sed anima rationalis, cùm sit libera, non est determinata ad unum: ergo non est natura. Ad arg. resp. neg. min. est enim anima rationalis non solùm principium activum operationum, sed etiam principium passivum, ratione cujus naturaliter inclinatur homo ad recipiendos prædictos motus; in hoc enim eadem est ratio de anima rationali, ac de aliis formis. Ad confirm. resp. dist. major. natura est determinata ad unum, sumpta natura, ut naturale opponitur libero, concedo; ut naturale opponitur violento, nego. Et concessa min. dist. conseq. anima rationalis non est natura, ut naturale opponitur libero, concedo; ut naturale opponitur violento, nego.

9 Arg. 2. anima rationalis, ut rationalis non est principium motuum naturalium; ergo ut rationalis non est natura. Prob. antec. quia ut rationalis tantùm est principium intellectionis, & volitionis: sed hæ non sunt operationes naturales, seu physicę; aliàs Angelus haberet operationes naturales, seu physicas, quod est falsum, Angelus enim nullatenus pertinet ad physicam considerationem: ergo anima ut rationalis non est principium motuum natura-

lium,

lium, ac per consequens, &c Resp. neg. ant. & mai. Probationis quia anima ut rationalis non solùm est principium intellectionis, & volitionis, sed etiam risus, admirationis, &c. quæ sunt operationes naturales, & physici motus. Deinde potest negari min. prob. quia intellectio, & volitio, quarum est principium anima ut rationalis pro hoc statu sunt motus naturales, & physici; tum quia sunt operationes quibus movetur substantia corporea; homo enim dicitur intelligere, & velle. Tum etiam quia licèt intellectio, & volitio, sint operationes spirituales, habent tamen pro hoc statu dependentiam à phantasmatibus, quod sufficit, ut dicantur materiales modo requisito ad physicam considerationem.

10 Circa hanc conclusionem est advertendum, quod forma dicitur ab Arist. magis natura quam materia, eò quòd tribuat perfectius esse composito, & ab ea principalius denominetur motus naturalis, quam à materia: non verò quia magis extendatur ad motus; nam in hoc sensu potius diceretur materia magis natura, sed hoc est improprius modus loquendi.

11 Dicimus 4. compositum ex materia, & forma non est natura; neque similiter tota quidditas in abstracto v. gr. *humanitas*. Hæc conclusio quoad primam partem est communis, & probat. quia natura debet inesse alicui tanquam principium motus, & quietis: sed compositum non inest alicui: ergo non est natura.

12 Secunda pars etiam est communis, præcipuè inter Scotistas, licèt aliqui oppositum teneant. Deducitur tamen ex Arist. cap. 1. hujus libri, ubi dicit, quòd compositum ex materia, & forma non est natura, sed à natura: sed non solùm compositum in concreto, v. gr. *homo*, verum etiam quidditas in abstracto, v. gr.

manitas realiter componitur ex materia, & forma: ergo tam quidditas in abſtracto, quàm compoſitum in concreto, non debet dici natura, ſed à natura.

13 Et poteſt confirmari; quia de ratione naturæ eſt eſſe primum principium motus,& quietis, quin alia principia, ex quibus fiat, præſupponat: ſed quidditas totius in abſtracto, licèt aliquomodo poſſit dici principium motus, & quietis non tamen primum, cùm ſupponat alia principia, ſcilicet materiam & formam, ex quibus fit: ergo tota quidditas in abſtracto non eſt natura. Ex quo facilè reſpondetur ad quodlibet argumentum,& obſervando, quòd quando talis quidditas appellatur natura, hoc non intelligitur in ſenſu quæſtionis, ſed quatenus *natura* ſumitur pro eſſentia rei, eo quòd ſit radix, & origo paſſionum, & proprietatum, quæ ipſam naturali neceſſitate conſequuntur.

14 Ex hac concluſione videtur deduci, quòd ſi daretur aliqua ſubſtantia corporea completa, & ſimplex (quod aliqui tenent de corporibus cœleſtibus) eſſet natura quidditas illius in abſtracto. Patet; quia talis ſubſtantia haberet motus naturales ad phyſicam conſiderationem pertinentes: ſed nullum poſſet aſſignari principium prædictorum motuum præter quidditatem ipſius ſubſtantiæ, & aliàs eſſet primum principium, cùm non ſupponeret alia, ex quibus fieret: ergo talis quidditas eſſet natura. Unde etiam deducitur, quidditatem Angeli non eſſe naturam; cùm non ſit principium alicujus motus materialis, qui ad phyſicam conſiderationem ſpectet.

DUBIA INCIDENTIA.

15 Dubitabis 1. in quo differat natura ab arte? Non ſumitur hìc natura pro principio paſſivo motus, ſed pro principio activo; unde idem

eſt

est natura in præsenti, ac agens naturale; quod non operatur prævia cognitione, sicut operatur Artifex; ars enim juxta Aristot. 6. Ethicor. cap. 4. *est habitus cum ratione effectivus*. Potest autem desumi differentia, vel ex parte Artificis, vel ex parte artefacti, seu effectus ipsius Artificis facta comparatione cum agente naturali, vel cum effectu ipsius naturalis agentis, Nunc

16 Resp. 1. ad dubium; si fiat comparatio inter naturam ex parte agentis naturalis, & artem ex parte Artificis: in pluribus differunt ars, & natura. Primò, quia natura est ipsa substantia agentis naturalis, ars verò est habitus accidentalis supperadditus substantiæ Artificis, ad speciem qualitatis, quæ dicitur habitus, pertinens. Secundò, quia natura est principium agendi, nulla intellectus cognitione præmissa; ars verò est principium agendi præmissa intellectus cognitione. Ex quo sequitur, ut benè notavit Scotus quæst. 2. super 2. physic. irrationalia nullatenus operari ab arte; & si quando aliqua opera similia artefactis efficiant, ut faciunt Apes, & Formicæ ea ex instinctu naturæ efficere.

18 Tertiò, quia natura est principium ad producendum effectum; ars verò tantum est principium regulativum effectus. Quarto, quia natura per se, & immediatè est Principium non solùm motus localis, sed & cujusvis alterius motus; ut generationis, alterationis, &c. Ars verò tantùm est principium immediatè regulandi motum localem; eò quod ars dirigit naturam ad producendos suos effectus mediante imperio voluntatis; & solùm quoad motum localem subditur natura per se, & immediate voluntatis imperio. Possunt tamen alii motus regulari ab arte, sed hoc per accidens; quatenus mediante motu locali, qui immediate, & per se subditur imperio vo-

luntatis, poteſt Artifex applicare activa paſſivis.

18 Reſp. 2. ad dubium ſi fiat comparatio inter effectus artis, & naturæ, quòd differunt in hoc, quòd effectus naturæ habet in ſe principium motus, non tamen effectus artis. Quæ differentia conſiſtit in eo quòd effectus naturæ recipit ab agente naturali ſubſtantiam, quæ ex ſe eſt principium producendi aliam ſubſtantiam; at verò effectus artis, quatenus ab arte regulatus, tantùm recipit ab Artifice poſitionem partium provenientem à motu locali, quæ eſt relatio extrinſecus adveniens, & pertinet ad prædicamentum *ſitus*; & certum eſt, prædictam relationem non eſſe principium alicujus motus, quo artefactum aliud artefactum producere poſſit.

19 Dubitabis 2. an ars opera naturæ poſſit efficere? Reſp. negativè. Prob. quia ars, ut dictum eſt non eſt principium operativum, ſed tantùm directivum operis ab Artifice provenientis: ſed opera naturæ neceſſariò proveniunt à principio operativo: ergo nequeunt ab arte effectivè provenire. Solùm autem poteſt ars opera naturæ imitari, quapropter *ſimia naturæ*, & altera natura ſolet appellari. Poteſt etiam, non immediatè, ſed mediatè aliqua opera naturæ efficere, applicando ſua directione activa paſſivis; in quo ſenſu, ut inquit D. Auguſtinus 3. de Trin. cap. 7. & aliis in locis (& plures alii DD.) Magi Pharaonis arte dæmonum non fictos, ſed veros ſerpentes effecerunt.

DISP.

DISP. II.

De causis in communi.

IN duplici sensu possunt causæ considerari; vel quatenus participant aliquem gradum entis, & ratio causandi, seu causalitas est quasi quædam entis proprietas; & ut sic est proprium Metaphysicæ, quæ omnium rerum naturas considerat, agere de causis; vel quatenus sunt principium, tam *esse*, quàm motus rei naturalis; & ut sic agere de causis est proprium Physicæ. Jam tamen hic communiter ferè omnia, quæ ad intelligentiam causarum conducunt, proponi solent.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit causa?

1 NOmen *causa* tripliciter sumitur. 1. latissimè, quatenus idem est, ac id, à quo aliquid aliquomodo procedit; in quo sensu idem sonat, ac nomen *principium*; quapropter Arist. 12. Met. cap. 2. text. 12. privationem causam appellavit: & similiter PP. Græci Patrem Æternum Filii sui causam appellant. 2. strictissimè, quatenus idem est, ac illud, quod solùm efficiendo causat, in quo sensu solùm efficiens dicitur causa; quapropter D. August. lib. 83. quæstionum, quæst. 28. dicit: *Omnis causa efficiens est*. 3. sumitur causa, neque ita latè, neque ita strictè, sed quasi media via, pro illo scilicet propter quod alterum est cum dependentia ab illo, in quo sensu sumitur in præsenti, & illam divisit Arist. cap. 3. hujus libri in quatuor genera causarum, de quibus infra. Quia tamen ipse Arist. tantùm causas in particulari definivit, nulla tradita definitione causæ

in communi, plures definitiones illius assignantur ab Authoribus, quæ licèt aliqua indigeant explicatione, sufficienter rationem causæ videntur explicare, & ad eundem sensum posse reduci, eò quòd communis controversia circa illas potius ad explicationem nominis, quam ad difficultatem rei reducatur: illis tamen omissis, & ad vitandam confusionem, & quia possunt videri apud recentiores, præcipuè apud Merin. disp. 2. hujus libri, q. 2. pro primo, quod inquirit quæstio,

2 Dicimus 1. causa in communi sic potest definiri; *Est principium propter quod alterum est secundùm esse, vel secundùm fieri, aut conservari.* Sic Scotus quæst. 7. super 2. physic. Bonitas hujus definitionis, non aptius ostendi potest, quam singulas illius particulas explicando. Dicitur *principium*, quòd ponitur loco generis, in quo convenit causa cum aliis principiis, quæ rationem causæ non habent; ut sunt privatio respectu fieri corporis naturalis, punctum respectu lineæ, & instans respectu temporis. Dicitur *propter quod alterum est*, quòd ponitur loco differentiæ, & significat id à quo alterum dependet; in quo differt, non solùm à supradictis principiis, quæ causæ non sunt, sed etiam à Divinis Personis producentibus; nam licèt verè dicantur principia Personarum ab ipsis procedentium, non tamen sunt principia propter quę sunt Personæ productæ; quia prædicta verba non solùm denotant distinctionem realem inter producens, & productum, sed etiam dependentiam, & prioritatem naturæ unius respectu alterius; quæ prioritas, & dependentia non invenitur inter Personas Divinas, licèt realiter distinguantur; eo quòd, cùm Personæ Divinæ constituantur per relationes, necessario in divinis producens, & productum sunt correlativa, & certum est, unum correlativum ut tale non dependere ab alio in suo esse, neque esse prius

na-

natura illo; correlativa enim sunt simul natura cognitione, & definitione. Unde constat, Personas Divinas inter se non habere rationem causæ, & effectus.

3 Dicitur: *secundùm esse, &c.* Non quia hæc verba sint simpliciter necessaria; neque de intrinseca ratione definitionis causæ, sufficienter enim causa explicatur per hoc quod sit principium propter quod alterum est; adduntur tamen ab Scoto claritatis gratia, eo quòd unum potest esse propter aliud, seu ab alio dependere, vel in suo *esse* essentiali; in quo sensu dependet compositum naturale à materia prima, & forma substantiali; vel in suo *fieri*, in quo sensu dependet compositum naturale etiam ab efficienti, & finali, cujus gratia efficiens operatur: vel in suo *conservari*; in quo sensu etiam dependet compositum naturale à conservante: patet ergo bonitas definitionis; contra quam nihil videtur posse obiici, quod alicujus sit momenti. Adverte tamen, quòd causa finalis definitur ab Arist. in hoc libro supradictis verbis, scilicet: *Propter quod alterum est*, quod ut benè advertit Scotus cit. non fecit Arist. eo quòd judicaverit, prædictam definitionem non convenire causæ in communi, sed propter excellentiam causæ finalis ipsi illam applicavit.

4 Supradicta definitio coincidit cum alia, quæ communiter adducitur, scilicet: *Causa est principium per se influens esse in aliud*, non intelligendo per ly *influens* influxum physicum, & realem; aliàs sola causa efficiens esset causa, cùm solùm efficiens per verum influxum realem tribuat esse effectui; sed intelligendo quid præscindens ab influxu reali, & metaphorico, & à quolibet physico concursu; in quo sensu est quid commune omnibus generibus causarum, ut patebit ex dicendis: & similiter intelligendo per ly *aliud* quid distinctum in essentia, saltim numero. Plures aliæ definitiones cum simili

explicatione possunt ad supradictas reduci: nisi intelligentia terminorum ad quęstionem de nomine reducatur.

5 Dicimus 2. pro secundo quod inquirit quæstio, causa dividitur adæquatè in materialem, formalem, efficientem, & finalem. Conclusio est communis, & deducitur ex Arist. c. 3. & 7. hujus libri, & 5. Met. cap. 2. Prob. ratione communi deducta ex Scoto quæst 6. super 2. Physic. quia ad quæstionem propter quid circa aliquod ens naturale adæquatè satisfit per prædicta quatuor genera causarum, ergo per illa adæquatè dividitur causa. Prob. antec. quia vel inquiritur cujus gratia fiat ens naturale? Ad quod respondetur per causam finalem. Vel à quo fiat? Ad quod respondetur per causam efficientem. Vel ex quo fiat? Ad quod respondetur per causam materialem. Vel per quid sit, vel constituatur? Ad quod respondetur per causam formalem, sed nihil aliud potest inquiri circa ens naturale, quod ad quæstionem propter quid aliquomodo pertineat, ergo adæquatè satisfit per prædicta quatuor genera causarum ad dictam quæstionem; ac per consequens assignata divisio causæ est adæquata.

6 Et potest confirm. quia ens naturale, ut verè producatur, & existat, tantùm his quatuor generibus causarum indiget, ergo talis divisio est adæquata. Prob. antec. quia procedit ab aliquo agente, quod est causa efficiens; deinde, cùm agens creatum nequeat aliquid producere, nisi præsupposito subjecto; tale subjectum est causa materialis; & cùm tale subjectum non sit tota essentia compositi naturalis, sed tantùm pars potentialis, necessariò indiget alia comparte, se habente per modum actus quæ dicitur causa formalis; & cùm agens naturale operetur propter finem, etiam requiritur causa finalis, sed nihil aliud apparet necessarium ad existentiam entis naturalis, ergo

adæ-

adæquatè dividitur causa in quatuor assignata genera.

7 Ubi advertendum est primò, quòd licèt prædictæ quatuor causæ respectu ejusdem effectus communiter realiter distinguantur, ut ex se patet: tamen eadem res respectu diversorum potest habere rationem omnium causarum; calor enim v.gr.est causa efficiens respectu alterius caloris ab ipso producti, & est causa materialis respectu relationum, quæ in ipso subjectantur (licèt lato modo, ut dicetur loquendo de causa materiali) & est causa formalis respectu sui subjecti, & est causa finalis respectu mediorum, quę ad ipsum producendum applicantur. Secundò est advertendum, quòd licèt in ordine ad compositum naturale concurrant quatuor prædictæ causæ, non tamen necessariò concurrunt ad quemlibet effectum, nam effectus simplices, & qui immediatè creantur à Deo, ut sunt Angeli, anima rationalis, & materia prima, cùm non præsupponant subjectum, ex quo fiant, non habent causam materialem, neque potest dici quod habeant causam formalem rigorosè, nisi extendendo nomen causæ formalis ad essentiam cujuscumque rei.

8 Arg. contra conclusionem, plures sunt causæ, quæ non continentur sub prædictis membris, ergo divisio supradicta non est adæquata. Prob. anteced: quia datur causa instrumentalis; causa exemplaris, causæ dispositivæ, & objectum alicujus potentiæ, seu habitus, quod est causa actus, hæc omnia non continentur sub quatuor causis enumeratis, ergo. Resp. neg. antec. & min probationis, quia causa instrumentalis continetur sub efficienti, efficiens enim dividitur in principalem, & instrumentalem, similiter causa exemplaris reducitur ad efficientem, utrumque ampliùs constabit loquendo de his causis in particulari. Deinde causæ dispositivę quatenus informant subje-

ctum disponunt ad recipiendam formam reducuntur ad causam materialem; possunt etiam reduci ad causam efficientem, quatenus præsuppositivè illam adjuvant ad producendum formam in subjecto. Denique objectum sumptum motivè reducitur ad causam efficientem; quia vel per se, vel per suam speciem concurrit simul cum potentia ad producendum actum in genere causæ efficientis; sumptum verò terminativè non induit veram rationem causæ; licèt ab aliquibus jam dicatur causa formalis extrinseca, eo quòd ab eo actus extrinsecè specificatur; jam causa finalis, eò quòd potentia, & actus tendunt in illud tanquam in finem, hæc tamen est impropria acceptio finis, ut suo loco patebit.

9 Hìc solet dubitari, an prædicta divisio sit generis in species? Resp. affirmativè. Probat. quia ratio causæ in communi propriè convenit quatuor supradictis causis, & hæ differunt inter se per diversas rationes essentiales causandi: sed nihil aliud requiritur ad divisionem generis in species: ergo. Antec. quoad primam partem patet ex dictis de causa in communi, ex quibus etiam facilè responderi potest ad quodlibet argumentum; quoad secundam verò partem patebit antec. ex dicendis de causis in speciali.

10 Advertendum tamen est, ne aliqua oriatur æquivocatio, quod in prædicta divisione, tam divisum, quàm membra dividentia accipiuntur formaliter in ratione causæ; non verò materialiter, & in esse entitativo; ut in simili diximus in Logica loquendo de universali in communi respectu quinque prædicabilium: videantur; & etiam quæ diximus loquendo de differentia, & proprio; plura enim ex illis huc possunt applicari, tam ad confirmationem nostræ responsionis, quàm ad aliqua argumenta solvenda, quia ratio formalis causæ est tanquam

pro-

proprietas entitatis materialis, quæ dicitur causa.

11 Similiter est advertendum, prædictam divisionem non esse immediatam, priùs enim dividitur causa in communi in intrinsecam, & extrinsecam; deinde intrinseca dividitur in materialem, & formalem, & extrinseca in efficientem, & finalem, & quia omnes istæ adhuc subdividuntur in alias species, seu quasi species, ut propriis locis patebit; prædicta divisio non est dicenda generis in species infimas; sed generis in species subalternas.

QUÆSTIO II.

Quid sit causalitas causæ?

1 PEr causalitatem causæ nihil aliud intelligitur, quam ratio constitutiva causæ in eo statu, in quo dicitur causa. Nunc notare oportet, causam in duplici statu posse considerari, scilicet in actu primo, & in actu secundo. Causa dicitur esse in actu primo antequam actualiter causet, & hoc vel remotè, vel proximè. Tunc dicitur causa esse in actu primo remotè, quando licèt habeat virtutem ad causandum nequit actualiter causare defectu alicujus conditionis requisitæ; ut quando ignis non est approximatus materiæ. Tunc verò dicitur causa esse in actu primo proximè, quando supposita virtute ad causandum; nulla deficit conditio necessaria, ut actualiter causare possit; ut quando ignis est debitè approximatus materiæ dispositæ ad recipiendam formam. In hoc sensu nulla est difficultas, quia certum est apud omnes, causam in actu primo remotè constitui tanquam per causalitatem per solam suam virtutem causativam, quæ est proprietas, seu propria passio rei, quæ dicitur causa, quæ licet in se sit entitas absoluta dicit tamen respectum trans-

scendentalem ad effectum? causam verò in actu primo proximè constitui tanquam per causalitatem per eandem virtutem causativam connotando conditiones requisitas ad causandum. Aliis verbis solet dici causa in prædicto statu esse in potentia remota, vel in potentia proxima ad causandum. In actu secundo dicitur esse causa, quando actualiter causat, seu actualiter concurrit ad tribuendum esse effectui juxta suum genus causandi, & in hoc sensu procedit præsens difficultas.

2 Circa quam tenent communiter Thomistæ, causalitatem (præcipuè loquendo de causa efficiente) constituentem causam in actu secundò causantem, esse entitatem absolutam mediam inter causam, & effectum, & ab illis realiter distinctam. Scotistæ verò per oppositum tenent, causam constitui actu causantem in actu secundo per relationem causæ ad effectum, quam dicunt, esse causalitatem causæ in actu secundo; pro qua sententia præcipuè citant Scotum in 4 dist. 13. q. 1. §. *ad hujus*, vers. *Ex dictis*, *lit. H.* & infra.

3 Ut autem claritate possibili, & ablata æquivocatione procedamus, notare oportet, quòd relativum, v. gr. *simile* dupliciter potest considerari, scilicet fundamentaliter, seu remotè; & formaliter, seu proximè. Forma, qua aliquid dicitur simile fundamentaliter, seu remotè non est relatio similitudinis, sed fundamentum talis relationis, scilicet qualitas, in qua conveniunt, quæ similia denominantur: at verò forma, qua dicitur simile formaliter, & proximè est ipsa relatio similitudinis; quod quidem, nisi contentio fiat de nomine, ab omnibus absque aliqua controversia admittitur in quocumque relativo. Hoc notato non erit difficile, cùm *causa*, ut nomen sonat, sit quid relativum, quod circa præsentem difficultatem sit tenendum, proponere.

Di-

4 Dicimus 1. si causa consideretur in actu secundo fundamentaliter, causalitas, seu forma, qua denominatur, & est causa, non est aliqua relatio causæ ad effectum, sed quid absolutum fundans prædictam relationem; quod nihil aliud est, quam ipsa virtus productiva causæ connotans influxum, seu actionem materialiter sumptam, id est ipsum effectum in fieri, qui est quasi medium inter causam, & effectum in facto esse. Hæc conclusio patet ex dictis in Logica loquendo de fundamento relationum secundi generis. Convenit nostra conclusio cum sententia Thomistarum in hoc, quòd causalitas sit entitas absoluta; sed differt ab illa in eo quòd ipsi dicunt, talem entitatem absolutam esse actionem de prædicamento actionis mediam inter causam, & effectum, & ab illis realiter distinctam; nos verò dicimus, talem entitatem absolutam esse ipsam virtutem productivam causæ realiter ab ipsa causa indistinctam connotando influxum, seu actionem materialiter sumptam, quæ licèt sit media inter causam, & effectum in facto esse, non tamen est quid distinctum realiter ab effectu, sed est idem effectus in fieri; neque pertinet ad prædicamentum actionis, sed ad ipsum prædicamentum, ad quod pertinet effectus; actio enim de prædicamento actionis non est entitas absoluta, sed respectiva extrinsecus adveniens. Videantur quæ diximus in Logica, tam loco citat. quam loquendo de sex ultimis prædicamentis.

5 Deinde potest probari conclusio hac ratione: causalitas, qua aliquid habet, quod sit, & denominetur actualiter causa est forma activa prior natura effectu, & qua causa communicat esse effectui, sed relatio, qua causa refertur ad effectum non est forma activa, neque prior natura effectu; imò posterior natura, cùm resultet ex positione fundamenti, & termini, qui terminus est effectus, ergo causalitas causæ in sen-

su

su conclusionis non est aliqua relatio causæ ad effectum; sed virtus activa causæ est id, quo causa tribuit esse effectui, & est prior natura ipso effectu: ergo ipsa virtus causativa est causalitas causæ in sensu explicato.

6 Dicimus 2. si causa consideretur in actu secundo formaliter, causalitas, seu forma, qua denominatur causa, est relatio causæ ad effectum. In hoc sensu debent intelligi Scotistę qui communiter tenent nostram conclusionem. Prob. quia hoc nomen *causa* est relativum, sicut hoc nomen *simile*; cùm formaliter sumptum totum suum esse sit ad aliud scilicet ad effectum: ergo sicut forma, qua aliquid dicitur simile formaliter, est relatio similitudinis; ita forma qua aliquid dicitur formaliter causa erit relatio causæ ad effectum: sed causalitas in sensu conclusionis est id, quo aliquid dicitur formaliter causa: ergo causalitas in prædicto sensu est relatio causæ ad effectum. Cum hac distinctione facilè respondetur ad quælibet argumenta.

7 Adhuc restat alia difficultas; quia aliqui Scotistæ intendunt, inter absolutum causæ, & absolutum effectus dari quamdam relationem, quæ sit causalitas causæ, & hoc sive post positionem effectus in esse resultet alia relatio causæ ad effectum, sive non. Difficultas ergo est an sit admittenda prædicta relatio media inter causam, & effectum, quæ rationem causalitatis habeat?

8 Dicimus: causalitas causæ actualiter causantis nequit esse aliqua relatio media inter causam, & effectum. Hæc conclusio ita est expressa in lit. Scoti, ut nisi verba illius in peregrinos sensus ducantur, à nullo Scotista videtur posse negari; quapropter non aptius probari potest, quam litteram ipsius proponendo; inquit enim in 2. dist. 1. quæst. 2. §. *ad primum argumentum*, vers. *Et quando arguitur, sub lit. D. Et quando ar-*

arguitur contra istud per illam rationem quod oportet habitudinem novam aliquam naturaliter præcedere in producente ad productum, & non è contrario, dico sicut dictum est dist. 35. primi, & aliàs frequenter quod ad absolutum in causa, immediatè sequitur absolutum in effectu; & in effectu primo consequitur respectus ad causam; & tunc si aliquis est respectus causæ ad effectum, ille respectus ad effectum est ultimus, & aliquando nullus. Cum igitur dicis, quòd quia causa dat esse, ideò effectus recipit esse, & non è contrario; dico, quòd si intendas per ly quia *reduplicationem relationis in causa, vel aliquam realitatem novam in causa sive relativam, sive absolutam, propositio est falsa; si autem intelligas reduplicare actum primum causæ, qui præcedit naturaliter causatum, illo modo propositio est vera; absolutum enim in causa præcedit naturaliter causatum.*

9 Et infra sic prosequitur: *Dico quòd in illo instanti, in quo causat, adhuc causat ut prius naturaliter ipsa causatione; & ut sic nihil intelligitur nisi absolutum, à quo ponitur ipsum causatum in esse, & ideò nihil potest accipi cum hoc causa hujus, quod est causari, nisi illud sit prius, nec respectu hujus instantis, nec respectu alterius; fallit autem imaginatio, quia semper videtur, quòd causa sit indeterminata usque ad illud instans, quando causat. & tunc quod aliqua relatio determinans ipsam ad effectum, primò requiratur à parte ejus, quod falsum est, illud enim idem absolutum, quod in causa præcessit, tam natura, quàm duratione ipsum effectum productum, vel causatum, est etiam in ea in illo instanti prius naturaliter, quam causet, & secundum illud absolutum secundum quod prius fuit causativum, est nunc causans, & non secundùm aliquid additum, neque absolutum, neque respectivum.* Hæc Scotus, quibus nihil clarius pro nostra conclusione desiderari potest.

10 Hæc tamen ratio potest deduci ex prædictis verbis ad probandam in forma nostram conclu-

clusionem; causa quando actualiter causat est prior natura suo effectu: sed relatio causæ nequit esse prior natura suo effectu: ergo causa non est actualiter causans per aliquam relationem. Mai. est Scoti. Min. patet; tum quia aliàs relatio causæ esset prior natura relatione effectus, quod nequit dici; cùm tam correlativa, quàm correlationes sint simul natura. Tum etiam quia relatio realis semper præsupponit extrema; & in illo priori causæ respectu effectus non est effectus productus, qui est unum extremum talis relationis. Tum etiam quia jam daretur aliqua relatio realis, quæ non esset ad terminum realiter existentem; cùm in illo priori non intelligatur habere esse effectus, ad quem debebat relatio terminari. Tum denique quia jam daretur aliquid actu dependens ab aliquo, quòd non esset; nam pro illo priori, neque est, neque intelligitur effectus productus, qui est unum extremum à quo dependet relatio causæ ad effectum: ergo nullatenus potest dari aliqua relatio, quæ sit in causa prior natura effectu; ac per consequens neque quæ sit causalitas causæ, seu ratio constitutiva causæ in esse actualiter causantis.

11 Arg. 1. nequit aliquid creatum transire de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione intrinseca, vel extrinseca: sed causa transit de non producere ad producere: ergo per aliquam mutationem intrinsecam, vel extrinsecam: sed causa ante productionem actualem habet virtutem productivam: ergo in actuali productione habet aliquid superadditum intrinsecum, vel extrinsecum; aliàs non produceret actualiter, cùm idem in quantum idem semper natum sit facere idem: sed hoc superadditum nequit esse nisi relatio causæ ad effectum: ergo talis relatio est causalitas, seu forma constituens causam actualiter causantem.

Resp.

12 Resp. concesso toto argumento usque ad ultimam min. illam neg. Verum enim est, causam transire de non causare actualiter ad actualiter causare, seu, quod idem est de actu primo ad actum secundum per aliquid superadditum, quod non est quid intrinsecum in causa; neque ratio constitutiva causæ in esse actualiter causantis, ut intendunt contrarii, esse relationem ab illis adductam; sed est quid extrinsecum, scilicet conditiones requisitæ ad causandum, ut sunt approximatio materiæ dispositæ, & ablatio impedimentorum; quibus positis, & sine aliquo alio superaddito ex parte causæ, causa actualiter causat; quia ratione suæ formæ est determinata ad agendum, & quatenus est ex se semper nata est facere idem, scilicet causare, & non indiget aliquo intrinseco superaddito ipsam ad actualiter causandum determinante: unde, quòd non semper actualiter causet, non provenit defectu sui, vel alicujus intrinseci ipsam ad causandum determinantis; sed defectu alicujus conditionis requisitæ, vel defectu ablationis impedimentorum, quod omne extrinsecum est respectu potentiæ causativæ. Hæc solutio deducitur ex Scoto cit. vers. *Ad secundum, sub lit. E.*

13 Arg. 2. agens agit actione: sed actio est relatio: ergo agit relatione: sed agens, ut agit, est prius effectu: ergo relatio, qua agit, est prior effectu; & consequenter datur relatio media inter causam, & effectum, quæ sit ratio formalis agendi; seu causalitas causæ. Confirm. quia secundùm Scotum quæst. ult. prologi, voluntas elicit praxim elictione de genere actionis: sed ut elicit est prior praxi, quæ est effectus: ergo elicito de genere actionis, quæ est relatio est prior effectu; & consequenter ante effectum datur in causa relatio, quæ sit causalitas causæ.

14 Resp. Lichetus super Scotum cit. quòd actio

actio potest dupliciter sumi. 1. pro actione de genere actionis, quæ est relatio, in quo sensu actio non præcedit effectum, imò effectus præcedit illam 2. pro ratione formali agendi, in quo sensu præcedit effectum. Unde similiter hæc propositio: *Agens agit actione* potest etiam dupliciter sumi. 1. ita ut sensus sit: *Agens formaliter actione formaliter agit*. 2. ita ut sensus sit: *Agens fundamentaliter actione fundamentaliter agit*. In primo sensu accipitur agens pro subiecto, & actione de genere actionis, in secundo verò sensu accipitur agens pro subjecto, & ratione formali agendi; primo modo agens non est prius effectu, benè tamen secundo modo; sicut etiam dicimus: *Pater est Prior Filio*, quod verum est si Pater accipiatur fundamentaliter, scilicet pro re, quæ est Pater, & virtute productiva Filii, & similiter Filius pro re, quæ est Filius, est tamen falsum si Pater sumatur formaliter, scilicet pro supposito: & relatione paternitatis, & etiam Filius pro supposito, & relatione filiationis, eo quòd correlativa sint simul natura.

15 Unde in forma potest responderi ad argumentum disting. mai. agens agit actione formaliter præcisè, nego; formaliter, vel fundamentaliter, concedo. Dist. etiam min. actio est relatio, si sumatur formaliter, concedo, si sumatur fundamentaliter, nego. Et dist. conseq. agens agit relatione, si agens sumatur formaliter, concedo; si sumatur fundamentaliter, nego. Dist. etiam min. subsumptam agens, ut agit fundamentaliter, est prius effectu, concedo; ut agit formaliter, nego; & nego consequentias.

16 Ad confirmationem similiter respondit Lichetus: quæ distinctio inquit, quæ est valdè necessaria potest elici à Doct. pluribus in locis, præcipuè in 1. dist. 7. & quæst. 1. quodlibet. & cum illa potest responderi ad alias authoritates

Sco-

Scoti; quia quando in uno loco expressè habetur intentio ejus, si alibi aliter videatur dicere, debet exponi conformiter intentioni suæ; cùm ergo expressè habeatur intentio Scoti circa nostram conclusionem, ut patet ex locis ibi citatis; quælibet alia loca juxta sensum nostræ conclusionis debent explicari.

17 Arg. 3. Pater Æternus producit Filium relatione paternitatis: ergo similiter pater in creatis, & quælibet alia causa producit effectum relatione. Potest responderi 1. quòd relatio paternitatis in divinis non est ratio formalis producendi, sed est ipsamet productio; qui autem sic arguunt, asserunt in causis creatis relationem causæ esse rationem formalem causandi, seu causalitatem causæ mediam inter causam, & effectum; & sic non tenet argumentum. Sed quidquid sit de hoc, de quo agitur in materia de Trin. aliter respondetur, ad argumentum neg. parit. nam relationes divinæ constituunt ipsa extrema, quæ referuntur, & sic non supponunt illa; relationes verò creatæ non constituunt extrema, sed supponunt illa in suo esse constituta. Deinde relationes divinæ terminantur ad relativum, & sic non debent præsupponere terminum prioritate naturæ; eò quod correlativa sint simul natura; relationes verò creatæ juxta mentem Scoti terminantur ad absolutum; & sic debent præsupponere terminum prioritate naturæ.

17 Denique, producens in divinis non est causa producti, nec productum dependet à producente; unde producens non est prius natura producto, sed tantùm prius origine, quæ prioritas non includit dependentiam unius ab alio, & potest stare cum simultate naturæ, ut dicitur in materia de Trin. quapropter producens, & productum in divinis possunt esse correlativa? at verò in creatis producens est causa producti, & productum dependet à producente;

unde

unde necessariò producens est prior natura producto, quod non contingit in correlativis, cum sint simul natura, & unum, ut relativum, nullatenus ab alio, ut relativo dependeat; quælibet autem alia prioritas; quæ non sit hæc prioritas naturæ, non sufficit ad rationem causæ, & dependentiæ unius ab alio; eò quòd quælibet quæ possit assignari, inveniatur in divinis inter producens, & productum sine ratione causæ, & dependentiæ unius ab alio.

16 Pro majori autem claritate sic venit quæstio resolvenda: causalitas causæ, sumpto hoc nomine *causa* formaliter, & pro per se significato, est relatio; vel producentis ad productum, facta comparatione causæ ad effectum principalem; vel educentis ad eductum, vel inducentis ad inductum facta comporatione causæ ad formam eductam de potentia subjecti, & inductam in ipso subjecto; quæ relationes sunt intrinsecus advenientes, pertinent ad secundum genus relationis, & non dantur quoadusque terminus, qui est effectus, sit positus in esse, cùm resultent posito fundamento, & termino, unde nequeunt esse rationes formales producendi effectum, cùm illum jam præsupponant productum: vel est relatio agentis ad passum, si agens consideretur, ut transmutans subjectum, & est relatio extrinsecus adveniens de prædicamento actionis; quæ etiam supponit effectum productum: eo quòd necessariò debeat supponere terminum, qui quidem terminus non est subjectum utcumque, sed ut habet in se receptam formam productam ab agente, per quam formaliter transmutatur, unde hæc relatio, ut præcedens, nequit esse ratio formalis producendi effectum, neque via, aut medium inter causam, & effectum. Quòd dentur prædictæ relationes inter se distinctæ probat Scotus in 4. distinct. 13. quæstion. 1. à litt. D.

Sum-

20 Sumpto autem hoc nomine *causa* fundamentaliter, causalitas in actu secundo est ipsa virtus productiva causæ ut dans esse effectui, quæ quidem, adhuc, ut dans tale esse, est prior natura ipso effectu; unde nequit constitui in esse talis per aliquam relationem ad effectum; quia nulla relatio ad effectum est prior, imò est posterior natura effectu, cum illum tanquam terminum, ex cujus positione resultat, debeat præsupponere. Quando autem dicimus, quòd causalitas causæ fundamentaliter est ipsa virtus activa causæ prout connotat actionem materialiter sumptam, seu effectum in fieri, ità debet intelligi, quòd ad hoc ut resultat relatio causæ ad effectum, necessariò requiritur, quòd præcedat talis actio, seu effectus in fieri tanquam conditio necessaria ad hoc ut virtus, seu potentia activa, & passiva fundent relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam; impossibile enim est, quòd fieri effectus non præcedat ipsum effectum in facto esse: non tamen debet intelligi ita ut talis actio, seu effectus in fieri sit ratio formalis constitutiva causę naturaliter causantis, seu dantis esse effectui, nam ipsa causa adhuc ut dans esse effectui est prior natura ipso fieri effectus, & ipsum fieri dependet à causa dante tale esse; cùm fieri effectus nihil aliud sit, quam effectus actualiter recipiens esse, unde necessariò dependet à causa dante illi esse, & causa, ut dans tale esse, est prior natura illo ut recipienti, & consequenter nequit talis actio, seu effectus in fieri esse causalitas causæ, seu ratio constitutiva causę in esse actualiter causantis, seu dantis esse effectui.

21 Similiter quando communiter dicitur quòd causa dat esse effectui mediante actione materialiter sumpta, seu influxu, qui est idem effectus in fieri, hoc non dicitur; quia talis actio, influxus, seu fieri effectus sit ratio constitutiva causæ in esse actualiter causantis, seu

dan-

dantis esse effectui;sed quia effectus in fieri,actio, seu influxus præcedit naturaliter ipsum effectum in facto esse, & sic est medium inter causam actualiter causantem, & effectum in facto esse; ex quo non sequitur quòd inter absolutum causæ, & absolutum effectus mediet aliquid; nam id, quod dicimus mediare, non est aliquid entitativè distinctum ab effectu, sed est ipse effectus in fieri.

22 Ut penitus quælibet æquivocatio auferatur, observandum est, quòd actualiter causare duo includit, scilicet causam dare esse effectui, & effectum recipere esse à causa; & utrumque simul dicitur propriè actus secundus causæ, & includit ipsum effectum in fieri, qui est influxus, seu actio materialiter sumpta; sed quia in hoc, quod est actualiter causare, ipsa causa, ut dans esse est prior natura ipso effectu recipiente esse, ideò Scotus verbis supra relatis vocat causam, ut sic priorem, actum primum; & etiam nos dicimus, quòd in actu secundo causa connotat actionem, seu influxum, quia actus secundus, adæquatè sumptus, dicit etiam effectum recipientem esse, seu in fieri, qui dicitur actio, seu influxus.

23 Dubitabis an existentia sit necessariò requisita ad causandum? Non dubitatur, an causa, antequam existat, possit causare? Quia certum est apud omnes, nullam causam (præter finalem; hæc enim non causat ut existere, sed tantùm ut cognita; ut suo loco dicetur) posse causare antequam existat. Solùm autem dubitatur an sufficiat ad causandum, quòd causa extiterit ante actualem causationem; an verò sit necessarium, quòd existat eo tempore,& instanti,in quo actualiter causat? Nunc

24 Resp. ad dubium; necessariò requiritur, quòd causa existat eo tempore, & instanti, in quo actualiter causat. Hæc resolutio est ferè communis contra aliquos Thomistas, ut videre

est

est apud Mastrium in Physica dist. 7. quæst. 4. asserentes saltim causam efficientem (de causis materiali, & formali nemo est, qui hoc defendat) posse actualiter causare, quin actualiter existat, si tamen antea extiterit. Prob. tamen communis resolutio; quia causa actualiter causans debet habere virtutem causativam in illo instanti, in quo causat: sed quod actualiter non existit non habet virtutem causativam in illo instanti, in quo non existit: ergo neque potest causare in instanti, in quo existit. Min. patet; quia virtus causativa realiter identificatur cum causa: ergo dum non existit causa, nequit existere virtus causativa; ac per consequens, &c.

25 Et potest confirm. quia causa efficiens antequam existat nequit physicè, & realiter causare: ergo neque poterit causare si actualiter non existat, licet antea extiterit. Patet conseq. quia sicut tempus, seu instans antequam causa existat est extrinsecum durationi causæ, pro qua actualiter existit; ita tempus, seu instans postquam causa extitit, est extrinsecum prædictæ durationi & postquam res fuit nullam virtutem reliquit, sicut neque ullam virtutem habuit antequam esset, quia *fuisse* nihil est actu magis quàm *fore*: ergo si causa non potest causare in illo tempore, seu instanti antequam existat neque poterit causare in illo instanti, seu tempore postquam jam extitit. Quod objiciunt contrarii solvendum est ex dicendis loquendo de causa instrumentali:

DISP. III.

De causis materiali, & formali.

Quia causæ materialis, & formalis sunt intimiores effectui, quippè ipsum intrinsecè constituentes, prius de illis, quàm de cæteris causis egit Aristot. & nos cum ipso similiter agimus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit causa materialis? qui ejus effectus? & quæ ejus causalitas?

1 Dicimus 1. pro primo quod inquirit quæstio: *Causa materialis est principium ex quo aliquid fit, cùm insit*. Hanc definitionem, quam omnes Philosophi admittunt, tradidit Arist. cap. 3. hujus libri; cujus bonitas patet ex communi illius explicatione. Dicitur: *Principium* (quæ particula, licèt non proponatur ab Aristot. supponitur tamen ab illo quia jam dixerat, materiam esse principium) & ponitur loco generis in quo convenit causa materialis: cum aliis causis, & cum privatione. Cæteræ particulæ ponuntur loco differentiæ nam per ly *ex quo aliquid fit* differt à causis extrinsecis: efficiens eim est *à qua*, & finalis *cujus gratia aliquid fit*. Per ly *cum insit*, quod denotat inexistentiam in effectu, differt à privatione, quæ non habet talem inexistentiam. Hæc definitio sic explicata videtur convenire causæ formali; quapropter, tenent communiter omnes quòd ly *ex quo* non debet intelligi in ea latitudine, in qua intelligitur in definitione principiorum, sed magis strictè, ita ut denotet id ex quo aliquid fit tanquam ex præexistenti subjecto, quod non con-

convenit causæ formali. Clarius autem, ut auferatur æquivocatio sic potest causa materialis definiri: *Est principium ex quo aliquid fit tanquam ex praexistenti subjecto.*

2 Dicimus 2. pro secundo quod inquirit quæstio; causa materialis communiter dividitur in primam, & secundam. 1. dicitur quæ non supponit aliam causam materialem ex qua fiat; hujusmodi est sola materia prima. 2. dicitur, quæ aliam præsupponit: hujusmodi est, quodcumque compositum ex materia, & forma, quatenus simul cum forma accidentali; sive naturali, sive artificiali, concurrit ad constitutionem totius per accidens. Aliter dividitur ab aliquibus causa materialis in materiam ex qua, & materiam in qua. Causa materialis, seu materia ex qua dicitur illa, ex cujus potentia educitur aliqua forma in ordine ad compositionem totius. Causa materialis, seu materia in qua dicitur illa in qua inducitur, seu cui unitur aliqua forma in ordine ad compositionem totius, licèt talis forma ex potentia materiæ non educatur; ut contingit in anima rationali, quæ creatur à Deo independenter à corpore, & postea inducitur in corpore, seu illi unitur. Unde materia in qua, & materia ex qua se habent tanquam superiùs, & inferiùs; valet enim: *Est materia ex qua: ergo est materia in qua*; non verò è contra; quia omne quod educitur de potentia materiæ inducitur in illa, seu illi unitur; non verò omne, quod inducitur in materia, seu illi unitur, educitur ex potentia ipsius, ut patet de anima rationali.

3 Ubi advertendum est, quòd, licèt divisio causæ materialis in primam, & secundam dicatur ab aliquibus generis in species; juxta principia Scoti non est dicenda divisio generis in species. Quod sic potest ostendi: causa materialis propriè, & rigorosè sumpta dicitur causa intrinseca; quia intrinsecè tanquam pars essentialis

includitur in effectu: sed hoc non convenit materiæ secundæ: ergo neque convenit illi propriè ratio causæ materialis. Prob. min. quia materia secunda est pars intrinseca compositi, quod est totum, seu unum per accidens: sed hoc nequit propriè dici effectus materiæ secundæ, cùm, ut suo loco dictum est, compositum per accidens non distinguatur realiter à suis partibus; & effectus propriè dictus realiter à suis causis debet distingui: ergo materiæ secundæ non convenit propriè ratio causæ materialis: sed ad divisionem generis in specie necessariò requiritur, quòd membra dividentia propriè rationem divisi includant: ergo prædicta divisio non est generis in species. Neque apparet, quid contra hoc possit objici, quòd non facilè solvatur ex dictis, loquendo de composito per se, & per accidens. Videtur ergo dicendum, quòd prædicta divisio est analogi in analogata, licèt non rigorosè, quippe materia secunda dicitur causa materialis, per similitudinem ad materiam primam.

4 Etiam est advertendum circa divisionem causæ materialis in materiam ex qua, & in qua, quòd potest esse divisio materiæ primæ, & materiæ secundæ. Si sit divisio materiæ primæ, vel potest comparari ad totum compositum, vel ad formam; si comparetur ad totum compositum, potest dici divisio subjecti in accidentia; quia compositum in esse totius eodem modo dependet à causa materiali, sive forma educatur, sive non educatur de potentia materiæ: per accidens enim hoc se habet ad hoc ut causa materialis verè, & realiter causet compositum. Si autem comparetur ad formam non est propriè divisio causæ materialis, quia materia in ordine ad formam non dicitur rigorosè causa materialis, cùm non sit pars intrinseca, & constitutiva formæ; potest tamen materia dici causa materialis extenden-

dendo nomen *causa materialis* ad id, quòd se habet tanquam subjectum alterius quomodocumque sit; & in hoc sensu potest dici prædicta divisio generis in species, cùm materia prima sit propriè subjectum formæ, & ab illa forma dependeat, diversimodè tamen; nam si educatur de potentia illius, dependet ab illa in fieri, in esse, & in informare; si verò non educatur, tantùm in informare dependet.

5 Si sit divisio materiæ secundæ, etiam potest comparari ad compositum, & ad formam. Si comparetur ad compositum erit in sua linea divisio subjecti in accidentia propter rationem dictam de divisione causæ materialis primæ; si autem comparetur ad formam potest dici divisio generis in species etiam propter rationem dictam de divisione causæ materialis primæ, mutato *informare in inhærere*. Quo benè notato plures auferuntur æquivocationes.

6 Similiter est advertendum, quod communiter reducuntur ad causam materialem partes integrales quatenus ex ipsis, & indivisibilibus constituitur totum integrale. Etiam reducuntur ad causam materialem dispositiones quatenus se habent ex parte subjecti in ordine ad recipiendam formam, & constituendum compositum. Similiter reducuntur ad causam materialem termini ex quibus componitur propositio; quia se habent tanquam potentia, & subjectum respectu copulæ; & propositiones ex quibus componitur argumentatio, quia se habent ut potentia, & subjectum respectu notæ illationis; & genus, ut se habet tanquam potentia, & subjectum respectu differentiæ: hæc tamen tria non sint causæ materiales Physicæ, de quibus loquimur in præsenti, sed termini, & propositiones sunt causæ Logicales, & genus causa Metaphysica, quæ non sunt propriè causæ, sed tantum similitudinariè in ordine ad causam physicam.

7 Dicimus 3. pro tertio, quod inquirit quæstio; si causa materialis propriè, & rigorosè sumatur unicum tantum habet effectum, scilicet totum compositum; si autem causa materialis non rigorosè, sed latè accipiatur, etiam forma potest dici effectus illius. Hæc conclusio patet ex dictis pro secunda conclusione; nam causa materialis propriè sumpta constituit suum effectum tamquam pars intrinseca illius: sed causa materialis solùm est pars intrinseca compositi: ergo solùm compositum est propriè effectus illius. Deindè causa materialis latè sumpta dicitur illa, quæ se habet tamquam subjectum à quo aliquid aliquomodo dependet: sed forma aliquomodo dependet à materia tamquam à subjecto: ergo etiam forma in prædicto sensu potest dici effectus causæ materialis.

8 Dicimus 4. pro quarto, quod inquirit quæstio; causalitas causæ materialis in actu primo remoto est virtus causativa illius præcisè sumpta, quæ potest dici virtus materializandi, & est propriè potentia receptiva formarum; in actu primo proximo est ipsa virtus causativa connotando conditiones requisitas ad causandum, & ablationem impedimentorum, causalitas verò materiæ in actu secundo fundamentaliter est etiam prædicta virtus causativa connotando unionem, quæ est conditio simpliciter in actu secundo ad causandum requisita; & in actu secundo formaliter est relatio ad effectum, quæ potest dici relatio materializationis. Hæc conclusio suppositis dictis circa causalitatem causæ in communi nullam videtur habere difficultatem; quapropter in illa amplius non immoramur.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit causa formalis? qui ejus effectus? & quæ ejus causalitas.

1 DIcimus 1. pro primo quòd inquirit quæstio: *Causa formalis est ratio quidquid erat esse*, seu *est ratio quidditatis*. Hæc definitio traditur ab Arist. cap. 3. hujus libri, & ab omnibus Phylosophis admittitur: Ubi advertendum est, quòd Arist. appellat formam rationem quidditatis; quia est præcipua pars, & ultimum complementum compositi substantialis; non autem quia judicet, esse totam quidditatem, seu essentiam compositi; nam etiam materia prima est de essentia compositi, ut suo loco dictum est. Clariùs tamen sic potest definiri: *Causa formalis est principium ex quo intrinsecè actuante compositum fit*; quæ definitio est conformis verbis Arist. quibus communiter loquitur de forma. Dicitur *principium*, quod ponitur loco generis, ut dictum est in definitione causæ materialis. Dicitur *ex quo intrinsecè actuante compositum fit*, quod ponitur loco differentiæ; per quod differt, tam à causis extrinsecis, quàm à privatione, & à causa materiali; quæ non per modum actus, sed per modum potentiæ causat. Unde patet bonitas definitionis.

2 Dicimus 2. pro secundo, quòd inquirit quæstio; causa formalis communiter dividitur in substantialem, seu informantem, & in accidentalem, seu inhærentem, informans est, quælibet forma substantialis unum per se cum materia constituens. Inhærens est, quælibet forma accidentalis unum per accidens constituens cum subjecto. Ubi notandum est, ut in simili diximus de causa materiali, quòd prædi-

cta divisio, licèt ab aliquibus dicatur generis in species, non est generis in species dicenda, sed analogi in analogata. Videantur quæ diximus quæst. antec. nu. 3. & applicentur; eadem enim est ratio utriusque.

3 Notandum est etiam, quòd communiter reducuntur ad genus causæ formalis indivisibilis, quibus partes totius integralis copulantur; eò quòd se habeant tanquam actus respectu partium: etiam reducuntur ad genus causæ formalis copula, qua uniuntur termini ad constituendam propositionem, & nota illationis, qua in argumentatione uniuntur præmissæ cum consequentia; & differentia in ordine ad genus; sed istæ non sunt causæ formales Physicæ, sed ultima est Metaphysica, & duæ antecedentes sunt Logicales; & non sunt propriè causæ, sed tantum per similitudinem ad causam physicam.

4 Dicimus 3. pro tertio, quòd inquirit quæstio, si causa formalis sumatur strictè, & rigorosè tantùm habet unicum effectum, scilicet compositum; si autem non rigorosè, & strictè, sed latè accipiatur, scilicet pro eo, à quo aliquid aliquo modo dependet, etiam expulsio formæ præexistentis in materia, & extrinseca specificatio materiæ possunt dici effectus causæ formalis. Conclusio est communis; & prima pars patet, quia causa formalis ita est intrinseca, ut sit pars constitutiva sui effectus: sed forma solùm est pars constitutiva totius compositi: ergo solum compositum est propriè effectus illius. Secunda pars etiam patet; quia tam expulsio formæ præexistentis in materia, quàm specificatio extrinseca ipsius materiæ, quæ consistit in hoc, quòd materia prima constituatur in aliqua specie completa determinata (& dicimus *specificatio extrinseca*, quia intrinsecè materia ex se est in aliqua specie determinata, licèt incompleta, substantiæ, ut suo

loco

loco dictum est) dependet à forma; ex eo enim quod advenit forma de novo materiæ expellitur ab illa præexistens; ideòque communiter talis expulsio dicitur effectus secundarius formæ advenientis, primarius enim est informando materiam, constituere compositum eò, vel maximè, quia generatio est prior natura corruptione, ut in libris de generatione dicetur; deinde ideò dicitur materia esse in aliqua specie determinata completa, quia tali forma informatur ad constituendum tale determinatum compositum: ergo si causa formalis sumatur in prædicta latitudine, tam expulsio formæ præexistentis, quam specificatio extrinseca materiæ, possunt dici effectus illius.

5 Dicimus 4. pro quarto, quod inquirit quæstio; causalitas causæ formalis in actu primo remoto est virtus causativa illius præcisè sumpta; in actu primo proximo est ipsa virtus causativa connotando conditiones requisitas ad causandum, & ablationem impedimentorum: in actu secundo fundamentaliter est ipsa virtus causativa connotando unionem, & in actu secundo formaliter est relatio, quam dicit ad effectum, quæ potest dici relatio informationis. Hæc conclusio, suppositis dictis de causalitate in communi non indiget probatione.

DISP. IV.

De causa efficiente.

Recto ordine venit agendum de causis extrinsecis; & primo de efficiente, à qua primò denominatur effectus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens?

1 Dicimus 1. pro primo quod inquirit quæstio: Arin. hic text. 29. & 6. Met. cap. 2. sic causam efficientem definivit: *Efficiens est id, unde est primum principium motus, aut quietis*. Quæ definitio ab omnibus admittitur; licèt claritatis gratia aliis verbis ab aliquibus proponatur; sic enim, omissis variis modis dicendi, clarè definiri potest: *Causa efficiens est primum principium, à quo provenit motus, aut quies*. Dicitur *primum principium*, quod ponitur loco generis, in hoc enim convenit efficiens cum aliis causis; nam quælibet in suo genere est primum principium. Cæteræ particulæ ponuntur loco differentiæ; efficiens, enim est *à quo* provenit motus; materialis autem, & formalis *ex quibus*; finalis verò *gratia cuius*. Ubi advertendum est, quod ly *motus* denotat quemcumque influxum, medio quo efficiens tendit in effectum, sive præsupponat subjectum, in quo sensu influxus est propriè motus, vel mutatio; sive non præsupponat subjectum, in quo sensu dicitur creatio; sive talis influxus sit realis, ut quando ignis v. g. producit ignem, sive moralis, ut est consultatio, præceptio, &c. Unde convenit prædicta definitio, tam causæ primæ, quam secundæ; tam Physicæ, quam Morali. Advertendum est etiam, ly *quietis* idem est; ac *conservationis*, quæ optimè nomine quietis significatur; quia materia dicitur quiescere sub forma, quæ in ipsa materia conservatur. Vel potest dici; quod per ly *quietis* intelligitur causa deficiens; ita quod sicut causa efficiens est principium unde motus, quando per actionem influit in effectum; etiam est principium, unde quies, id est, deficiens per cessationem ab operando; per

per hanc explicationem patet bonitas definitionis.

2 Dicimus 2. pro secundo, quod inquirit quæstio; causa efficiens. 1. dividitur in causam per se, & causam per accidens. Causa per se dicitur illa, quæ verè, & realiter attingit effectum; hujusmodi est pater v. gr. respectu filii. Causa per accidens dicitur quæ habet connexionem accidentalem cum causa per se alicujus effectus, licèt illa talem effectum non attingat; hujusmodi est musicus v.gr. qui domum ædificat; tunc enim musica dicitur causa efficiens per accidens respectu ædificationis; quia per accidens se habet, quod ædificator sit musicus ad talem effectum producendum.

3 2. dividitur causa efficiens in Physicam, & Moralem. Physica dicitur, quæ verè, & realiter influit in effectum; ut pater respectu filii. Moralis potest sumi dupliciter. 1. quatenus moralitas, idem est ac libertas; in quo sensu voluntas dicitur causa moralis quia liberè suos actus producit; sed quia voluntas etiam physicè, & realiter producit suos actus, verè etiam dicitur causa physica. Unde moralitas, sumpta pro libertate, non distinguit causam moralem à physica ut sic; potiùs enim hæc divisio est causæ physicæ in liberam, & necessariam. 2. sumitur moralitas pro imputatione; & in hoc sensu causa moralis est illa, quæ licèt realiter non influat in effectum; ita tamen se habet respectu illius quoad mores, ac si verè, & realiter in ipsum influeret; & hoc modo sumpta moralitas distinguit causam moralem à causa physica; hujusmodi sunt, quæ his versiculis continentur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Qui recipit, mutus, non obstans, non manifestans.

Hæc omnia inveniuntur in agentibus liberis. Etiam solet dici causa moralis, præcipuè ab

Scotistis, quæ est ratio cur alia causa operetur ex aliquo pacto. Hujusmodi sunt Sacramenta; quia ad positionem illorum Deus nobis gratiam elargitur; & opera nostra meritoria, propter quæ elargitur nobis Deus gratiam, & gloriam.

4 3. dividitur causa efficiens in principalem, & instrumentalem. Principalis est, quæ in esse quieto habet formam, seu virtutem ad per se producendum effectum; ut ignis ad producendum alium ignem. Instrumentalis est, quæ non habet in esse quieto formam, sed virtutem ad producendum effectum, sed prævia aliqua dispositione ex parte instrumenti, recipit virtutem à causa principali in actuali motione, de quo ampliùs alibi.

5 4. dividitur causa efficiens in totalem, seu completam, & in partialem, seu incompletam. Totalis, seu completa dicitur, quæ ex se habet virtutem ad totaliter producendum effectum, ut ignis respectu alterius ignis. Partialis, seu incompleta est, quæ ex se non habet sufficientem virtutem ad producendum totum effectum, sed indiget consortio alterius concausæ, ut pater, & mater respectu filii; objectum, & potentia respectu notitiæ.

6 5. dividitur causa efficiens in primam, & secundam. Causa prima dicitur quæ nulli alteri subordinatur, neque ab aliqua alia dependet in esse, aut operari; hujusmodi est solus Deus. Causa secunda dicitur, quæ subordinatur causæ primæ, & ab ea, tam in esse, quàm in operari dependet; hujusmodi sunt omnes causæ creatæ.

7 6. dividitur causa efficiens in universalem, & particularem. Vniversalis est, quæ plures, & diversos effectus attingit; hujusmodi est Deus, & etiam astra præcipuè Sol. Particularis est, quæ tantum unum effectum determinatum attingit, ut ignis.

8 7. dividitur causa in univocam, & æquivo-

cam.

cam. Vnivoca dicitur, quæ producit effectum ejusdem rationis, & speciei cum illa; ut ignis, qui alium ignem producit. Æquivoca dicitur, quæ producit effectum diversæ rationis, & speciei ab illa; ut Sol, qui producit aurum, & alia ab illo maximè distincta.

9 8. dividitur causa sumpta in numero plurali, in causas subordinatas, & non subordinatas. Subordinatæ dicuntur illæ, quarum una dependet ab alia, quod dupliciter potest contingere, vel essentialiter, & per se, vel per accidens. Tunc causæ dicuntur per se, & essentialiter subordinatæ, quando una in esse causæ actualis, seu in agendo dependet ab actione, & concursu alterius; hujusmodi sunt causa prima, & secunda; & etiam Sol, & Astra quatenus concurrunt cum causis inferioribus ad suas operationes. Tunc causæ dicuntur per accidens subordinatæ quando una dependet ab alia in suo esse; licèt non in sua operatione actuali ab actione, & concursu actuali alterius; huiusmodi sunt Pater, & Filius in creatis, & quælibet causa producta respectu causæ creatæ, quæ illam produxit. Causæ non subordinatæ dicuntur illæ, quarum una nullatenus dependet ab al a in esse, aut operari; ut homo, & ignis, quorum nullus ab alio in suo esse, aut operari dependet. Plures aliæ divisiones causæ efficientis solent adduci, quæ, sicut aliquæ ex supradictis, potiùs divisiones nominis, quam rei videntur; ideoque illas omittimus, & quia ex alibi dicendis facilè deducuntur.

QUÆ

QUÆSTIO II.

An causæ creatæ aliquid efficiant?

1 LIcèt unanimiter omnes concedant, dari causam efficientem; tamen in determinando quibus rebus ratio causæ efficientis conveniat, non omnes conveniunt; aliqui enim dixerunt, solum Deum omnia producere; creaturas verò nihil omninò agere. Alii autem dixerunt, creaturas spirituales aliquid producere; nihil verò creaturas corporeas. Alii verò, creaturas etiam corporeas efficere accidentia, nullatenus tamen producere substantiam. AA. pro his modis dicendi possunt videri apud nostrum Merin. 2. physic. disp. 4. q. 1.

2 Dicimus tamen, non solum Deus; sed etiam creaturæ, & si corporeæ attingunt effectivè, non solum accidentia, sed etiam substantiam. Conclusio est jam communis inter Philosophos, & Theologos contra prædictos modos dicendi. Probat. 1. ex Sacra Scriptura; nam Gen. 1. dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum*. Et Lucæ 21. *videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum*. Deinde in Conc. Trid. sess. 6. Can. 4. anathemate damnatur, qui dixerit, liberum hominis arbitrium, dum à Deo excitatur, & movetur nihil cooperari vocanti Deo assentiens, sed veluti inanime nihil omninò agere, merèque passivè se habere; ergo nequit negari, creaturas, adhuc corporeas, aliquid efficere, tam substantiale, quàm accidentale.

3 Prob. 2. ratione; quia homo liberè exercet suas operationes; & verè illas efficit; ergo non est cur aliis creaturis virtus suarum operationum effectiva denegetur. Anteced. patet experientia, qua in nobismetipsis libertatem in ope-

ra-

rationibus videmus; & homo, quia est liber in suis operationibus, ideò est legum capax, quas si non custodiat, subiicitur pœnis, si autem custodiat, est dignus præmio: ergo homo verè, & realiter efficit suas liberas operationes; aliàs neque esset dignus præmio, neque subjectus pœnis; cùm non ipse homo, sed Deus operationes hominis efficeret.

4 Confirmat. quia virtus agendi finita, & limitata non repugnat creaturis, imò conducit ad illarum perfectionem: ergo non debet talis virtus creaturis denegari. Anteced. patet; quia si non est imperfectio in Deo producere externos effectus, neque erit imperfectio in creatura, Consequentia etiam patet: quia de ratione boni est esse communicativum sui: sed unum ex bonis divinæ perfectionis est virtus producendi: ergo non est cur negetur, Deum indidisse creaturis virtutem producendi juxta suam capacitatem; quapropter D. Aug. 3. de Civit. Dei cap. 3. vel 7. de Civit. Dei, cap. 30. dixit: *Sic omnia quæ creavit administrat, ut etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat*. Potest etiam confirmari ex Arist. 1. Ethic. cap. 7. & 2. de Cœlo, cap. 3. ubi dicit, quod unumquodque est propter suam operationem. Et deinde experientia; qua communiter experimur, Solem illuminare, ignem calefacere, &c.

5 Si autem respondeant, nos solum experiri, fieri prædictos effectus in præsentia Solis, ignis, &c. non autem ab illis produci; hoc non convincit oppositum nostræ conclusionis; quia licèt verum sit, quapropter non possumus contra protervos hoc nostrum assertum evidenter demonstrare; tamen non potest negari, talem responsionem vim Philosophicæ indignationis evertere; quia non aliter possumus experiri emanationem effectuum à causis, aut ex effectibus causas colligere; nisi quia præsentibus illis fiunt tales effectus. Deinde, si Sol non verè illuminat,

nat, neque ignis producit calorem falsum diceretur: *Sol illuminat: ignis producit calorem*, quod non solùm est contra communem hominum sensum, sed etiam contra modum loquendi Scripturarum. Quod autem hoc falsò diceretur patet; nam si ad hoc, ut verè diceretur sufficeret, Deum lumen producere præsente Sole, & Deum lignum calefacere præsente igne, etiam esset verum dicere: *Lapis creat Angelum*, casu quo Deus crearet Angelum præsente lapide, quod, quàm absurdum sit quisque videat.

6 Argum. 1. pro primo modo dicendi, perfectissimæ causæ ut est Deus, debet tribui perfectissimus modus operandi: sed operari sine consortio causæ secundæ est perfectior modus operandi, quàm operari cum consortio illius: ergo solus Deus omnia producit, & nihil efficiunt creaturæ. Confirmat. quia frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: sed Deus omnia effectivè producit: ergo frustra ponitur in creaturis virtus effectiva. Etiam potest confirmar. ex illo 1. Corinth. 12. *Deus qui operatur omnia in nobis*; & ex illo 2. Corinth. 3. *Numquid sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis?* Ergo nihil efficiunt causæ secundæ.

7 Resp. ad argum. concessa mai. disting. min. quando operari cum consortio alterius provenit ex defectu virtutis, & ex indigentia, concedo; quando ex his capitibus non provenit, nego, & nego consequent. Etenim majorem arguit virtutem, bonitatem, & sapientiam in Deo, quod rebus creatis non solùm dederit esse, sed etiam virtutem ad operandum; maximè cùm Deus propter consortium creaturarum in operando, non desinat producere totum effectum, & si Deus vellet, posset sine tali consortio omnes effectus sua virtute producere. Ad confirmationem resp. quod etiam si Deus omnia effectivè producat, & se solo omnia possit

pro-

producere, non ideò frustra ponitur consortium causarum secundarum; nam & si non sit simpliciter necessarius ad producendos effectus, est tamen valdè conveniens, & conducens ad ostendendam virtutum, bonitatem, & sapientiam Dei communicantis creaturis virtutem agendi; maxima autem, quæ ponitur in majori confirmationis, solùm tenet quando non est aliqua congruentia in hoc, quòd fiant per plura, quæ per pauciora fieri possunt. Ad aliam confirm. resp. primum tantum intendere Deum immediatè attingere omnes effectus; non tamen excludere consortium creaturarum. Secundum autem loquitur de operibus conducentibus ad vitam æternam, & innuit, non posse ab homine fieri sine auxilio Dei speciali; quòd nullatenus opponitur nostræ conclusioni.

8 Arg. 2. pro secundo modo dicendi: necessariò requiritur ad agendum quod agens sit intimè præsens passo: sed hoc nequit convenire rebus corporeis; quia impedit quantitas: ergo rebus corporeis non est concedenda virtus activa. Confirm. ex D. Aug. 5. de Civit. Dei, ubi dicit. *Corporeæ causæ non debent inter efficientes numerari*; ergo creaturæ corporeæ nihil efficiunt. Resp. dist. mai. necessariò requiritur ad agendum, quòd agens sit intimè præsens passo secundum suum esse, aut secundum suam entitatem, nego; secundum suam virtutem, hoc est, ita ut passum sit intra sphæram activitatis agentis, concedo; similiter disting. est minor; quia licet quantitas primum impediat, non tamen impediat secundum. Unde nego conseq. Ad confirm. ex D. Aug. resp. quòd loquitur de causis efficientibus liberis, & quæ suarum operationum dominium habent, inter quas non numerantur causæ corporeæ: & sic consequentia non tenet.

9 Arg. 3. pro tertio modo dicendi: substan-

tiæ corporeæ non sunt immediatè operativæ sed operantur mediis accidentibus: sed accidentia nequeunt effectivè attingere substantiã, eò quòd sint imperfectiora substantia: ergo assignanda est aliqua substantia spiritualis superior omnibus corporeis substantiis, & perfectior illis, quæ substantias corporeas producat; & consequenter nulla creatura corporea substantiam producere valet. Confirm. quia experientia constat, aliquas substantias, generari, quæ non habent causas substantiales efficientes corporeas; ut animalia quæ generantur ex putrefactione terræ: ergo assignanda est aliqua causa spiritualis illarum productiva.

10 Resp. ad arg. quod illa maxima; *Substantia corporea non sunt immediatè operativa, sed operantur mediis accidentibus*, plures patitur difficultates, ut patebit sequentibus quæstionibus; pro nunc autem dupliciter potest intelligi: 1. ita ut substantiæ corporeæ nullam habeant virtutem operandi, quæ sit substantia, sed tantùm, quæ sit accidens: & hoc falsum est; ut patebit quæst. sequent. 2. ita sit substantiæ corporeæ, & si habeant virtutem operandi, quæ sit substantia, etiam habeanr virtutes operandi, quæ sint accidentia, & mediis operationibus harum virtutum accidentalium, tanquam præviis dispositionibus, attingant per suam substantialem virtutem productionem substantiæ, & hoc verum est; sed non contra nos, imò contra sic arguentes. Unde distinguendo majorem cum prædicta explicatione, & concedendo minorem, negandæ sunt consequentiæ. Ad confirmat. resp. quod licèt illæ substantiæ non habeant causam corpoream proximam illarum productivam; non propter hoc recurrendum est ad causam spiritualem creatam; sed talis productio, vel est tribuenda alicui causæ universali corporeæ, ut est Sol; vel ad primam causam, scilicet Deum, cui competit supplere omnes de-

defectus causarum secundarum; quapropter à Deo immediatè inducentur formæ in materiam ultimò dispositam per causas accidentales, quando deficit causa substantialis proxima, à qua possint induci.

11 Hic solet dubitari; qui sint effectus causæ efficientis? Ad quod breviter, omissis variis modis dicendi, respond. Quod omnes creatæ entitates, quæ producuntur independenter à subjecto, ut sunt Angeli, anima rationalis, & materia prima, sunt effectus causæ primæ, scilicet Dei. In hoc omnes conveniunt, quia, cùm omnes prædicti effectus producantur per creationem, & creatura non possit creare necessariò dicendum est, quod à Deo immediatè, & se solo, proveniunt effectivè. Omnes autem entitates creatæ, quæ producuntur educendo formam de potentia subjecti per communes generationes, sive sint entitates substantiales, sive accidentales, producuntur à causis secundis. Hoc patet; quia, ut dictum est in tota quæst. creaturæ, seu causæ secundæ, habent virtutem productivam; & consequenter habent effectus prædictæ virtuti correspondentes: sed nullus alius effectus potest assignari correspondens prædictæ virtuti, nisi entitates supradictæ: ergo.

12 Diximus: *Educendo formam de potentia subiecti*; quia si forma non educatur de potentia subjecti (ut evenit in productione hominis; nam anima rationalis, quæ est forma talis productionis creatur à Deo, & sic producitur independenter à subjecto) productio totius effectus non provenit à creatura, seu causa secunda; sed à Deo, seu causa prima. Diximus etiam, *per communes generationes*; quia primæ productiones Cœlorum, & elementorum; licèt in nostra sententia sint verè generationes, & productiones substantiæ ex præsupposito subjecto, immediatè à solo Deo provenerunt.

13 So-

13 Solum est advertendum, quòd in productione totius substantiæ ex præsupposito subjecto hæc tria inveniuntur, scilicet, totum compositum, quod est terminus totalis productionis, & per se primo intentus ab agente, forma, quæ educitur, & est terminus formalis, & unio; ex quibus terminus totalis dicitur rigorosè effectus causæ efficientis; forma verò, & unio etiam dicuntur effectus efficientis, licèt non tam propriè, & rigorosè, sed quatenus effectus dicitur illud, quod dependet à causa quomodocumque: cum quo facilè intelliguntur aliquæ authoritates Aristotelis. Circa causalitatem efficientis videantur, quæ diximus de causalitate in communi.

QUÆSTIO III.

An substantia sit immediatè operativa?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est 1. illud dici immediatè operativum, à quo immediatè egreditur actio per quam producitur effectus. Unde idem est inquirere, an substantia sit immediatè operativa? Ac inquirere, an virtus productiva in substantia sit aliquid ab illa realiter indistinctum, ratione cujus immediatè attingat effectum? Et quia effectus potest esse substantia, vel accidens, de utroque procedit difficultas. Et non inquirimus; an omnis substantia sit substantiæ productiva? Quia certum est, ut benè advertit Scotus in 1. dist. 7. §. *ad formam, vers. Ad propositum, litt.* U. Plures substantiæ non sunt productivæ alterius substantiæ; substantia enim spiritualis creata, neque est productiva alterius substantiæ spiritualis; quia substantia spiritualis creatur, & nulla creatura potest creare. Videatur Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 1. §. *ista ergo*, lit. M. Neque

quæ potest producere substantiam materialem, quia substantiæ spirituales creatæ solum possunt agere per intellectum, & voluntatem, producendo intellectionem, & volitionem, quæ sunt accidentia. Videatur Scotus citat. litt. X. Deinde plures substantiæ corporeæ, ut lapis; & plura alia inanimata nequeunt aliquam substantiam producere, licèt aliæ substantiam producant, ut ignis; cujus nulla potest assignari ratio a priori, inquit Scotus citat. 1. loco, nisi, quia hoc est hoc, à posteriori verò potest deduci argumentum ad ostendendum, aliquas substantias corporeas esse operativas, & hoc intendimus ostendere in præsenti quæstione.

2 Circa quam sunt plures sententiæ, ex quibus præcipuas assignabimus. 1. asserit substantiam corpoream nullatenus concurrere effectivè ad productionem alterius substantiæ, sed quamlibet substantiam ab accidenti, tanquam à causa principali, produci. 2. tenet, substantiam corpoream esse causam productivam alterius substantiæ, non tamen immediatè attingere productionem illius, sed accidentia immediatè substantiam producere, licèt non virtute sui, sed virtute substantiæ. Hæc sententia est communis consensus Thomistarum. 3. affirmat, substantiam materialem attingere immediatè productionem alterius substantiæ, qua productionem etiam æquè immediatè attingunt accidentia. AA. pro his sententiis possunt videri apud recentiores, præcipue inter nostros apud Pontium disput. 9. physicæ, quæst. 2. & Mastrium disp. 7. physic. q. 6. art. 2. 4. denique sententia firmiter tenet substantiam materialem solam, & nullo modo accidentia immediatè attingere effectivè productionem substantiæ. Sic Scotus in 1. dist. 37. §. *respondeo*, sed præcipuè in 4. dist. 12. quæst. 3. quem, præter Scotistas, sequuntur plures alii, ut vide-

re est apud Mastrium citat. Hæ sententiæ stant pro 1. parte quæst.

3 Quoad 2. verò partem. 1. sententia tenet, substantiam nullatenus immediate producere aliqua accidentia, sic communiter Thomistæ. 2. asserit, substantiam producere accidentia conservativa ipsius in se ipsa, v. gr. ignis producit in se calorem, & aqua frigus. Hæc sententia est Scoti loco suprà citat. & etiam in 3. distinct. 16. quæst. 1. §. *rationes istæ*, lit. A. 3. sententia affirmat, substantiam etiam producere aliqua accidentia materialia in extremo subjecto; hanc sententiam inter Scotistas tenet Mastr. cit. citans pro se Scotum in 2. dist. 9 quæst. 2. lit. Q. Apud ipsum Mastr. & Pont. cit. quæst. 3. possunt videri aliqui AA. pro his sententiis. Nunc claritatis gratia, præsentem quæstionem in duas sectiones dividemus.

SECTIO I.

Resolvitur quæst. de productione substantiæ.

1 DIcimus substantia èst immediatè operativa, seu productiva alterius substantiæ. Hæc conclusio sic debet intelligi; potentia productiva substantiæ respectu alterius substantiæ, non est aliquod accidens illi superadditum, & ab ea realiter distinctum, sed est aliquid substantiale, realiter idem cum ipsa substantia, & solùm formaliter ab ipsa distinctum. Hæc conclusio stat pro communi Scotistarum sententia contra omnes aliàs, & intendit substantiam ita esse productivam alterius substantiæ, ut nullum accidens effectivè, neque principaliter, neque instrumentaliter substantiæ productionem attingat. Pluribus rationibus probatur ab Scotistis conclusio, ex quibus præcipuas, & quæ ex Scoto cit. deducuntur attingemus.

2 Pro-

2 Probatur 1. quia materia prima, non per virtutem accidentalem, & ab illa realiter distinctam, est receptiva formæ substantialis, sed per virtutem cum ipsa realiter identificatam: ergo substantia, non per virtutem accidentalem, & ab ea realiter distinctam, est productiva alterius substantiæ; sed per virtutem cum ipsa realiter identificatam. Antec. est communiter receptum, cum hoc solum discrimine, quòd juxta aliquos talis virtus receptiva materiæ pertinet ad ipsius essentiam; juxta Scotistas verò est proprietas, seu propria passio materiæ ab ipsa formaliter distincta. Consequentia videtur tenere à paritate; quia sicut se habet in suo ordine materia ad recipiendam formam substantialem: ita se habet substantia operativa ad producendam substantiam.

3 Confirmatur: quia, juxta communem sententiam, accidentia immediatè, & non per aliquid realiter distinctum ab illis, producunt alia similia accidentia: ergo substantiæ immediatè, & non per aliquid distinctum ab illa, producunt aliam substantiam. Patet consequentia: quia perfectio, quæ tribuitur imperfectiori, non debet negari perfectiori: sed virtus immediatè operativa est quędam perfectio (aliàs Deus non immediatè produceret, quòd nullatenus conceditur) & tribuitur imperfectiori, scilicet accidenti: ergo non est, cur negetur perfectiori, scilicet substantiæ.

4 Respondent: non denegari substantiæ virtutem immediatè operandi propter perfectionem, vel imperfectionem, sed quia substantia tantùm datur, ut sic, seu existat, non verò ut operetur; accidens verò non datur ut sit, sed potiùs ut operetur, & substantiæ deserviat; quapropter esse accidentis potest esse immediatè operativum; non tamen esse substantiæ. Sed, præterquam quod hæc responsio, & videtur principium petere, & in æquivoco laborare, ut vi-

videre est apud Thomistas sic respondentes, si principia Scoti rectè inspiciantur; contra est primò: quia juxta commune proloquium: *Qui dat esse, dat & operari*, & similiter. *Unumquodque est propter suam operationem*: sed in substantia principium essendi est substantiale: ergo etiam principium operandi. Contra secundò; quia non minus inclinatur substantia in productionem alterius substantiæ, quàm accidens in productionem alterius accidentis; quodlibet enim productivum in cōservationem suę speciei per productionem inclinatur: ergo non minus datur substantia, ut operetur, quàm accidens: sed ex eo quòd detur accidens, ut operetur tribuitur illi immmediata virtus operandi: ergo propter eandem rationem debet tribui substantiæ virtus immediatè operandi. Pro quo stat secundum proloquium suprà positum.

5 Secundò probatur conclusio ex Scoto citato: quia cujuslibet substantiæ productæ debet assignari causa productiva: sed talis causa nequit esse accidens: ergo est substantia. Prob. min. quia nequit imperfectius immediatè producere perfectius; sed accidens est imperfectius substantia: ergo nequit accidens substantiam producere. Major (licèt, inquit Scotus, ex se videatur nota, alias nullus posset inter entia ordo assignari, neque demonstrari, primum ens esse perfectissimum omnium; imò posset protervus dicere, totum universum productum esse a musca; nam si illi objiciatur muscæ imperfectio, non erit sufficiens ad illum convincendum, cùm ipse asserat, imperfectius immediatè producere perfectius) pluries probatur ab ipso Scoto, præcipuè sic: si effectus sit perfectior causa, dividatur talis effectus in duo, scilicet in illud, in quo causæ adæquatur, & in illud, in quo causam excedit. Nunc sic: talis effectus secundùm primam partem est adæquatus suæ causæ, quippè est æqualis perfectionis cum illa: ergo

se-

secundùm aliam partem non est productus ab alia causa; siquidem causa non habet illam perfectionem, & sic neque illam potest effectui communicare; nemo enim dat quod non habet: sed aliàs talis effectus secundum totam suam perfectionem est productus: ergo nullatenus potest esse productus à causa imperfectiori; & consequenter substantia, quæ est perfectior, nequit produci ab accidenti; quod est imperfectius, sed ab alia substantia produci debet.

6 Huic efficaci rationi plures responsiones adducunt adversarii, ex quibus præcipuas proponemus. Aliqui enim respondent, accidens esse perfectius substantia in ratione operativi, licèt sit ipsa imperfectius in ratione entis: ideòque benè posse substantiam immediate producere. Sed contra est primò: quia si posset aliquid esse perfectius alio in ratione productivi, & imperfectius in ratione entis, & propter hoc producere aliquid perfectius se ipso in entitate, nullatenus posset ex majori perfectione effectus colligi à posteriori major perfectio causæ, quod videtur absurdum; præcluderetur enim quælibet philosophica inquisitio. Contra secundò; quia, juxta omnium sententiam, virtus activa accidentis non distinguitur realiter ab ipso accidenti; ergo talis virtus activa non excedit in perfectione entitatem accidentis; ergo si accidens in entitate est imperfectius substantia, etiam est imperfectius substantia in ratione operativi; & consequenter nullatenus potest substantiam producere.

7 Alii respondent, causam ut *quod* esse perfectiorem effectu; non tamen causam ut *quo*, & quòd accidentia tantùm sunt causa ut *quo* respectu substantiæ. Sed contra est; quia causa in tantùm actualiter causat, in quantum habet virtutem sufficientem ad causandum; sed ratio causæ ut *quo* est virtus ad causandum; ergo talis ratio

ut *quo* debet esse sufficiens, ut causa actualiter causet: sed virtus imperfectior effectu non est sufficiens: ergo accidentia nequeunt esse causa ut *quo* respectu substantiæ: cum sint imperfectiora substantia. Minor patet; quia effectus dicitur contineri in virtute causæ: sed imperfectius nequit continere perfectius; ut patet ex dictis: ergo virtus imperfectior effectu, non est sufficiens ad causandum; ac per consequens, &c.

8 Alii respondent, causam totalem debere esse perfectiorem effectu, non verò causam partialem; & sic accidentia posse producere substantiam immediatè, saltim partialiter. Sed (præterquamquod ex prædicta responsione sequitur, jam substantiam, saltim ut causam parcialem immediatè attingere productionem alterius substantiæ, quod negant contrarii) contra est; quia quando duæ casæ partialiter concurrunt ad productionem alicujus effectus, debent assignari in tali effectu aliquæ formalitates, quarum ratione à prædictis causis attingantur: ita, ut assignetur formalitas, ratione cujus attingatur ab una causa, & quæ non sit ratio, qua ab alia causa attingatur; ut contingit in intellectione, seu notitia, quæ causatur ab objecto, & potentia, in qua notitia assignatur formalitas vitalitatis, ratione cujus attingitur à potentia, & ratio repræsentationis, ratione cujus attingitur ab objecto: sed in substantia nulla potest assignari formalitas, ratione cujus attingatur ab accidenti, & non ab alia substantia; nulla enim ratio substantiæ productæ invenitur in accidenti, præter rationem entis, quæ ratio etiam invenitur in substantia producente: ergo neque partialiter attingit effectivè accidens productionem substantiæ: ergo licèt causa partialis non debeat esse perfectior effectu; non propter hoc tribuenda est accidenti ratio causæ partialis respectu substantiæ.

9 Alii

9 Alii denique respondent, & est communis responsio recentiorum Thomistarum, rationem Scoti solam probare, accidens non esse causam principalem effectivam substantiæ; quippè verum est, talem causam non esse imperfectiorem effectu; non tamen probare, accidens non esse causam quasi instrumentalem respectu substantiæ; quippe talis causa benè potest entitativè esse imperfectior effectu, non tamen in virtute agendi, cùm ut sic solùm operetur in virtute substantiæ, cujus est instrumentum ad aliam substantiam etiam producendam.

10 Sed contra hoc, inquirit Scotus citatus, §. *hic est opinio, vers. Contra illud*, quid intelligatur per *accidens agere in virtute substantia*, Vel enim intelligitur ita, ut accidens non actione propria, sed actione, seu motu substantiæ in se recepto operetur? Et hoc nequit esse; quia jam substantia propria actione operaretur, quod negant adversarii. Vel intelligitur ita ut accidens operetur per virtutem in illo derivatam à substantia à virtute propria ipsius accidentis distinctam? Et tunc posset inquiri, an talis virtus sit accidens, vel substantia? Si accidens: ergo adhuc accidens manet improportionatum ad producendam substantiam, sicuti si talem virtutem non haberet. Si substantia (quod videtur impossibile, cùm substantia (nequeat in accidente subjectari) ergo jam substantia esset immediatè operativa; seu productiva substantiæ sua substantiali virtute, quod negant contrarii: ergo, &c.

11 Respondent recentiores Thomistæ *accidens agere in virtute substantia*, nullo ex supradictis modis debere intelligi; sed ita, ut accidens sit ipsa virtus substantiæ ad agendum, seu ad producendum aliam substantiam? ad quod, inquiunt, nullatenus requiritur aliquid recipi in accidenti distinctum ab illo à substantia derivatum, sed sufficit, quòd accidens dimanet à

substantia, ex quo habet, quod sit virtus ipsius substantiæ ad aliam substantiam producendam; quam responsionem communiter explicant dicendo, quòd accidens ut sit virtus substantia ad operandum, nihil recipit transitivè ab ipsa substantia, sed tantùm intransitivè.

12 Sed contra est primò: quia ex eo quòd accidens dimanet à substantia, nullam perfectionem entitativam habet, quæ perfectionem ipsius accidentis in se excedat: sed accidens secundùm suam perfectionem entitativam est improportionatum ad producendam substantiam, eò quòd ut sic est imperfectius substantia: ergo per hoc, quòd dimanet à substantia, propter quod substantiæ virtus dicatur, non proportionatur ad producendam substantiam; cùm etiam ut sic remaneat invariatum in sua entitate, & consequenter substantia imperfectius.

13 Contra secundò: quia quòd accidens dicatur virtus substantiæ, vel facit, quòd operetur supra vires connaturales suæ entitati, vel non? Si non: ergo sicut in sua entitate, & secundùm se est improportionatum ad producendam substantiam; ita erit improportionatum, licet dicatur virtus substantiæ. Si facit; tunc potest inquiri, ut suprà, qui addatur accidenti supra vires suæ entitatis, an scilicet sit substantiale, vel accidentale? Si accidentale, adhuc manet accidens improportionatum ad producendam substantiam. Si substantiale, jam substantia erit immediatè operativa; ac per consequens nullatenus videtur dicendum, substantiam, medio accidenti, sed immediatè producere aliam substantiam. Aliquibus authoritatibus Arist. solet probari conclusio, quæ possunt apud Scotistas videri.

14 Arguunt 1. Esse & operari distinguuntur realiter in creaturis: ergo potentiæ ad essendum, & ad operandum etiam realiter distinguuntur: sed ratio, seu essentia substantiæ est

po-

potentia ad essendum: ergo distinguitur realiter à potentia ad operandum. Antecedens per se patet; & prima consequentia ostenditur ex eo, quòd sicut actus realiter distinguuntur, ita debent distingui potentiæ, quando scilicet actus non sunt subordinati, neque in eadem linea, ut contingit in esse, seu existere, & operari. Hoc argumentum, quod contrarii maximè extollunt, plures videtur habere æquivocationes circa nomina *actus*, & *potentia*; quapropter potest responderi primò, quòd licèt argumentum verum esset loquendo de potentia propriè dicta, quæ in creatis realiter distinguitur ab actu sibi correspondente; non tamen posset applicari ad præsens institutum, cùm non appareat quomodo substantia dicatur esse in potentia physica ad esse, seu ad actum existentiæ; sed tantùm in potentia objectiva, quod non est peculiare substantiæ, sed convenit cuilibet entitati possibili; quælibet enim est in potentia objectiva ad existendum. Deinde potentia physica distinguitur realiter ab actu; non autem sic distinguitur substantia, ab actu existentiæ, ut tenent omnes Scotistæ, & nos cum Scoto suo loco dicemus.

15 Secundò potest responderi retorquendo argumentum in adversarios, nam juxta illos in accidentibus eadem est potentia ad essendum, & ad operandum; nam, ut ipsi fatentur, per se, & immediatè accidens est operativum: ergo si ex eo, quòd esse, & operari distinguantur realiter, debent etiam realiter distingui potentiæ ad essendum, & ad operandum, non esset verum accidens immediatè esse operativum. Tenentur ergo contrarii ad suum argumentum respondere, sicut nos tenemur.

16 Igitur respondetur directè ad argumentum, negando primam consequentiam; quia non benè arguitur ex distinctione actuum ad potentiarum distinctionem; potest enim eadem potentia esse respectu distinctorum actuum,

præcipuè si sint inadæquati, vel subordinati; sicuti materia prima per unicam potentiam respicit plures formas substantiales; eadem potentia intellectiva plures intellectiones, &c. Per quod patet ad probationem consequentiæ; esse enim, & operari possunt dici actus subordinatio & in eadem linea; hoc enim concedunt adversarii in accidentibus, eò quòd sint ordinata ad operandum, cum quo respondent ad retorsionem argumenti; idem etiam nos dicimus loquendo de substantia; cùm unumquodque sit propter suam operationem; neque facilè quoad hoc inter substantiam, & accidentia disparitas assignatur.

17 Argumt 2. homo de facto generat hominem mediante virtute accidentali seminis: ergo substantia non operatur immediatè. Hoc argumentum latè prosequuntur Thomistæ; quod confirmant aliquibus experientiis in aliis agentibus; inquiunt enim: plures substantiæ de novo producuntur, & non ab aliis substantiis; nam ignis producitur à ferro candenti, cujus ignis non est causa ipsum ferrum, ut omnes fatentur; neque alius ignis, cùm in ferro non sit: ergo in tali casu causa immediatè productiva ignis non est aliqua substantia, sed accidens, scilicet, calor in ferro candente existens. Similiter calor Solis transiens per vitrum etiam producit ignem. Deinde, metalla, quæ sunt quædam substantiæ, generantur in visceribus terræ, & ranæ ex putrefacta materia, quin possit assignari aliqua substantia, quæ sit causa horum effectuum: ergo producuntur ab accidentibus; ac per consequens, &c.

18 Ad argumentum posset responderi, quòd, etiam si homo mediante virtute seminis produceret hominem, hoc non esset virtute accidentali, sed virtute substantiali ipsius seminis. Unde posset negari consequentia. Sed quia hæc responsio non sufficit ad nostrum intentum; nam

nam ex illa posset argui, imperfectius posse producere perfectius.

19 Aliter respondetur negando, quòd semen effectivè, tanquam virtus hominis, hominem generet; semen enim tantùm est materia, ex qua fit corpus hominis; & homo dicitur hominem generare eò præcisè, quòd materiam communicet, ex qua taliter disposita fit corpus organicum, quod naturaliter exigit infusionem animæ, quæ infusio juxta ordinem naturæ necessariò sequitur.

20 Replicant: ergo homo nequit dici causa effectiva alterius hominis. Patet consequentia; quia causa effectiva sua virtute debet producere effectum; sed juxta dictam responsionem homo non producit hominem sua virtute: ergo nequit dici causa effectiva illius. Respondetur distin. conseq. homo nequit dici causa effectiva hominis immediata, concedo; mediata, nego. Similiter respondetur ad probationem; quia, licèt verum sit, quòd causa immediata debeat sua virtute producere effectum, non tamen hoc requiritur ad rationem causæ mediatæ, sed sufficit, quòd præstet in productione effectus quidquid præstare potest; quod quidem contingit in nostro casu; homo enim præbendo materiam præstat quidquid potest præstare in hominis productione.

21 Dupliciter replicant, 1. sic: si ignis sua virtute non produceret ignem, sed aliquid præviè requisitum ad ignis generationem, nullatenus diceretur causa ignis: ergo si homo non producit sua virtute hominem, sed solùm præstat materiam, tanquam quid prævie requisitum, nullatenus poterit dici causa hominis. Resp. neg. conseq. & paritatem; ratio disparitatis stat in hoc, quòd ignis, non solùm habet virtutem ad producendum aliquid prævie requisitum ad generationem ignis, sed etiam ad ipsum ignem generandum; unde non posset dici causa ignis,

si tantùm quid prævié requisitum ad generationem ignis, & non ipsum ignem, produceret; at verò, cùm homo tantùm habeat virtutem producendi, seu communicandi quid prævié requisitum ad generationem hominis, non autem ad ipsum hominem producendum, sufficit, ut dicatur causa (mediatè) hominis; quod illud prævié requisitum producat, seu communicet.

22 2. replic. quilibet effectus debet habere causam immediatè sui productivam: hæc nequit esse alia, nisi semen, quod operatur in virtute hominis: ergo illud est talis causa; ac per conseq. &c. Resp. neg. min. quia causa immediatè, & quæ propria virtute producit hominem, est Deus, qui, ut Author naturæ, producit, quidquid producere non potest immediatè aliqua causa secunda, quando materia est naturaliter disposita, ita ut talem effectum exigat juxta ordinem naturæ; sicuti ut Author naturæ producit Deus naturali concursu animam rationalem, eò quòd materia disposita, tam productionem animæ, quàm infusionem illius naturaliter exigit.

23 Ubi pro aliis replicis debet observari primò, quòd Deus in tali casu potest dici causa universalis, quatenus causa universalis dicitur illa, quæ ex se non est determinata ad unum effectum magis, quàm ad alium; vel illa quæ hic, & nunc agit propter universalem curam, quam habet supplendi defectus aliarum causarum, juxta naturæ exigentiam. Potest enim dici causa particularis, quatenus causa particularis dicitur illa, quæ immediatè se sola producit effectum. Neque ex hoc licet inferre, Deum, & non hominem, dici Patrem hominis producti; quia Deus est causa æquivoca, homo verò est causa univoca hominis, & ad hoc, ut aliquis dicatur Pater, debet esse causa univoca, cùm ratio paternitatis fundetur in genera-

ra-

ratione viventis, quæ necessariò dicit similitudinem in natura, qualem similitudinem non dicit causa æquivoca, benè tamen causa univoca.

24 Ad confirmationem desumptam ab experientiis respond. quod ignis non producitur à calore existente in ferro candente, nisi tantùm dispositivè, effectivè verò producitur ab igne existente in poris ipsius ferri, si adsit; si autem non adsit, producitur effectivè à sole, vel ab alio corpore cœlesti, ut à causa universali supplente juxta ordinem naturæ defectum causæ particularis; sicuti similiter producitur à sole ignis ad applicationem caloris transeuntis per vitrum, & disponentis materiam; neque obstat, quod tale agens universale non sit approximatum passo, quippè ad agendum non requiritur major approximatio, quam quod passum contineatur intra sphæram activitatis agentis. Eodem modo respondetur ad alias experientias; nam mineralia producuntur à Sole in visceribus terræ, eò quod materia disposita continetur intra sphæram activitatis Solis; & ranæ sicut & alia similia animalia, quæ fiunt ex putrefactione terræ, effectivè producuntur à Sole, si Sol, & aliqui tenent, sit perfectior illis, aut saltim æquè perfectus: si autem sit illis imperfectior, ut alii asserunt, recurrendum est ad Deum; quorum quodlibet sufficit ad nostrum intentum, neque mirum est ad causas universales recurrere, cùm ad hoc urgeat naturalis necessitas non ponendi imperfectius pro causa perfectioris.

25 Arg. 3. si forma substantialis esset principium proximum immediatè operativum, habens talem formam, semper operaretur in actu secundo: sed hoc est falsum; ut patet experientia; ergo forma substantialis non est principium proximum immediatè operativum. Prob. maj. quia ex eo, quod anima sit principiũ proxi-

mum, & immediatum vivendi habens animam, semper est actu vivens: ergo si esset principium immediatum operandi, habens illam, semper esset in actu operationis. Resp. neg. majorem, & consequentiam probationis; quia est maxima disparitas in hoc, quod anima sit principium vivendi, & principium operandi; est enim principium vivendi in genere causæ formalis; & cùm, posita forma, necessariò ponatur effectus formalis illius, ideò posita anima, necessariò habens illam, semper actu vivit; est tamen principium operandi in genere causæ efficientis; & cùm causa efficiens, qua talis possit esse, quin actualiter operetur, ideò, licèt forma substantialis sit principium proximum, & immediatum operandi, non necessariò illam habens semper actualiter operaretur.

26 Deinde potest retorqueri argumentum in adversarios; quia, juxta illos, accidens est principium proximum, & immediatum operandi: ergo qui habet tale accidens, semper actualiter operatur: sed hoc est falsum, ut constat experientia, & fatentur ipsi adversarii: ergo vel accidens non est principium proximum, & immediatum operandi; vel, licèt forma substantialis sit principium proximum, & immediatum operandi, non semper necessariò habens illam, actualiter operatur.

27 Respondent negando paritatem; quia, inquiunt, accidens est principium immediatum operandi dependenter à substantia tanquam à principio radicali; & cùm substantiæ non semper debeatur concursus ad operandum, hinc est, quod talis concursus non semper accidenti debetur: at verò si substantia esset immediatè operativa, non dependeret ab aliquo principio radicali, sed per se ipsam illud haberet, & esset sufficienter applicata, sic semper, & pro semper deberetur illi concursus ad operandum; sicut potentiæ visivæ sufficienter applicatæ debetur con-

concursus ad videndum. Hæc responsio plures pati videtur instantias.

28 Contra igitur est primò, quia non minus debetur concursus ad operandum substantiæ, si sit principium radicale, & remotum operandi, quàm si sit principium proximum, & formale, ergo sicut non semper operaretur si esset tantum principium radicale; ita non semper operaretur, si esset principium proximum, & formale. Prob. anteced. quia non minus esset sufficienter applicata, si esset principium radicale, quàm si esset princ pium proximum, sed propter sufficientem applicationem deberetur illi talis concursus, ergo non minus deberetur talis concursus substantiæ, si esset principium radicale, quàm si esset principium proximum operandi. Probat. maj. quia, licèt substantia esset principium proximum operandi, tamen operaretur mediis accidentibus dispositivè, sed, secundùm adversarios, hoc non obstaret, ut esset sufficienter applicata, ergo quòd substantia, juxta illos, operetur efficienter mediis accidentibus, eò quòd sit tantùm principium radicale operandi, obstat, ut sit sufficienter applicata; ergo non minus deberetur illi concursus ad operandum, si esset principium radicale, quàm si esset principium proximum; ac per consequens inconveniens semper operandi, quod intendunt sequi ex nostra sententia, ex sententia illorum etiam sequi videtur.

29 Contra secundò, quia, licèt substantia sit principium immediatum operandi, non est sufficienter applicata, nec debetur illi concursus ad operandum, nisi adsit passum sufficienter approximatum, & dispositum, sed pluries non adest passum sufficienter approximatum, & dispositum, ut ex se patet, ergo ex eo, quòd substantia sit principium immediatum oparandi, nullatenus sequitur, quòd semper, & pro semper debeatur illi concursus ad operandum;

neque quòd semper actualiter operetur. Et potest confirmari; quia, si substantia, ut intendunt contrarii, tantùm esset principium radicale operandi, & medio accidente, ut virtute sua, operaretur, si esset sufficienter applicata, id est, si semper adesset passum approximatum, & dispositum, semper operaretur: & tamen non semper actu operatur; quia non semper adest passum approximatum, & dispositum: ergo quoad hoc, quod est semper operari, vel non operari, eodem modo se haberet substantia, si esset principium immediatum, ac si tentùm esset principium radicale operandi; ac per consequens quoad hoc nihil contra nostram convincit contraria sententia.

30 Arg. 4. actus, & potentia per se ad actum ordinata debent esse in eodem genere: sed si substantia esset principium immediatum operandi, esset potentia per se ordinata ad suam operationem, tanquam ad actum: ergo substantia, & illius operatio essent in eodem genere: sed operatio est in genere accidentis: ergo si substantia esset immediatè operativa, esset in genere accidentis: hoc est falsum: ergo etiam quòd substantia sit immediatè operativa. Major probatur: quia actus, & potentia per se ad actum ordinata, dividunt ens; & consequenter etiam dividunt accidens in communi, ut est aliquid, quod sub ente continetur: ergo cùm membra dividentia debeant participare rationem divisi, actus & potentia debent esse in eodem genere.

31 Respondetur distinguendo majorem: actus & potentia per se ad actum ordinata debent esse in eodem genere; si sint actus entitativus, seu existentialis, & potentia objectiva per se ad talem actum ordinata, concedo: si aliter accipiantur actus & potentia, nego. Similiter disting. antec. prob. actus & potentia per se ad actum ordinata dividunt ens; si sint actus enti-

titativus & potentia objectiva, admitto; aliter, nego. Etenim actus entitativus, seu existentialis sunt in eodem genere; imò sunt eadem res in diverso statu considerata; idem enim, quod est in potentia objectiva, hoc est, in statu possibilitatis, seu futuritionis, posteà in statu existentiæ constituitur; quapropter antecedens probationis admittitur, & non conceditur; quia talis actus, & potentia non propriè dividunt ens, sed statum ejusdem entis: actus verò operationis, & potentia operativa, non necessariò sunt in eodem genere entis: neque dividunt aliquod genus entis, scilicet genus substantiæ, vel accidentis, sed tantùm sunt quædam nomina, quæ indifferenter substantiæ, & accidenti conveniunt; vel si aliquomodo dividunt ens, hæc divisio intelligitur de ente in communi, cum quo benè componitur, quòd licèt operatio sit accidens (quod dependet ex dictis loquendo de causalitate causæ, & alibi dicendis) potentia, ad talem operationem ordinata, sit accidens: ut à simili patet in potentia receptiva, & actu illi correspondente; potest enim substantia immediatè accidens recipere.

32 Arg. 5. si substantia esset immediatè operativa, specificaretur ab operatione, & ab illa essentialiter dependeret; potentia enim per se ab actu specificatur: sed hoc repugnat substantiæ ergo substantia non est immediatè operativa. Prob. min. 1. quia substantia essentialiter est perfectior accidenti: sed perfectius nequit ab imperfectiori essentialiter specificari: ergo nequit substantia ab operatione essentialiter specificari. 2. quia substantia essentialiter est ad se, sed si specificaretur ab operatione, non esset ad se, sed ad aliud, scilicet ad suam operationem, ergo nequit ab operatione specificari. 3. quia, quòd specificatur ab alio, respicit illud ut finem: sed substantia nequit respi-

cere

re accidens ut finem: ergo nequit specificari ab operatione.

33 Respondetur disting. mai. si substantia esset immediatè operativa, specificaretur ab operatione extrinsecè, manifestativè, & quoad nos, admitto; intrinsecè, & essentialiter, nego; potentia enim intrinsecè, & essentialiter specificatur à suis intrinsecis, & quidditativis prædicatis; ab actu verò, cum extrinsecus sit potentiæ, solùm extrinsecè specificatur. Similiter disting. mai. substantiæ repugnat specificari ab operatione intrinsecè, & essentialiter, concedo; extrinsecè, nego. Per quod patet ad primam probationem minoris; potest enim perfectius ab imperfectiori extrinsecè, licèt non intrinsecè specificari. Ad secundam probationem dicimus, de ratione substantiæ, ut substantia est, tantùm esse, esse per se, prout opponitur esse in alio per inhærentiam, non tamen esse ad se; prout opponitur esse ad aliud tanquam ad terminum; aliàs relationes divinæ non essent substantia, cùm terminum respiciant: unde non est inconveniens, quod substantia ordinetur ad operationem. Verum tamen est, quòd de ratione substantiæ, ut est quid absolutum, est esse ad se essentialiter, ut opponitur esse ad aliud tanquam ad terminum; quapropter dicimus Scotistæ, quod potentia operativa substantiæ non est de ratione formali, & essentiali ipsius substantiæ, sed quid extra essentiale, & ab ea formaliter ex natura rei distinctum, licèt cum illa realiter absolutè identificatum; quod similiter debet dici de accidenti absoluto, quod, ut tale, essentialiter est ad se, & tamen est operativum; & sic ad aliud, scilicet ad operationem non per aliquam potentiam ab illo realiter absolutè, sed tantùm formaliter ex natura rei distinctam: quæ distinctio, tam in substantia, quàm in accidente, ad plura argumenta solvenda deservit.

34 Ad

34 Ad 3. probationem respond. maximè in æquivoco laborare; supponit enim, (quod etiam supponit motum argumentum) operationem esse accidens de prædicamento actionis, quæ se habet ut causalitas causæ, & medium inter causam, & effectum, quod (sive talis actio sit quid absolutum, ut tenent Thomistæ, sive quid respectivum, ut Scotistæ affirmant) maximè dubium est; & nos cum Scoto loquendo de causalitate causæ diximus, nihil mediare inter causam & effectum in facto esse, nisi ipse effectus in fieri, qui non constituit aliquod determinatum prædicamentum, sed pertinet ad prædicamentum termini: quod, si benè observetur, ad solutionem etiam totius argumenti deservit; nam quando producitur substantia, jam non specificatur substantia ab accidenti, cum tunc actio, seu operatio, quæ est ipse effectus in fieri, non fit accidens sed substantia. Sed hoc omisso, etiam supponit; operationem esse terminum potentiæ productivæ, cùm tamen non terminus, sed medium ad terminum sit. Vnde, omissis aliis solutionibus, potest responderi ad argumentum pro nunc distinguendo majorem; quod specificatur ab alio (extrinsecè) tanquam à medio ad terminum ordinato, respicit illud, ut finem (intellige, non sui esse, sed suæ potentiæ operativæ) nego; quod specificatur ab alio, tanquam à termino, respieit illud, ut finem (modo dicto) concedo; & concessa minori, nego consequentiam. Terminus enim operationis substantialis est substantia producta, in qua ultimò sistit productiva potentia, & se habet ut finis illius, quod nullum est inconveniens.

35 Arg. 6. Accidentalia se solis destruunt formam substantialem: ergo, & illam producunt. Patet consequentia; quia forma substantialis destruitur ad productionem alterius; ergo si accidentia se solis non producunt formam substan-

stantialem, neque destruere formam substantialem possunt. Respond. neg. antec. accidentia enim solùm dispositivè destruunt formam substantialem, sicut solùm dispositivè formam substantialem producunt; ab accidentibus enim disponitur subjectum, ut agens substantiale sua immediata actione in illo formam substantialem producat: & cùm generatio unius sit corruptio alterius, accidentia, quæ disponunt subjectum in ordine ad generationem unius, disponunt etiam in ordine ad corruptionem alterius. Vbi adverte, quod, cùm in viventibus (in Scotistarum sententia, qui, præter animam, formam substantialem corporeitatis admittunt, ut dicetur in libris de generatione) detur corruptio unius sine generatione alterius, non est dicendum, talem corruptionem effectivè ab accidentibus provenire; sed tantùm dispositivè quatenus per productionem aliorum accidentium destruunt dispositionem necessariam ad conservationem viventis, & tunc naturaliter actio conservativa viventis, & sic vivens corrumpitur.

36 Adverte etiam, nullum esse inconveniens concedere, accidentia effectivè (modo, quo potest dici, aliquid effectivè corrumpi) corrumpere formam substantialem, seu corrumpere vivens; nam ex hoc nullatenus sequitur, accidentia posse substantiam producere; quia ad aliquid corrumpendum sufficit, posse producere aliquid incompossibile cum illo; licèt sit illo imperfectius; at verò ad aliquid producendum, requiritur, quod producens illud in sua virtute contineat, & imperfectius nequit in sua virtute perfectius continere; hoc modo ignis, licèt sit imperfectior homine, potest illum corrumpere, eò quod formam ignis incompossibilem cum forma hominis, producere potest; licèt hominem producere non possit, eò quod illum in sua virtute non contineat.

SE-

SECTIO II.

Resolvitur quaestio de productione accidentis.

37 DIcimus 1. substantia est immediatè productiva aliquorum accidentium in se ipsa, illorum scilicet, quæ ipsi substantiæ connaturalia sunt. Conclusio stat pro secunda sententia, & probatur primò: quia prædicta accidentia sunt quid realiter de novo existens: ergo debet assignari causa illorum productiva: hæc nequit esse, nisi substantia in qua recipiuntur: ergo ab illa producuntur. Minor probatur impugnando responsionem contrariorum: dicunt enim, prædicta accidentia produci ab agente per ipsam actionem, qua producit substantiam, in qua recipiuntur.

38 Contra quam responsionem sic potest argui: sicut implicat, quòd ea, quæ sunt idem realiter, diversis realiter actionibus producantur, ita implicat, quòd ea, quæ realiter sunt distincta, producantur eadem realiter actione: sed prædicta accidentia realiter distinguuntur à substantia, in qua recipiuntur: ergo nequeunt produci ab agente eadem actione, qua substantia producitur. Confirmatur: quia ex responsione sequeretur, nullatenus posse substantiam produci, adhuc supernaturaliter, sine accidentibus supradictis, quod nemo est, qui concedat: ergo non est admittenda talis responsio. Sequela patet; quia actio ita connectitur cum termino, ut nullatenus possit esse sine illo: ergo si actio productiva substantiæ est etiam productiva prædictorum accidentium, nullatenus poterit esse substantia producta, quin etiam sint producta prædicta accidentia.

39 Sed respondent, talem actionem duplicem habere terminum., & primarium, scilicet sub-

substantiam, & secundarium, scilicet accidentia; unde negant sequelam impugnationis, & distinguunt antecedens probationis; quia, inquiunt, licèt actio ita necessariò connectatur cum termino primario, ut nullatenus possit esse sine illo, non tamen ita connectitur cum termino secundario, sed tantùm secundùm naturalem exigentiam: quapropter benè potest supernaturaliter substantia produci, quin prædicta accidentia producantur. Sed contra est: quia, si posita actione productiva substantiæ, potest à Deo impediri positio prædictorum accidentium: ergo ideò erit, quia datur aliqua actio, etsi naturaliter connexa cum actione productiva substantiæ, ab illa tamen realiter distincta, cujus terminus immediatus per se, & primarius sint accidentia, per cujus actionis negationem concursus, possit Deus impedire accidentium productionem: hæc actio nequit esse nisi fluxus, seu emanatio accidentium à substantia, in qua recipiuntur: ergo ab ipsa substantia in se ipsa producuntur supradicta accidentia.

40 Secundò probatur conclusio experientia: patet enim, aquam calidam reduci ad pristinam & naturalem frigiditatem: sed nulla datur causa immediatè productiva talis frigiditatis, nisi ipsa substantia aquæ, in qua recipitur: ergo substantia est immediatè productiva accidentis. Minor probatur impugnando varios modos dicendi; nam causa illius frigiditatis nequit esse agens, quod aquam produxit; quia tale agens potest pro tunc non esse sufficienter applicatum; imò potest non existere. Neque est Deus, ut supplens defectum causæ secundæ; quia non est recurrendum ad causam primam, nisi deficiente secunda, quæ in præsenti non deficit, cùm detur ipsa aqua sufficiens ad productionem frigiditatis. Neque est gradus præexistens frigiditatis; quia qualitas nequit seipsam inten-

de-

dere. Neque est aer circumstans; quia non est tam frigidus, quàm aqua; & sic nullatenus potest tam intensam frigiditatem, quam habet aqua producere. Neque demum est aliqua qualitas occulta in ipsa aqua existens; & quia non est unde inferatur, talem qualitatem adesse; non enim colligitur ex productione frigiditatis; quia hoc esset petitio principii: & quia posset inquiri, à quo prædicta qualitas producatur: Si ab alia qualitate; idem posset inquiri de illa alia, & sic in infinitum, quod absurdum est. Si à substantia aquæ; jam accidens immediatè producitur à substantia; & cur non idem poterit dici de frigiditate, cùm prædicta qualitas sit accidens, sicut frigiditas?

41 Arguunt contrà: actus & potentia debent proportionari: sed substantia, & accidens non proportionantur: ergo substantia nequit producere accidens. Argumentum potest retorqueri in adversarios; nam si, ut ipsi dicunt, accidens producit substantiam, quomodo actus & potentia proportionantur? Deinde accidens, ut actus, recipitur in substantia, ut potentia; quomodo ergo proportionantur? Resp. tamen ad argumentum distinguendo mai. actus & potentia debent proportionari in entitate, nego; in ratione causæ, & effectus, concedo. Similiter disting. min. substantia, & accidens non proportionantur in entitate, concedo; in ratione causæ, & effectus, nego; ad hoc enim solùm requiritur, quòd causa virtualiter contineat effectum; & substantia continet virtualiter accidens; unde neg. conseq.

42 Argumentum positum numer. 32. potest etiam contra hanc conclusionem adduci, sed potest responderi ad illud, ex dictis num. 33. & 34. Deinde potest dici, substantiam creatam ordinari tanquam ad finem *qui* ad suas perfectiones accidentales; eò quòd perfectio accidentalis substantiæ est finis, qui intenditur in produ-

ctio-

ctione prædictorum accidentium; tamen omnes perfectiones accidentales ordinantur ad substantiam tanquam ad finem *cui*, substantia enim est finis *cui*, & propter quem accidentales perfectiones ab ipsa producuntur, non equidem est imperfectio, quòd aliquid ad aliud, tamquam ad finem *qui*, ordinetur, cùm tamen ipse finis *qui* ultimatè, tamquam ad finem *cui*, & *propter quem* ad illud ordinetur; unde nulla est imperfectio in substantia, quòd ad suas perfectiones accidentales, tamquam ad finem *qui*, ordinetur; cùm ipsæ accidentales perfectiones ad ipsam substantiam, tamquam ad finem *cui*, & *propter quem* ordinentur ultimatè.

43 Dicimus 2. Aliqua substantia potest immediatè per suam substantialem virtutem producere accidens in alieno subjecto. Conclusio videtur clara; & patet exemplo Solis, qui producit calorem in alieno subjecto: sed non per alium calorem, cùm non sit formaliter, sed tantùm virtualiter calidus; neque potest assignari in Sole aliqua alia qualitas, quæ sit ratio producendi calorem, ergo per suam virtutem substantialem immediatè Sol est productivus caloris in alieno subjecto. Neque videtur aliquid posse obiici contra hanc conclusionem, præter illum communem assensum Thomistarum, scilicet, quòd substantia nullatenus est immediatè operativa, quòd quidem haud difficilè solvitur ex dictis.

44 Dicimus 3. substantia affecta accidentibus operativis non producit alia similia accidentia in alieno subjecto. Conclusio communiter supponitur tamquam certa, quia prædicta accidentia operativa habent sufficientem virtutem ad similia accidentia producenda, ergo productio illorum non est, cur prædictis accidentibus denegetur. Quod potest confirmari, quia calor v. gr. existens in aqua, & in ferro

ferro ignito, tam intense, imò aliquando intensius, producit calorem in alieno subjecto; quàm calor existens in igne; ergo ideò est, quia calor immediatè producitur à calore, non verò à substantia. Patet consequentia; quia si substantia ignis (supponitur, substantiam aquę, & ferri nullatenus producere calorem, neque in se, neque in alieno subjecto; cùm non sit qualitas illi connaturalis) esset immediatè productiva caloris in alieno subjecto, sicut in se ipsa, fortiùs, & intensiùs produceretur calor à substantia ignis, & calore in ipso existente, quàm à calore existente in ferro ignito, & aqua ferventi.

45 Potest etiam confirmari ex superfluitate; nam si substantia ignis v. gr. posset sua immediata virtute producere calorem in alieno subjecto; & consequenter resistere frigiditati in se producendæ, non videtur calor ponendus in igne propter aliquam naturalem necessitatem; imò superfluè poneretur, cùm nihil igni deserviret: sed non ponitur calor superfluè in igne, ergo dicendum est, quòd ponitur ad producendum calorem in alieno subjecto, & resistendum frigiditati, quæ ab agente extrinseco in igne intenditur induci; & consequenter non est ponenda in substantia ignis virtus immediatè productiva caloris in alieno subjecto. Latè prosequitur circa hanc conclusionem Poncius in Physica disp.9. quæst.3. sed quia non est res adeò magni momenti, & etiàm oppositum est æquè probabile, quod tenet Mastrius in Phys. disp.7. quæst. 6 art.3. concl.2. & quia brevitatis causa non licet in omnibus immorari, non ampliùs prosequimur; qui plus desiderat, consulat præcitatos Auctores.

46 Dubitabis: An accidentia conserventur à substantia? Hoc dubium latè controvertitur à Mastrio & Poncio citatis, si autem benè percipiatur, videtur ad quæstionem de nomi-

mi-

mine reduci, eò quòd diversimodè ab illis, quid conservatio dicat, explicatur. Breviter tamen respondetur, quòd accidentia connaturalia; quæ ab ipsa substantia immediatè producuntur, etiam ab ipsa conservantur; accidentia verò, quæ non producuntur à substantia, non conservantur ab illa. Prima pars patet; quia, quod habet virtutem producendi, etiam habet virtutem conservandi, si sit proportionatum ad conservandum, sicut fuit ad producendum; conservatio enim est continuata productio, sed substantia productiva accidentium, sicut fuit proportionata ad illa producenda, ita est proportionata ad illa conservanda, nisi adsit aliquod contrarium impedimentum; ergo sicut substantia producit in se accidentia sibi connaturalia, ita & in se illa conservat.

17 Secunda pars etiam patet: quia, quod non habet virtutem productivam alicujus, neque virtutem conservativam illius habet; cùm conservatio sit continuata productio: ergo accidentia, quæ non producuntur à substantia, neque ab illa conservantur. Ubi advertendum est, hoc debere intelligi de conservatione in genere causæ efficientis; quia in genere causæ materialis, omnia accidentia, quæ educuntur de potentia subjecti, sive ab illo producantur, sive non, ab illo in conservari dependent.

QUÆSTIO IV.

An causa prima concurrat cum secunda ad suas operationes?

1 Duplex communiter assignatur sententia circa præsentem difficultatem. Prima asserit, Deum non concurrere immeditè cum causis secundis ad illarum effectus producendos,

sed

sed tantùm mediatè, quatenus dedit illis virtutem productivam, quam & in ipsis conservat. Sic peculiariter Durandus in 2. dist 1. quæst. 5. & dist. 27. quæst. 1. contra quem unanimiter Philosophi, & Theologi tenent oppositam sententiam. Pro qua

2 Dicimus: Deus concurrit cum causis secundis concursu immediato ad illarum effectus producendos. Hanc conclusionem cum communi sententia tenet Scotus pluribus in locis, præcipuè in 1. distinct. 2. quæst. 2. §. *quantum ad primum*, *vers. Ubi notandum*, litt. I. & distinct. 8. quæst. 5. §. *contra istam opinionem*, per totum, & dist. 42. per totam, & alibi sæpè. Et communiter probatur primò ex Sacra Scriptura: nam Psal. 146. dicitur: *Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum*. Et Joan. 5. *Pater meus usque modò operatur*. Et Actor. 7. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*. Et Job. 10. *Manus tuæ fecerunt me*: ergo Deus immediatè concurrit ad effectus causarum secundarum.

3 Probatur secundò: quia in omnipotentia divina, cùm sit infinitæ virtutis, immediatè continentur omnes effectus possibiles: ergo nullus effectus potest poni in rerum natura, quin Deus per suam virtutem immediatè concurrat ad productionem illius. Confirmatur: quia Deus quemlibet effectum creatum immediatè conservat: ergo illum immediatè producit. Consequentia patet: quia conservatio est continuata productio. Antecedens probatur; quia quilibet creatus effectus potest à Deo immediatè annihilari, quoad hoc enim nullatenus à creatura dependet; ergo quemlibet effectum immediatè conservat.

4 Probatur tertiò; quia omnes creaturæ, sicut sunt entia per participationem, ita sunt per participationem agentia; sed ex eo quòd sint entia per participationem, dependent à Deo im-

immediatè in suo esse : ergo ex eo quòd sint agentia per participationem, dependent à Deo immediatè in suo operari. Confirmatur : quia ens per participationem, ut est omnis effectus creatus, dependet immediatè ab ente per essentiam. Patet assumptum : quia ens per participationem debet perfectè subordinari enti per essentiam, & ab illo perfectè dependere : sed perfecta subordinatio, & dependentia consistit in immediatè subordinari, & dependere : ergo ens per participationem dependet immediatè ab ente per essentiam. Prob. min. quia perfectior dependentia, & subordinatio est immediata, quàm mediata; tam ex parte Dei, à quo effectus dependet, quàm ex parte effectus, quia à Deo dependet; & aliàs talis dependentia, & subordinatio est possibilis, sed non salvatur perfecta dependentia, & subordinatio absque perfectiori subordinatione, & dependentia: ergo perfecta subordinatio, & dependentiá consistit in immediatè subordinari, & dependere, eò vel maximè, quia perfectum in Deo est perfectius modo possibili.

5 Probatur quartò ; quia potest Deus quoscumque effectus causarum secundarum, licèt sint sufficienter applicatæ ad causandum, impedire: sed hoc non posset facere Deus, nisi subtrahendo aliquem immediatum concursum : ergo concurrit immediatè ad producendos tales effectus. Major est evidens; nam ignis Babylonicus sufficienter applicatus tribus pueris, illos miraculosè non combussit.

6 Respondent aliqui negando min. quia, inquiunt, potest Deus impedire quoslibet effectus per hoc præcisè, quòd nolit illos produci, licèt effectus non dependeant à concursu ejus immediato. Sed contrà est : quia, vel illa nolitio Dei opponitur alicui volitioni positivæ, qua nisi effectus impediret, vellet ipsos produci, vel non? Si primum ; habemus intentum ; nam illa volitio

tio est, qua Deus concurrit immediatè ad productionem effectuum causarum secundarum; neque alium immediatum concursum desideramus. Secundum nequit dici; quia nihil potest impedire aliquem effectum, nisi auferendo aliquid positivum necessariò requisitum ad productionem illius: sed potest à Deo impediri effectus; nullo positivo ablato, præter prædictum concursum, ut contingit in fornace Babylonico: ergo talis nolitio nequit effectum impedire, nisi quatenus opponitur volitioni positivæ, qua Deus concurreret immediatè ad talem effectum producendum.

7 Arg. 1. causæ secundæ habent sufficientem virtutem ad effectus sibi proportionatos producendos; aliàs non essent causæ totales, & adæquatæ: ergo se solis sine concursu concomitante Dei possunt suos effectus producere. Resp. disting. antec. causæ secundæ habent sufficientem virtutē ad effectus sibi proportionatos producendos cum subordinatione ad causam primam, concedo; sine tali subordinatione, nego, & nego conseq. Neque hoc obstat, ut causæ totales, & adæquatæ dicantur, eò vel maximè, quia talis subordinatio non aufert à causa secunda, quòd totaliter attingat suos effectus.

8 Arg. 2. si duæ causæ concurrant ad productionem unius effectus, in tali effectu debent esse duæ formalitates, quarum quælibet correspondeat cuilibet causæ, quin alteri correspondeat: sed in effectu causæ secundæ nulla datur formalitas, quæ correspondeat virtuti Dei, & non virtuti causæ secundæ: ergo non concurrit Deus ad talem effectum. Resp. disting. maj. si sint causæ partiales, concedo: quod contingit in objecto, & potentia, respectu notitiæ, quę provenit ab objecto ut est repræsentativa, & à potentia, ut est vitalis; si sint causæ totales subordinatæ (à duplici enim causa totali, non subordinata, nequit simul idem effectus produci, ut

fio loco dicetur (ut sunt prima & secunda, nego; utraque enim secundùm omnes sua rationes, & formalitates effectum attingit; unde neg. conseq.

9 Arg. 3. potest à Deo creatura ita perfecta produci, quæ propria virtute, absque Dei concursu, possit suos effectus producere: ergo non est simpliciter necessarius concursus simultaneus Dei cum causis secundis ad illarum effectus producendos. Responderi potest primò; hoc argumentum ad summum probare, posse de potentia Dei absoluta dari aliquam causam secundam suorum effectuum productivam, absque immediato, & simultaneo concursu Dei, quod non opponitur nostræ conclusioni, quæ intelligitur de facto, & juxta naturalem dispositionem rerum. Quia tamen, hoc, adhuc de potentia absoluta, nequit evenire; respondetur directè ad argumentum neg. anteced. quod haud facilè probabitur; repugnantia autem stat in hoc, quòd dependentia, tam in esse, quàm in operari ab influxu, seu concursu simultaneo Dei, est de intrinseca, & essentiali ratione creaturæ.

DUBIA INCIDENTIA.

10 Dubitabis 1. Quomodo se habeat prædictus concursus Dei, respectu effectus causæ secundæ? Pro responsione notandum est, dupliciter posse aliquid ad alterius productionem immediatè concurrere. Primò, immediatione virtutis tantùm, quando scilicet concurrit per virtutem propriam, non tamen in ipso existentem, sed in aliquo medio receptam; ut quando ignis v.gr. calefacit aerem remotum; hoc enim facit per virtutem propriam, & scilicet per calorem, non tamen in ipso existentem, sed receptam in aere propinquo. Secundò, immediatione virtutis, & suppositi simul; quando scilicet,

cet, non solùm concurrit per virtutem propriam, sed etiam in ipso existentem, & non in aliquo medio receptam; ut quando igni. ver. gratia, calefacit aerem sibi contiguum Nunc

11 Respondetur ad dubium; Deus immediatione virtutis, & suppositi ad effectus causarum secundarum concurrit. Probatur; quia, vel Deus concurrit ad tales effectus per virtutem creatam, vel increatam? Si per virtutem creatam; ergo non concurrit immediatè, sed tantùm mediatè ad prædictos effectus, quatenus scilicet dedit creaturis virtutem agendi, & illam cum ipsis conservat; sed hoc non est admittendum; est enim sententia Durandi ab omnibus communiter rejecta; ergo non est dicendum, Deum concurrere ad effectus causarum secundarum per virtutem creatam; ergo dicendum est secundum; scilicet, quod per virtutem increatam concurrit; sed talis virtus solùm existit in Deo, & non est recepta, neque receptibilis in aliquo medio; ergo non solùm concurrit Deus immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi ad effectus causarum secundarum.

13 Dices; commune proloquium est Philosophorum, Deum agere mediis causis secundis; sed hoc nequit salvari, si Deus immediatione virtutis, & suppositi ad illarum effectus concurrat; ergo non ita concurrit. Respond. neg. min. illud enim proloquium non debet intelligi, ita ut Deus concurrat mediatè, creaturæ verò immediatè ad prædictos effectus; sed ita ut prædicti effectus non solùm proveniant à Deo, sed etiam à creaturis; à Deo, ut ab agente primario, & omninò independenti; à creaturis verò, ut ab agentibus secundariis, & à Deo dependentibus, & in suo esse, & in sua virtute operandi, & in ipsa actuali operatione.

13 Dubitabis 2. Quomodo distinguatur concursus Dei à concursu creaturæ? Pro responsione notandum est, concursum dupliciter posse sumi. Primò, pro materiali influxu, medio quo producitur effectus. Secundò, pro ratione formali, qua influens in effectum, agens, seu causa illius denominatur. Nunc·

14 Respondetur ad dubium; quòd si concursus sumatur primo modo, nullatenus distinguitur concursus Dei à concursu creaturæ, respectu ejusdem effectus; si verò secundo modo sumatur, realiter distinguuntur prædicti concursus. Probatur prima pars; quia influxus materialis, medio quo producitur effectus, nihil aliud est, quam ipse effectus in fieri, ut sæpè repetitum est: sed nequit plurificari fieri effectus, quin effectus in facto esse plurificetur: ergo respectu ejusdem effectus, concursus Dei nullatenus distinguitur à concursu creaturæ, si concursus accipiatur pro materiali influxu, medio quo producitur effectus.

15 Probatur secunda pars: quia ratio formalis, qua creatura denominatur *agens*, seu *causa*, est relatio realis, vel de prædicamento actionis, vel de prædicamento *ad aliquid*: & ratio formalis, qua Deus denominatur *agens*, seu *causa*, vel est denominatio extrinseca proveniens ab effectu, vel relatio rationis: sed relatio realis distinguitur realiter à denominatione extrinseca, & relatione rationis. (modo, quo potest inter prædicta distinctio realis intercedere) ergo concursus Dei sumptus pro ratione formali, qua Deus *agens*, seu *causa* denominatur, realiter distinguitur à concursu creaturæ similiter acceptus, adhuc respectu ejusdem effectus. Cum hac distinctione facilè conciliantur aliquę sententiæ, & ad aliqua argumenta respondetur.

16 Hinc etiam facilè resolvitur aliud dubium; an scilicet prædictus concursus Dei sit

quid

quid creatum, vel increatum? Constat enim esse aliquid creatum; nam sumptus pro materiali influxu, est idem effectus in fieri, qui non in re, sed in modo, seu statu distinguitur ab effectu in facto esse: ergo sicut effectus in facto esse est quid creatum, ita etiam prædictus concursus; cum hac tamen differentia, quòd effectus in facto esse dicitur creatus ut *quod*, concursus verò creatus, ut *quo*; cum qua distinctione aliqua solvuntur argumenta. Similiter constat, denominationem extrinsecam, qua Deus denominatur causa, esse quid creatum, modo quo denominatio extrinseca, ab aliquo creato, ut est effectus, desumpta, quid creatum dici potest, Idem dicendum est suo modo de relatione rationis.

17 Dubitabis 3. An concursus Dei sit prior concursu creaturæ, respectu ejusdem effectus. Respondetur; quòd loquendo de prioritate temporis, vel naturæ, concursus Dei non est prior concursu creaturæ. Probatnr; quia, si tempore, vel natura præcederet concursus Dei concursum creaturæ, talis concursus creaturæ esset superfluus, hoc non est dicendum, ergo concursus Dei nec tempore, nec natura præcedit concursum creaturæ. Probatur sequela? quia, si concursus Dei ita præcederet concursum creaturæ, in illo priori terminaretur ad effectum; & consequenter effectus esset totaliter productus pro illo priori, sed ad effectum productum nullus requiritur concursus; ergo si concursus Dei tempore, vel natura præcederet concursum creaturæ; concursus creaturæ superfluè poneretur.

18 Loquendo autem de prioritate perfectionis, concursus Dei est prior concursu creaturæ. Hoc patet; quia concursus, qui dependet ab alio, & illi subordinatur, est imperfectior illo, sed concursus creaturæ dependet à concursu Dei, & illi subordinatur, ita ut si non poneretur

concursus Dei, nullatenus concursus creaturæ poneretur; concursus autem Dei non ita dependet à concursu creaturæ, neque illi subordinatur: ergo prioritate perfectionis, & subordinationis concursus Dei est prior concursu creaturæ. Cum hac distinctione facilè aliqua argumenta solvuntur.

QUÆSTIO V.

An Deus præmoveat creaturas ad operandum per aliquam Physicam qualitatem?

1 CIrca hanc difficultatem, quæ celebris est in utraque Schola, duplex ex diametro est opposita sententia. Prima acerrimè defendit, præter concursum simultaneum, quo Deus concurrit cum causis secundis ad suos effectus producendos, dari alium prævium concursum, quo Deus antecedenter ad operationes causarum secundarum, illas præmovet, & determinat ad operandum, producendo in illis quandam Physicam qualitatem, licèt non per modum permanentis, sed per modum transeuntis, ad modum, quo impulsus ab extrinseco imprimitur in lapide, ipsum ad motum localem determinando; quapropter talis concursus dicitur physica præmotio, seu prædeterminatio. Sic communiter Thomistæ, licèt in explicatione aliqualiter disconveniant. Secunda sententia per oppositum affirmat, nullatenus dari prædictum concursum per physicam qualitatem, causas secundas prædeterminantem. Sic Scotus pluribus in locis ab Scotistis citatus, præcipuè in 4. dist. 1. quæst. 1. *Vers. Ad ultimum*, litt. RR. quem sequuntur omnes Scotistæ, & Jesuitæ. Pro qua

2 Dicimus: non datur concursus prævius Dei physicè per physicam qualitatem causas secun-

cundas prædeterminans ad operandum. Probatur primò: quia talis concursus prævius non est necessarius: ergo nullatenus est ponendus. Prob. antec. quia ignis v. gr. debitè applicatus, & ablatis impedimentis, habet sufficientem proportionem, utpote causa secunda, ad suas operationes exercendas, ergo non est necessarius prædictus concursus prævius, ut ignem determinet ad operandum. Prob. anteced. quia ignis est æqualis perfectionis cum effectu ab illo producendo; & deinde, ut subordinetur causæ primæ, sufficit, quòd non possit operari sine concursu simultaneo illius; hoc solùm requiritur, ut causa secunda, ut talis, sufficienter applicata, & ablatis impedimentis, operetur; ergo ignis debitè applicatus, & ablatis impedimentis, habet sufficientem proportionem, utpotè causa secunda, ad suas operationes exercendas. Latè prosequitur Poncius in Physica disp. 9. quæst. 6. concl. 2. hanc rationem impugnando aliquas responsiones ad illam, quas hic omittimus, & quia non magni momenti, & quia ex dicendis in argumentis plura hic possunt applicari.

3 Secundò probatur conclusio communi, sed semper efficaci ratione, si daretur talis prævius concursus, & physica prædeterminatio, destrueret libertatem creaturæ in operando; ergo non debet admitti. Antecedens probatur, quia libertas creaturæ in operando consistit in hoc, quòd se ipsam determinet ad actum; eò quòd possit illum ponere, vel non ponere; sed si daretur prædictus concursus prævius, non se determinaret creatura ad operandum, cùm talis concursus ipsam determinet; ergo si daretur talis concursus, destrueret libertatem creaturæ in operando.

4 Respondent negando antec. & distinguendo maj. probationis; libertas creaturæ consistit in hoc, quòd se ipsam determinet determi-

natione per modum causæ primæ, negant; per modum causæ secundæ, concedunt. Eodem modo distinguunt minorem; non enim, inquiunt, posito prædicto prævio concursu, se determinat creatura per modum causæ primæ; benè tamen per modum causæ secundæ, & determinationi causæ primæ subordinatæ.

5 Sed contrà est 1. quia, licèt creatura se determinet per modum causæ secundæ, debet esset libera talis determinatio, sed posito prædicto concursu prævio illam physicè prædeterminante, nequit se liberè determinare, ergo posito tali concursu, non se determinat creatura, adhuc per modum causæ secundæ. Prob. min. quia omne antecedens operationem creaturæ liberæ infallibiliter, & necessariò connexum cum operatione, opponitur liberæ determinationi creaturæ; sed prædictus concursus, & physica prædeterminatio antecedit operationem creaturæ liberæ, & infallibiliter, & necessariò connectitur cum operatione creaturæ liberæ, ergo posito tali concursu, nequit creatura se liberè determinare. Major probatur, quia aliquid necessariò, & infallibiliter connecti cum operatione, nihil aliud est, quàm, quòd illo posito, ita ponatur operatio, ut non possit non poni, sed ratio libertatis consistit in hoc, quòd ita ponatur operatio, ut possit non poni, ergo omne antecedens operationem creaturæ liberæ infallibiliter, & necessariò connexum cum operatione, opponitur liberæ determinationi creaturæ; ac per consequens, &c.

6 Communis responsio Thomistarum est, quòd licet creatura in sensu composito prædicti concursus prævii maneat determinata, manet tamen indifferens in sensu diviso, quod sufficit, ut liberè operetur.

7 Sed contrà est primò; quia creatura semper operatur in sensu composito prædicti concur-

cursus; nam, secundum contrarios, nunquam sine tali concursu operatur, ergo semper operatur, ut determinata: sed, ut determinata, non liberè operatur: ergo absolutè posito prædicto concursu, non operatur liberè. Consequentia videtur tenere; quia tunc absolutè non operatur liberè creatura, quando ita operatur, ut non possit non operari: sed in sensu composito prædicti concursus, in quo sensu semper operatur creatura, non potest non operari: ergo absolutè posito prædicto concursu, non operatur liberè.

8 Contra secundò: quia, vel tunc creatura esset libera in sensu diviso, quia, ablato prædicto concursu, posset non operari; vel quia pro priori ad talem concursum, habet potestatem ad non operandum? Sed nullo ex prædictis modis salvatur libertas: ergo posito prædicto concursu, nullo modo potest dici creatura liberè operari. Prob. min. quoad primum; tum quia ut creatura dicatur liberè operari in sensu diviso, eò quòd ablato prædicto concursu, possit non operari, requiritur, vel quòd sit in sua potestate tollere prædictum concursum, vel quòd in] sua potestate fuerit illum non ponere: sed neutrum est in potestate creaturæ; cùm prædictus concursus à Deo solo proveniat: ergo posito tali concursu, neque in sensu diviso operatur liberè creatura. Tum etiam quia si daretur aliquid prævium ita necessitans creaturam ad operandum, ut non liberè operaretur, tunc posset dici creaturam liberè operari in sensu diviso, quatenus ablato illo prævio, posset non operari: sed hoc non sufficeret, ut posito illo prævio, salvaretur libertas in operando, ut ex se patet: ergo; quod, posito prædicto concursu physicè determinante creaturam ad operandum, dicatur libera in sensu diviso, eò quòd ablato illo concursu, possit non operari, non sufficit, ut salvetur libertas in operando.

9 Supradicta minor quoad secundum probatur; quia creatura non operatur pro priori ad supradictum concursum, sed pro posteriori (licèt enim talis concursus, ut tenent contrarii, non se habeat ex parte actus primi, sed ex parte actus secundi; quia non ad posse operari, sed ad operandum datur; tamen est posterior potentia operandi, & prior ipsa operatione, & determinatione creaturæ) ergo quod creatura dicatur libera in sensu diviso, eò quod pro priori ad prædictum concursum habeat potestatem ad non operari, non sufficit, ut creatura dicatur liberè operari. Patet consequentia; quia, ut creatura dicatur liberè operari, debet pro illo nunc, pro quo operatur, posse non operari: sed licèt pro priori ad concursum habeat potestatem ad non operandum; tamen illam potestatem non habet pro posteriori ad concursum, pro quo semper operatur: ergo quod creatura dicatur libera in sensu diviso, eò quod pro priori ad concursum habeat potestatem ad non operandum, non sufficit, ut dicatur liberè operari; & consequenter prævius concursus physicè prædeterminans creaturam ad operandum; aufert libertatem illius in operando.

10 Contra primam responsionem potest argui secundò: quia creatura libera, adhuc ut causa secunda, debet se liberè determinare; sed, posito prævio concursu, nequit se liberè determinare: ergo. Probat. min. quia creatura per prævium concursum manet determinata, & non indifferens: sed libera determinatio requirit indifferentiam: ergo posito prævio concursu, nequit se liberè determinare; & consequenter, neque se determinare, ut causa secunda libera.

11 Respondent; quod licèt creatura, posito concursu prævio, non maneat indifferens indifferentia suspensionis, eò quod jam non maneat

neat suspensa, sed à Deo determinata; tamen manet indifferens indifferentia libertatis; ita ut possit elicere, vel non elicere actum, eò quòd divina determinatio non tollit indifferentiam judicii intellectus creati, sed potius relinquit judicium indifferens in regulando.

12 Sed contra est: quia indifferentia libertatis necessariò requirit indifferentiam suspensionis: ergo ablata indifferentia suspensionis; aufertur indifferentia libertatis. Prob. antec. quia indifferentia libertatis dicit contingentiam; & non necessitatem actus: sed contingentia, & non necessitas actus, dicit indifferentiam suspensionis; ergo indifferentia libertatis necessariò dicit indifferentiam suspensionis. Prob. min. quia determinatio opposita indifferentiæ suspensionis dicit necessitatem, & non contingentiam actus; ut ex se patet: ergo contingentia, & non necessitas actus, dicit indifferentiam suspensionis: & consequenter, si prævius concursus opponitur indifferentiæ suspensionis, etiam opponitur indifferentiæ libertatis. Aliis terminis solent contrarii respondere, scilicet, *necessitate antecedenti, & consequenti; potentia antecedenti, & consequenti; simultate potentia, & potentia simultatis*, qui coincidunt cum terminis *in sensu composito, & in sensu diviso*; quapropter eodem modo impugnantur. Aliæ rationes ad probandum nostram conclusionem adducuntur in Theologia, tam in materia de auxiliis, quàm in materia de peccatis.

13 Arguunt 1. Causa secunda, ut operetur, debet ab aliquo determinari: sed à se ipsa determinari nequit: ergo determinatur à concursu prævio Dei. Mai. patet; nam causa secunda est indifferens ad plures operationes specie distinctas, si sit causa libera, ut voluntas ad amorem, & odium; vel ad operationes numero distinctas, si sit causa naturalis, ut ignis ad istam, vel aliam numero combustionem: ergo causa

secunda, ut operetur, debet ab aliquo determinari. Minor probatur primò: quia à principio indifferenti, formaliter ut tali, nequit oriri effectus, & actio determinata: sed causa secunda est indifferens ad hanc, vel aliam operationem: ergo nequit se ipsam determinare ad hanc operationem præ alia. Secundò, quia nihil potest ad actum determinari, nisi per aliquid, ratione cujus sit in actu, eò quòd nihil agit secundùm quòd est in potentia, sed omne agens agit secundùm quòd est in in actu: sed causa secunda non est in actu respectu suæ operationis, & determinationis ad ipsam: ergo causa secunda nequit se ipsam determinare. Prob. min. quia causa secunda est in potentia, & indifferens ad suam operationem, & ut determinetur, vel non determinetur ad ipsam: ergo non est in actu in ordine ad operationem, & determinationem ad ipsam; nihil enim respectu ejusdem & secundùm eamdem rationem potest esse in potentia, & in actu; movens, & motum; indifferens, & determinatum.

14 Hoc argumentum plura æquivoca involvit; quapropter ad illius solutionem, quæ non parum ad totius quæstionis intelligentiam conducit, necessariò debet examinari, quomodo causæ sint indifferentes, & quomodo determinentur? Igitur indifferentia causæ potest esse ad plures operationes specie distinctas, ut Sol v. gr. est indifferens ad productionem hominis, Leonis, ignis, metallorum, &c. Intellectus ad plures intellectiones specie distinctas; & etiam voluntas ad amorem, & odium, quæ distinguuntur specie; vel ad plures operationes solùm numero distinctas, ut quælibet ex prædictis causis ad plures effectus numero producendos: vel ad actum, & suspensionem illius, quod solùm invenitur in causa libera; in hoc enim distinguitur causa libera à naturali; quia libera, positis omnibus necessariò ad agen-
dum

dum requisitis, potest agere, vel non agere; at verò causa naturalis, positis omnibus necessariò requisitis ad agendum, non potest non agere, sed necessariò agit: Nunc

15 Loquendo de prima indifferentia, scilicet ad plures operationes specie distinctas, dicimus, causam determinari, vel ab alia concausa, vel à dispositionibus, vel ab objecto; Sol enim determinatur ad producendum hominem, per concursum alterius hominis, & ad producendum Leonem, per concursum alterius Leonis. Videatur Scotus in 1. dist. 3. quæst. 7. §. *ad authoritatem*, *vers. Vel aliter*, litt. BB. Determinatur ad producenda metalla per tales dispositiones in materia repertas; similiter intellectus determinatur ad talem actum in specie per tale in specie objectum; cum enim ab objecto, & potentia pariatur notitia, hujus specifica distinctio desumitur à distinctione specifica objecti. Circa determinationem ad actus voluntatis specie distinctos, scilicet amorem, & odium, ex professo agitur in libris de anima, pro nunc autem dicimus, & ibi latè, Deo dante, dicemus, quod voluntas determinatur ab objecto, juxta bonitatem, vel malitiam illius; circa quos actus dicitur voluntas libera quoad specificationem, seu libertatem contrarietatis; quia respicit actus contrarios, & specie distinctos, modo ibi explicando.

16 Loquendo de secunda indifferentia, scilicet ad plures operationes solùm numero distinctas, dicimus, causam determinari à Deo, sive sit causa naturalis, sive libera. De causa naturali potest probari ex eo, quod causa naturalis, ver. gr. ignis, adhuc positis omnibus requisitis ad agendum, licèt sit determinata ad producendum in specie, est indifferens ad hunc, vel illum effectum numero producendum, scilicet hunc, vel illum numero ignem, ergo indiget aliquo determinante ipsum ad hunc numero

mero ignem producendum: sed tale determinans nequit esse aliud præter Deum: ergo. Minor probatur: quia tale determinans nequit esse subjectum, in quo agitur; nam, sicut est indifferens ignis ad hunc, vel illum ignem numero producendnm; ita est indifferens subjectum ad hanc, vel illam formam ignis recipiendam: neque potest esse locus, nec tempus; quia tam locus, quàm tempus extrinsecè respiciunt effectum, & in eodem loco, & tempore possunt produci plures effectus numero distincti; & in diverso loco, & tempore idem numero effectus: hæc tantùm sunt capita, quæ ab aliquibus assignantur ad talem determinationem: ergo nullum est determinans operationem, & effectum quoad individuum, præter Deum; ac per consequens, &c.

17 De causis liberis potest probari eodem modo; eadem enim videtur esse ratio; & deindè, quia experientia patet, nullam esse libertatem in voluntate ad hunc numero actum eliciendum, quam alium circa idem objectum; neque circa hoc aliqua datur in nobis consultatio, aut deliberatio, eò vel maximè, quia differentiæ individuales actu non cognoscuntur à nobis: ergo determinatio ad hunc numero actum, etiam in causis liberis, est tribuenda soli Deo.

18 Arg. 1. contra hoc: causa secunda attingit effectum, etiam quoad individuationem sua propria actione; ergo talis actio est determinata ad hunc numero effectum; & consequenter non determinatur à Deo. Et potest confirmari ex Arist. 2. Physic. text. 38. assignante effectibus singularibus causas singulares. Deinde, quia si causa est indifferens ad plures effectus, etiam esset indifferens ad infinitos: hoc repugnat limitatæ virtuti causæ secundæ: ergo non est indifferens, sed determinata ad hunc numero effectum; & consequenter non determinatur à Deo.

19 Po-

19 Potest responderi primò ad argumentum, concesso antecedenti, neg. conseq. quia, licèt verum sit, quod causa per suam actionem attingat effectum etiam quoad individuationem, hoc non est, quia actio ex se sit determinata ad hunc numero effectum; sed quia determinatur ex conjunctione cum concursu simultaneo causæ primæ, cui competit determinatio effectus, quoad individuum, ex sua enim voluntate producitur hoc individuum, & non illud. Secundò potest responderi, & conformius nostris principiis, concedendo totum argumentum; ex quo nihil sequitur contra nos; quia licèt quælibet actio creaturæ sit determinata ad talem numero effectum; tamen causa sicut est indifferens ad talem, vel talem effectum producendum, ita est indifferes ad talem, vel talem actionem; cùm actio, materialiter sumpta, in quo sensu sumitur in præsenti, sit realiter idem effectus in fieri; unde dicimus, quod Deus determinat causam ad hunc numero effectum, & ad hanc numero actionem; non tamen determinat, hanc actionem hunc numero effectum præ alio attingere, cùm quælibet actio ad suum effectum sit ex se determinata.

20 Ad confirmationem ex Arist. resp. Philosophum non intendere, hanc numero causam esse determinatam ad hunc numero effectum, sed tantùm, effectum, qui semper est quid singulare, necessariò provenire à causa singulari, eò quod singularitas est conditio necessariò requisita ad causandum. Ad aliud dicimus, verum esse, causam esse indifferentem ad infinitos effectus non collectivè, sed divisivè, quod nullum est inconveniens, neque opponitur limitatæ virtuti causæ secundæ; non enim requiritur major virtus ad hunc, vel illum effectum producendum, quam ad aliquem determinatum: unde negantur minor, & consequentiæ.

21 Arg.

21 Arg. 2. Si Deus determinaret causam liberam ad producendum hunc numero effectum præ alio, læderetur ejus libertas; hoc non est dicendum, ergo. Probat. sequela, quia causa libera non solùm est libera ad ponendum, & non ponendum actum, sed etiam ad ponendum hunc; vel alium actum, ergo sicut læderetur libertas, si determinaretur ad ponendum actum; ita læderetur, si determinaretur ad ponenuum hunc numero actum præ alio. Respon. neg. seq. & antecedens prob. Voluntas enim, licèt dicatur libera ad ponendum, vel non ponendum actum; non tamen dicitur libera ad ponendum hunc numero actum, vel alium, unde licèt determinatio ad ponendum actum læderet libertatem; non tamen determinatio ad ponendum hunc numero actum præ alio; quia cum hac determinatione adhuc remanet voluntas libera ad ponendum, vel non ponendum actum, quod dupliciter potest explicári: vel ita ut Deus determinet non concurrere cum voluntate, nisi ad hunc numero actum; ex quo solùm sequitur, quod si voluntas operetur, non producat, nisi hunc numero actum determinatum à Deo, non tamen sequitur, quod voluntas necessariò operetur; potest enim, adhuc supposita prædicta determinatione Dei, operari, vel non operari, in quo tota libertas voluntatis consistit. Vel ita ut, voluntas liberè se determinans ad amandum v. gr. hunc numero amorem producat ex conjunctione cum concursu simultaneo Dei, qui pro sua voluntate ad hunc numero effectum ex omnibus, quos voluntas creata producere potest, & non ad alium concurrit. En quomodo determinatio effectus quoad individuum proveniens à Deo, nullatenus lædit libertatem.

22 Loquendo de tertia indifferentia, scilicet ad actum, & suspensionem illius, dicimus, causam se ipsam determinare ad ponendum, vel non

non ponendum actum. Hoc patet: quia causa libera in hoc potissimum distinguitur à causa naturali, quòd causa naturalis, positis omnibus requisitis ad agendum, ita ad agendum est determinata, ut nequeat non agere; causa verò libera, adhuc positis omnibus prærequisitis ad agendum, est in sua potestate agere, vel non agere, sed si se ipsam non determinaret, sed ab alio determinaretur, non esset in sua potestate agere, vel non agere, sed in potestate illius, à quo determinaretur, ergo causa se ipsam determinat determinatione correspondente indifferentiæ ad ponendum, vel non ponendum actum. Nunc

23 Respondetur ad argumentum positum num. 13. disting. min. causa secunda nequit à se ipsa determinari determinatione correspondente indifferentiæ ad plures operationes specie, vel numero distinctas, concedo; determinatione correspondente indifferentiæ ad ponendum, vel non ponendum actum, subdistinguo; si sit causa naturalis, nego suppositum: talis enim causa non est indifferens ad ponendum, vel non ponendum actum, sed ex se, & ex suis principiis est determinata, positis omnibus requisitis, ad suum actum ponendum, quin possit illum non ponere; quapropter à nullo determinatur; solùm enim, quod est indifferens, determinari potest, si sit causa libera, nego min. Ad primam probationem minoris dicimus, quòd major maximè in æquivoco laborat, quapropter illam disting. à principio indifferenti, formaliter ut tali, nequit oriri effectus, & actio determinata, ita ut ipsum principium determinet effectum, & actionem quoad speciem, vel quoad individuum, concedo; ita ut principium indifferens ad operandum, & non operandum, ut est causa libera, nequeat se determinare ad operandum, nego; & concessa minori, & consequentia, dicimus, hoc

nihil

nihil probare contra nos; quia minor, & consequentia tantùm loquuntur de indifferentia ad plures operationes specie, vel numero distinctas & determinatione prædictæ indifferentiæ correspondente; in quo sensu jam diximus, determinari causam, vel ab alia concausa secunda particulari, vel à dispositionibus materiæ, vel ab objecto, vel à Deo, & hoc non per aliquam physicam præmotionem antecedentem operationem, sed per suam voluntatem decernentem concurrere cum causa secunda ad hunc numero effectum præ alio, suo simultaneo concursu.

24 Ad secundam probationem minoris respondetur (licèt in æquivoco laboret, sicut præcedens probatio; quia potest intelligi de quacumque determinatione correspondente cuilibet indifferentiæ) loquendo de determinatione correspondente indifferentiæ ad ponendum, vel non ponendum actum, neg. maj. Etenim, ut causa secunda se determinet ad actum, nullatenus requiritur, quòd sit in actu, sed sufficit, quòd sit in potestate illius ponere, vel non ponere actum, & ratione talis potestatis se ipsam determinat ad ponendum actum, seu ad operandum; & tunc dicitur se ipsam determinare per suammet operationem, quin ipsa actualis determinatio sit aliquid ab operatione distinctum; unde, quando dicitur, quòd est indifferens, ut determinetur ad operandum, vel non operandum, idem est, ac dicere, quòd est indifferens ad operandum, vel non operandum; illa autem proloquia inclusa in majori, scilicet; *Nihil agit secundùm quod est in potentia: omne agens agit secundùm quod est in actu*, non debent intelligi, ita ut agens sit in actu aliquomodo operationem, seu actionem præcedente, sed ita ut per ipsam operationem, seu actionem constituatur in actu. Ex quibus patet ad totum argumentum; quia non est causa

se-

secunda secundùm eamdem rationem in actu, & potentia, indifferens, & determinata; est enim in potentia, & indifferens ante actualem operationem; & est in actu, & determinata, dum actualiter operatur. Patet etiam, quomodo non sit necessarius concursus prævius Dei physicè prædeterminans causam secundam ad operandum.

25 Arguunt 2. contra præcipuam conclusionem; si causa secunda non moveretur à Deo per concursum prævium ad suam operationem, non esset causa secunda; hoc non est dicendum; ergo causa secunda movetur à Deo per concursum prævium ad suam operationem. Prob. maj. quia si causa secunda sic non moveretur à Deo, ageret sine subordinatione ad causam primam; sed ad rationem causæ secundæ necessariò requiritur subordinatio ad causam primam; ergo si non moveretur à Deo per concursum prævium ad suam operationem, non esset causa secunda. Prob. maj. quia si non moveretur causa secunda per prævium concursum, ageret, ut non mota à causa prima, sed ut operetur cum subordinatione ad causam primam, necessarium est, ut operetur mota à causa prima; ergo si non moveretur per prævium concursum, non operaretur cum subordinatione ad causam primam.

26 Resp. neg. maj. & maj. probationis, & etiam majorem, quia ista probatur. Etenim verum est, causam secundam necessariò operari cum subordinatione ad causam primam, ad quod requiritur, quòd operetur, ut mota à causa prima, sed hoc non debet intelligi, ita ut sicut instrumentum, quod causæ principali subordinatur in sua operatione propriè movetur ab illa, ita moveatur causa secunda à causa prima; sed ita ut causa secunda taliter in sua operatione à causa prima dependeat, ut nullatenus possit operari, quin simul cum illa causa pri-

prima operetur, ad quod sufficit simultaneus concursus Dei, & nullo modo requiritur prævius concursus causam secundam physicè prædeterminans. Videatur Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *ad argumenta, vers. Ad ultimum*, litt. RR. Ubi subtiliter denotat nostram responsionem adducens differentiam inter causam instrumentalem in ordine ad causam principalem ex una parte, & causam secundam in ordine ad causam primam ex alia parte.

27 Replicant; pro priori ad concursum simultaneum causa secunda dependet à Deo, sed pro illo priori non dependet per concursum simultaneum, qui adhuc non est; ergo non sufficit concursus simultaneus ad salvandam dependentiam causæ secundæ à prima. Prob. maj. quia pro priori ad concursum simultaneum, causa secunda determinatur ad operandum (concursus enim simultaneus simul est cum actione creaturæ; & consequenter supponit creaturam jam determinatam ad propriam operationem) sed in tali determinatione creatura dependet à Deo, siquidem talis determinatio est effectus Dei; ergo pro priori ad concursum simultaneum causa secunda dependet à Deo.

28 Respondetur disting. maj. pro priori ad concursum simultaneum causa secunda dependet à Deo, quoad suum esse, & quoad posse operari, hoc est, quatenus habet à Deo, tam esse, quàm virtutem operativam, concedo; quoad operari, nego. Et concessa minori, neg. conseq. Ad probationem majoris (loquendo de causa libera; nam causa naturalis, ex se, & ex suis principiis, positis omnibus requisitis, est determinata ad operandum pro priori ad operationem, & ut sic dicitur dependere à Deo, quatenus tribuit illi suum esse, & virtutem operandi ad unum determinata, & concurrit ad positionem requisitorum, non tamen, quia positis

tis omnibus requisitis, per aliquem prævium concursum physicè illam prædeterminet) resp. neg. maj. quia causa secunda libera non actualem operationem non est determinata, sed indifferens ad ponendum, vel non ponendum actum; in hoc enim distinguitur à causa naturali, & se ipsam per suam operationem determinat, quin determinatio sit aliquid distinctum ab ipsa operatione, & ipsam aliquomodo præcedens.

29 Quando autem dicitur, quod determinatio causæ secundæ est effectus Dei, non ita debet intelligi, quòd sit aliquid à Deo productum; determinatio enim, cùm, ut dictum est, sit ipsa operatio, seu actio creaturæ, non est quid productum, sed id, quo aliquid producitur; productionis enim seu actionis non datur productio, seu actio; sed in tantùm dicitur peculiariter effectus Dei, non solùm, ut operatio, seu determinatio provenit ab ipso Deo simul cùm creatura concurrente, sed etiam; ut provenit ab ipsa causa secunda, in quantum causa secunda habet virtutem agendi à Deo; vel in quantum ipsa determinatio, seu operatio nequit provenire à causa secunda, quin simul à Deo proveniat: quapropter talis determinatio, seu operatio solùm potest dici effectus, ut *quo* causæ secundæ, quatenus provenit ab illa, non verò, quatenus provenit à Deo, quia neque Deus recipit virtutem productivam a creatura, neque ita dependet à concursu Dei concursus creaturæ, quòd non possit esse sine illo.

30 Replicant: concursus simultaneus non sufficit, ut creatura in sua operatione dependeat à Deo; ergo. Prob. antec. quia ex eo sufficeret concursus simultaneus, ut creatura in sua operatione dependeret à Deo, quia non posset creatura operari sine tali concursu: sed neque Deus potest operari sine concursu creaturæ, præcipuè in productione actus vitalis; & tamen

men Deus non dicitur dependere in sua operatione à creatura;ergo concursus simultaneus non sufficit, ut creatura in sua operatione dependeat à Deo.

31 Potest responderi primò neg, antec. & disting. maj. probationis; quia non posset creatura operari sine tali concursu, præcisè, nego; quia non posset creatura operari sine tali concursu, & alias nequit efficere creatura, ut necessariò præstetur illis talis concursus, concedo. Similiter disting. min. Deus non potest producere actum vitalem sine concursu creaturæ, præcisè concedo; non potest producere actum vitalem, & aliàs non est in sua potestate præstare, vel non præstare talem concursum, nego, & neg. conseq.

32 Respondetur secundò directè neg. antec. & concessa majori probationis, nego minor. Deùs enim potest producere actum vitalem sine concursu creaturæ, ut juxta principia Scoti dicitur in libris de anima, quapropter circa hoc in præsenti ampliùs non immoramur.

33 Argum. 3. nequit agere causa secunda, quin Deus simultaneè cum ipsa concurrat; ergo necessariò debet causa secunda præmoveri à Deo per aliquem prævium concursum. Prob. conseq. quia quando duæ causæ simul concurrunt ad eumdem effectum, vel una debet movere alteram, vel utraque debet ab alio tertio moveri; aliàs casualiter simul concurrerent; sed neque causa secunda potest movere primam; neque datur aliquod tertium, quod utramque moveat; ergo dicendum est, quòd Deus per concursum prævium movet causam secundam; aliàs Deus cæco modo concurreret; nesciret enim, quando causa secunda suum concursum præstitura esset. Resp. neg. conseq. & consequentiam probationis; licèt enim verum sit; causam secundam moveri à Deo mo-

do

do supra explicato; non tamen est verum moveri à Deo per aliquem prævium concursum: neque ex hoc sequitur, quod simultas causæ primæ, & secundæ sit casualis; neque, quòd Deus concurrat cæco modo; quod quidem non provenit ab aliquo prævio concursu physicè causam secundam determinante, sed à divina providentia, quæ fortiter, & suaviter disponit omnia, & ita; sicut disposuit dari causas secundas cum omnibus requisitis ad agendum tali, vel tali tempore; & etiam agentes, vel necessariò, vel liberè, juxta illarum naturam, si eis non deficiat concursus causæ primæ requisitus ad agendum; sic similiter disposuit simul cum illis concurrere in illo instanti, in quo prævidit ipsas producturas suos effectus, si eis non denegetur cuncursus ad agendum requisitus unde non cæco modo, & ignoranter concurrit Deus simultaneo concursu, cùm divina providentia non sit cæca, sed scientia divina dirigatur, qua Deus, non solum possibilia, sed etiam futura, tam necessaria, quam libera, quæ producere decrevit cum causis secundis, clarè cognovit. Hoc plurimùm dependet ex Theologia.

QUÆSTIO VI.

An causæ secundæ possint assumi à Deo ad quemlibet effectum præstandum?

1 PRæsens difficultas sub aliis terminis exagitari solet; *an*, scilicet, *causa secunda possit producere effectus supra naturam cum speciali concursu Dei*? Vel aliter; *An*, scilicet, *in causis secundis detur potentia obedientialis ad agendum, vel recipiendum supra illarum naturam*? Pro cujus intelligentia notandum est, quòd potentia obedientialis necessariò respicit agens increatum, sub cujus potestate sunt omnia

nia, & hoc non ut est Auctor naturæ, seu quatenus concursu generali, juxta ordinem naturæ debito, concurrit cum causis secundis ad suas naturales operationes, & supplet defectum causarum secundarum, si hæ non adsint, & adsit materia disposita ad aliquam formam recipiendam; sed ut est agens supernaturale potens speciali concursu, & non debito naturæ, effectus supra naturam causare; quod colligitur ex Scoto in 3. dist. 1. quæst. 4. §. *respondeo*, lit. A. Ubi dicit, quòd potentia obedientialis in creatura respicit efficientiam primi efficientis, & non aliam potentiam activam: & jam sic est communiter receptum apud Auctores; neque aliquam potest habere controversiam, nisi ad quæstionem de nomine reducatur.

2 Dicimus 1. Non datur in quolibet subjecto potentia obedientialis ad recipiendam supernaturaliter quamlibet formam; hoc est, nequit quælibet forma, ad huc de potentia Dei absoluta, recipi in quolibet subjecto. Sic Scotus in 4. dist. 12. quæst. 2. §. *hic sunt; vers. Ad quartum*, litt. C. Ubi habet hæc verba: *Sicut lapis non potest esse sapiens, quia nullo modo habet rationem receptivi, respectu sapientiæ: sic Angelus non potest esse albus, quia nullo modo susceptivus est formæ hujus*, scilicèt, albedinis. En quo modo ex mente Scoti datur subjectum, quod nullatenus est receptivum alicujus formæ, ratio autem pro conclusione desumitur ex eo, quòd cui repugnat effectus formalis formæ, repugnat etiam ipsa forma: sed aliquibus subjectis repugnat effectus formalis aliquarum formarum, ut patet ex verbis Scoti; Angelus enim nequit esse albus, neque lapis sapiens: ergo etiam repugnant illis aliquæ formæ. Major videtur evidens; quia effectus formalis formæ ita est connexus cum communicatione ipsius formæ, quòd posita forma in subjecto, nullatenus à Deo possit impediri, ut communiter

inter Philosophos circumfertur: ergo cui repugnat effectus formalis formæ, repugnat etiam ipsa forma.

3 Neque valet, quod respondet quidam Scotista, scilicet, Scotum tantùm intendere, quòd albedo non possit poni in Angelo, ita ut illum denominet album; nec sapientia in lapide, ita ut ipsum denominet sapientem; cujus ratio est, inquit, quia albedo non denominat album, nisi subjectum in quo ponitur extenso modo, quo modo nequit poni in Angelo, qui est indivisibilis: nec sapientia denominat sapientem, nisi potentiam, quæ sapienter agere potest, quæ potentia nòn est in lapide. Unde illud, quod communiter circumfertur inter Philosophos, scilicet, Deum non posse impedire effectum primarium formæ, solum debet intelligi, quando forma recipitur in subjecto apto talis effectus; non tamen quando recipitur in subjecto inepto; tunc enim benè potest à Deo impediri, imo non potest dici, quòd impediatur à Deo, cum talis effectus ex se repugnet communicari tali subjecto.

4 Hoc enim non valet; est enim sinistra interpretatio authoritatis Scoti; nam loco citato dicit: *Angelus non potest esse albus, quia nullo modo susceptivus est formæ hujus, sive ista forma poneretur divisibilis, sive non.* In quibus verbis apertè denotat, albedinem neque divisibiliter, neque indivisibiliter posse recipi in Angelo, eò quòd nullo modo ex prædictis Angelus est susceptivus albedinis: & etiam denotat, quòd si albedo aliquo ex prædictis modo reciperetur in Angelo, Angelus esset albus: ergo bene sequitur, quòd ex eo, quòd Angelus nullatenus possit recipere albedinem, nequeat esse albus: & similiter quòd repugnet, Angelum aliquomodo recipere albedinem ex eo, quod nequeat recipere effectum formalem illius; scilicèt, esse album; & consequenter juxta verba Scoti

ſemper teneat hæc propoſitio, *cui repugnat effe-ctus formalis forma, repugnat ipſa forma.*

5 Deinde. Scotus citatus *verſ. Nunc quidem*, habet hæc verba: *Nunc quidem eſt duplex ratio? quare non poteſt eſſe albus, una eſt extenſio in ipſa forma, & inextenſio Angeli, alia ratio, quia hæc forma, eſt hæc, forma, & Angelus eſt Angelus & ſecunda ratio eſt eſſentialis ratio impoſſibilitatis: prima non ergo prima ablata, eſt poſſibilitas; nulla eſt conſequentia.* Hæc Scotus. Ex quibus verbis clarè deducitur, potiſſimam rationem, qua Angelus nequit eſſe albus, non eſſe extenſionem albedinis, ſed repugnantiam entitatis ipſius albedinis cum entitate Angeli, quomodocumque albedo ſumatur. Adducatur ergo ratio ex alio capite ab oppoſito noſtræ concluſioni tenente, quam fortè difficulter inveniet, & ne Scotus, præter ſuam intentionem, in ſenſus peregrinos ducatur.

6 Dicimus 2. datur in aliquibus potentia obedientialis paſſiva in ordine ad recipiendas aliquas formas. Hæc concluſio communiter reciditur, & ratio pro illa eſt: quia tam intellectus, quàm voluntas recipiunt aliquas formas ſupernaturales, ut ſunt gratia, & habitus per ſe infuſi, quæ quidem formæ non producuntur ab aliquo agente creato, neque ab increato, ut auctore naturæ, ſed, ut agente ſupernaturali: hoc ſufficit, ut ſubjectum dicatur eſſe in potentia obedientiali paſſiva, ut dictum eſt num. 1. ergo. Solùm eſt advertendum, quod prædicta potentia in intellectu, & voluntate comparata ad prædictas formas, dicitur naturalis, prout naturale opponitur violento; & comparata ad agens, dicitur ſupernaturalis, eo quod non poſſit reduci ad actum ab aliquo agente naturali, ſed ſolùm à ſupernaturali agente; & in hoc ſecundo ſenſu dicitur potentia obedientialis; quæ quidem eſt eademmet potentia entitativè, & ſolùm differt penès diverſos reſpectus ad agens,

agens, scilicet & ad formam. Videatur Scotus q. 1. Prolog. lit. L.

7 Hic solet dubitari, an ut intellectus, & voluntas recipiant formas supernaturales, eleventur à Deo per aliquid in ipsis receptum? Hujus dubii resolutio propriè pertinet ad Theologiam; pro nunc tamen respondetur breviter negativè. Sic Scotus quæst. 1. Prol. §. *ad argumenta principalia, vers. Cum ultra*, lit. Z. Probatur: quia, vel id, per quod elevatur, est quid naturale, vel supernaturale? Si naturale: ergo, æquè intellectus, & voluntas manent improportionata ad recipiendas formas supernaturales, ac sine illo. Si supernaturale; ergo, vel debent proportionari, seu elevari per aliud superadditum ad illud supernaturale recipiendum; & tunc de illo idem posset inquiri; & sic in infinitum, quod non est admittendum; vel sicut ex se sunt proportionata ad illud supernaturale recipiendum, ita erunt proportionata ad recipiendas prædictas formas supernaturales; non enim apparet dispar ratio unius, quam alterius; ergo dicendum est intellectum, & voluntatem nullatenus elevari per aliquid in se receptum ad formas supernaturales recipiendas. Neque, ut aliquid recipiat aliquam formam, requiritur, quòd proportionentur in entitate, sed sufficit; quod ptoportionentur in ratione susceptivi, & susceptibilis; sicut enim corpus, & anima rationalis sic proportionantur, licèt in entitate non proportionentur; ita proportionantur intellectus, seu voluntas cum formis supernaturalibus.

6 Pro potentia obedientiali activa dicimus 2. in ordine; ut aliquid dicatur habere potentiam obedientialem activam debet habere ex se aliquam potentiam activam partialem, quæ dicitur virtus inchoata, & quæ nequeat compleri ab agente creato, sed tantùm ab increato concurrente, non generali concursu debito crea-

turæ, sed speciali, & indebito juxta ordinem naturæ. Conclusio est communiter recepta inter Scotistas, & prob. quia creatura, quæ producit aliquid ratione potentiæ obedientialis, immediatè attingit effectum; aliàs non diceretur propriè causa illius: sed si non haberet aliquam virtutem activam non sic attingeret effectum: ergo. Prob. min. quia si non haberet talem virtutem, non per se, sed per aliud superadditum, quod illi imprimeretur, ut elevaretur, attingeret effectum: ergo non elevaretur ad producendum effectum, sed ad hoc, ut illud in se receptum talem effectum produceret quod non est dicendum; & consequenter, ut creatura attingat aliquem effectum ratione potentiæ obedientialis debet habere aliquam partialem, seu inchoatam virtutem activam; præcipuè, si potentia obedientialis sit in ordine ad rationem causæ principalis, in quò sensu intelligitur quæstio: nam quid sit tenendum circa rationem causæ instrumentalis suo loco dicetur.

9 Dicimus 3. in aliquibus rebus creatis datur potentia obedientialis activa, modo explicato, ad aliquos effectus producendos. Sic communiter Scotistæ cum Scoto in 3. dist. 4. lit. E. & G. ubi asserit B. V. MARIAM posse dici matrem naturalem Christi, eò quòd in generatione illius operata est potentia naturali activa; & similiter propter modum exequendi talem operationem posse dici miraculosè operatam fuisse; ideòque, habere potentiam obedientialem respectu talis miraculosæ operationis. & in 4. dist. 49. qu. 11. §. *ad argumenta, vers. Ad aliud secundum*, sub lit. K. ubi denotat intellectum nostrum habere potentiam activam respectu visionis beatificæ, quæ nequeat se sola beatificam visionem producere, nisi adjuta speciali concursu Dei illi indebito juxta ordinem naturæ.

Ex

10 Ex quibus facilè deducitur ratio pro concluſ. quia tunc dicitur aliquid habere potentiam obedientialem activam, quando habet aliquam virtutem ad producendum effectum, quæ talem effectum nequeat producere ſine juvamine ſpecialis concurſus naturaliter indebiti: ſed talis potentia modo dicto datur in B. V. Maria reſpectu generationis Chriſti, & in intellectu reſpectu viſionis beatificæ: ergo datur potentia obedientialis activa in aliquibus rebus creatis ad aliquos effectus ſupra naturam producendos. Hæc ratio convincit ex ſuppoſitione explicationis potentiæ obedientialis, niſi hoc ad quæſt. de nomine reducatur; & etiam ex ſuppoſitione, quòd intellectus noſter concurrit activè partialiter cum lumine gloriæ ad productionem viſionis beatificæ, eò quòd in illa, & eſt ſupernaturalitas correſpondens lumini gloriæ, & eſt vitalitas correſpondens intellectui, quod latè exagitatur in Theologia, & ab illo pro nunc abſtinemus, ſicut etiam ab alia quæſt. an, ſcilicet, generatio Chriſti, & productio viſionis beatificæ ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam, vel quoad modum? Hæc enim, potius quam hujus, ſunt Theologici inſtituti, quamvis non parum ad hujus quæſt. intelligentiam conducant; non tamen nobis licèt in omnibus immorari.

11 Dicimus 4. non datur potentia obedientialis activa in qualibet re creata ad quemlibet effectum producendum. Concluſio eſt communis Scotiſtarum conſenſus, & deducitur ex Scoto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. §. *ad quaſtionem ergo*, litt. EE. ubi dicit: *Etſi enim poſſet Deus creare frigus, non tamen per calorem, ita quòd calor ſit in aliquo ordine cauſa activa reſpectu frigoris*: Ex quibus verbis clarè deducitur, juxta mentem Scoti, non dari in calore potentiam obedientialem ad producendum frigus. Pluribus rationibus ſolet concluſio ab Scotiſtis probari, quas

omnes valdè molestum, & à brevitate nostri tractatus alienum esset proponere; præcipuè tamen.

22 Probatur primò: quia ut in aliquo detur potentia obedientialis ad aliud producendum præter ordinem naturæ, debet habere aliquam virtutem partialem, vel inchoatam, qua simul cum speciali concursu Dei illud effectivè attingat, ut patet ex supradictis: sed non datur talis virtus partialis, seu inchoata in omnibus rebus creatis respectu cujuslibet effectus: ergo non datur in omnibus rebus creatis potentia obedientialis ad quemlibet effectum producendum. Prob. min. quia nequit unum contrarium habere aliquam virtutem innatam ad aliud contrarium producendum, v. g. ignis ad producendum aquam, vel frigiditatem; vel aqua ad producendum ignem, vel calorem, &c. ergo non in omnibus datur talis virtus ad quodlibet producendum. Prob. antec. quia, si daretur talis virtus, flueret à principiis intrinsecis, & essentialibus rei: sed nihil habet potentiam fluentem à suis principiis, quæ sit productiva alicujus oppositi suæ essentiæ, & conservationi, seu illius destructivi, ut est ignis, & calor respectu aquæ, &c. cùm potiùs omnia ex sua intrinseca natura suam conservationem appetant: ergo.

23 Probatur secundò: quia si aqua v. g. haberet talem virtutem innatam ad producendum ignem, vel calorem cum aliquo Dei concursu, posset naturaliter ignem, & calorem producere: hoc non est dicendum: ergo nullatenus habet talem virtutem. Prob. sequela: quia ex eo aqua producit naturaliter frigus, & quia ipsum producit sua innata virtute, & quia ipsum frigus non est supernaturale, nec altioris ordinis, quàm aqua: sed neque ignis est supernaturalis, neque altioris ordinis, quàm aqua, & idem dicendum est de calore: ergo si aqua habet ali-

quam

quam innatam virtutem ad producendum calorem, & ignem, naturaliter poterit illos producere.

14 Neque valet, si respondeant, esse disparitatem; quia, licèt aqua habeat aliquam innatam virtutem ad producendum ignem, & calorem; sicut habet virtutem ad producendum frigus; tamen non est nata producere ignem, & calorem, nisi cum concursu supernaturali, & miraculoso; sicut est nata producere frigus sine tali concursu, posito concursu naturaliter debito. Hoc non valet; nam contra est: si aqua habet innatam virtutem ad producendum calorem, & ignem, sicut habet ad producendum frigus, non est cur non debeatur naturaliter concursus ad producendum calorem, sicut ad producendum frigus; quod patet; quia, ut supra dictum est, tam naturalis esset aquæ virtus ad producendum calorem, quàm ad producendum frigus, & deinde, sicut frigus non est quid supernaturale, neque altioris ordinis, quàm aqua, ita neque calor: sed ex nullo alio capite potest provenire, quòd concursus Dei sit supernaturalis, & indebitus: ergo si datur virtus innata in aqua ad producendum calorem, sicut ad producendum frigus, non minus naturalis, & debitus est concursus Dei ad unum, quàm ad aliud; ac per consequens, &c.

15 Si autem dicant, adhuc esse disparitatem; quia ex eo aqua exigit naturalem concursum ad producendum frigus, non verò ad producendum calorem; quia frigus est conservativus aquæ, non verò calor; Contra est: quia posita in aqua innata virtute ad producendum calorem, sicut ad producendum frigus, non facilè assignabitur ratio, propter quam calor non sit conservativus aquæ, sicut frigus; si enim, supposita tali virtute, aliqua inveniatur ratio, cur calor non sit aquæ conservativus? assignetur, ut possit impugnari; si enim non assignetur, impu-

gnari non poterit. Neque valet recurrere ad experientiam, qua videmus, aquam manere, dum manet frigus; & ordinariè reduci se ad frigus, ablatis impedimentis; quia posset dici, hoc posse provenire ex decreto Dei de concurrendo ordinariè cum aqua ad producẽdum in se frigus; & quòd, si Deus decrevisset concurrere cum aqua ordinariè ad producendum in se calorem, etiam se reduceret frequentiùs ad calorem, quàm ad frigus, ablatis impedimentis, & naturaliter conservaretur cum calore, sicut conservatur cum frigore: unde constat, quòd, posita tali virtute in aqua ad producendum calorem, tam naturaliter debitus esset aquæ concursus Dei ad producendum calorem, quàm ad frigus producendum: ne ergo hoc concedatur, dicendum est, non dari in aqua talem virtutem; & consequenter, neque potentiam obedientialem ad quodlibet producendum.

16 Hic potest dubitari; in quibus rebus creatis inveniatur hæc potentia obedientialis activa ad producendos aliquos effectus cum speciali, & indebito concursu Dei, quos cum communi concursu, & naturaliter debito producere non valent? Resp. talem potentiam solum inveniri in rebus, quæ ex se aliquomodo habent aliquam proportionem ad productionem talis effectus, quæ proportio stat in hoc, quòd res productiva possit naturaliter producere aliquem effectum similem illi, qui supernaturaliter est producendus; & quòd talis supernaturalis effectus ita dicat ordinem ad talem rem in ratione producibilis, quòd nequeat ab alia causa produci; ideò enim dicimus, in intellectu dari prædictam potentiam ad supernaturaliter producendam visionem beatificam; & quia potest intellectus naturaliter producere similem effectum, scilicet, intellectionem abstractivam Dei, & plures alias intellectiones, quæ aliquam similitudinem habent cum visione beatifica; &

quia

quia beatifica visio in ratione producibilis, ita dicit ordinem ad intellectum, ut solùm ab illo, & non ab alia causa petat produci. Neque videtur ad hoc potiorem rationem assignari posse.

17 Etiam potest dubitari, quomodo prædicta activa potentia elevetur à Deo ad producendos effectus supernaturales? Potest responderi pro nunc, hoc posse fieri à Deo, vel per aliquid intrinsecè receptum in ipsa potentia; ut communiter contingit; nam habitus supernaturales intrinsecè recipiuntur in intellectu, & voluntate ad simul cum illis supernaturales effectus producendos; & idem contingit in lumine gloriæ, quod intrinsecè recipitur in intellectu ad simul cum illo beatificam visionem producendam. Vel per aliquid extrinsecum, scilicet, per concursum Dei specialem supplentem concursum illius intrinseci; eò quòd benè potest Deus supplere concursum causæ efficientis, & se ipso immediatè producere quidquid, mediis causis secundis, producit. Diximus: *pro nunc*; quia totalis resolutio hujus dubii est propria instituti Theologici, non autem Philosophici.

18 Arg. 1. non videtur repugnare virtus inchoata in qualibet creatura ad quemlibet effectum producendum supra naturam cum speciali concursu Dei: ergo in qualibet creatura datur potentia obedientialis activa ad quodlibet producendum. Antecedens probatur ex eo, quòd ex opposito videtur coarctari potentia Dei; quia non posset producere quoslibet effectus per quascumque causas, quod videtur imperfectio in Deo, quę nullatenus est admittenda: ergo non repugnat talis virtus in qualibet creatura; ac per consequens, &c. Resp. neg. antec. & antecedens probationis; vel quatenus dicit, quòd esset imperfectio in Deo non posse, mediis quibuscumque causis secundis, quoscumque effectus pro-

ducere; cùm impossibilitas non desumatur ex parte Dei, sed ex parte causarum secundarum, quibus ex sua natura repugnat habere virtutem inchoatam ad omnes effectus producere. Unde non coarctatur potentia Dei; hæc enim solum ad possibilia se extendit; imò, ut benè notavit Poncius, potius videtur extendi potentia Dei, in nostra sententia, magis quàm in contraria, nam ex nostra sequitur, Deum posse producere aliquas creaturas, quæ habeant potentiam obedientialem ad aliquos effectus producendos, & aliquas, quæ talem potentiam non habeant: & similiter posse producere aliquos effectus, qui à causis secundis produci possint, & aliquos, qui non possint. En quomodo non coarctatur potentia Dei per hoc, quòd non detur talis potentia in creaturis ad omnes effectus producendos.

19 Arg. 2. intellectus habet potentiam obedientialem activam, qua simul cum speciali concursu Dei possit producere actus supernaturales: ergo idem dicendum est de qualibet alia creatura in ordine ad supernaturales effectus. Resp. neg. conseq. & ratio disparitatis desumenda est ex dict. num. 16. Videantur, ne iterùm repetantur sine necessitate.

20 Arg. 3. in omni creatura datur potentia obedientialis passiva ad quamlibet formam recipiendam: ergo etiam datur potentia obedientialis activa ad producendum quemlibet effectum. Prob. conseq. quia difficilius videtur, quòd aliqua forma dependeat à subjecto, quod naturaliter non respiciebat, quàm, quòd effectus dependeat à causa extrinseca, ad quam naturaliter non dicebat ordinem; quia imperfectior modus dependendi est dependere à causa materiali, quàm ab efficienti. Qui tenent, in qualibet re dari potentiam obedientialem passivam ad quamlibet formam recipiendam, respondent, concesso antecedenti, negando con-

consequentiam, & assignant aliquas rationes disparitatis. Videatur Poncius in Physica disp. 9. quæst. 10. Nos autem negamus antecedens, juxta dicta concl. 1. hujus quæst.

QUÆSTIO VII.

De pertinentibus ad causam instrumentalem.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primò cum Scoto in 4. dist. 1. quæst. 5. §. *ad primam ergo, vers. Ad intellectum*, lit. F. instrumentum multipliciter posse sumi. Primò pro omni causa secunda, quatenus primæ subordinatur; quapropter dicitur, Deum operari mediis causis secundis. Secundò pro eo, quod est pars, per quam totum agit; & in hoc sensu intelligitur Philosophus 2. de anima, dum organa sensuum, & aliarum potentiarum, instrumenta ad operandum appellat. Tertiò pro illo, quod disponit subjectum, ut agens principale suum effectum producat; hoc modo calor existens in igne potest dici instrumentum ipsius ignis, quatenus disponit subjectum, ut ignis alium ignem producat. Quartò pro illo, quod deservit Artifici ad artefactum efficiendum.

2 Notandum est secundò, quod instrumentum in primo sensu solum potest dici distingui à causa principali, intelligendo per causam principalem, causam primam, cui omnes causæ secundæ subordinantur, & à qua dependent; hæc autem est impropria acceptio instrumenti; causæ enim secundæ, licet cum subordinatione, & dependentia ad primam, verè, ut causæ principales attingunt suos effectus. In secundo autem sensu, potest dici distingui instrumentum à causa principali, quatenus organa non sunt propriè causæ, sed tantùm quædam dispositiones requisitæ ex parte ipsius causæ ad

agendum, seu ad suas operationes exercendas. In tertio, & quarto sensu accipitur propriè instrumentum; instrumentum enim propriè dicitur, quòd deservit agenti ad suum finem consequendum, seu ad effectum per se intentum producendum; quapropter

3 Instrumentum propriè dictum solet dici; vel supernaturale, vel naturale, vel artificiale. Supernaturale dicitur illud, quod inservit agenti supernaturali ad aliquid efficiendum, cui ex natura sua non ordinatur, sed solum ex divina dispositione; in quo sensu sacramenta solent dici causæ instrumentales gratiæ. Naturale dicitur, quod inservit agenti naturali ad aliquod opus naturale efficiendum, cui ex sua natura aliquomodo proportionatur; in hoc sensu calor dicitur causa instrumentalis ignis in ordine ad producendum ignem. Artificiale dicitur, quod inservit agenti principali ad aliquod opus artificiale efficiendum, ut serra, maleus &c. Nunc est difficultas; quomodo instrumentum concurrat ad effectum causæ principalis; & quomodo ab ipsa causa principali distinguatur? Et præcipuè procedit de instrumento artificiali, quod strictè, & rigorosè dicitur instrumentum, & à quo nomen instrumenti in alia per analogiam derivatur; tamen aliqua circa instrumenta alia attingemus; licèt, quæ ad instrumentum supernaturale pertinent, sint propria instituti Theologici.

4 Dicimus 1. (loquendo de instrumento naturali) instrumentum naturale, licèt sit activum, non attingit immediatè, nec aliquomodo virtute propria effectum causæ principalis, sed tantùm attingit aliquam dispositionem præviam ad effectum causæ principalis. Conclusio in re est communis inter Scotistas; & hoc exemplo explicatur, calor v. g. est, & dicitur instrumentum naturale ignis, quatenus deservit igni ad ignem producendum; qui quidem calor est acti-

activus; & tamen propria actione solum attingit calorem, quem, ut præviam dispositionem producit in subjecto; nullatenus tamen attingit effectivè productionem ignis, ut dictum est quæst. 3. hujus disp. Videantur ibi dicta, ex quibus ratio pro hac conclusione desumenda est. Solum est advertendum, quòd calor non dicitur instrumentum ignis, quatenus per suam actionem producit calorem; ut sic enim non est causa instrumentalis, sed principalis, quippe per se, & immediatè producit calorem, sicut quælibet alia causa principalis producit suum effectum; dicitur autem causa instrumentalis ignis, quatenus productio caloris disponit subjectum, ut ignis possit in ipsum inducere suum effectum, scilicet formam ignis. Quod benè nota.

5 Dicimus 2. Instrumentum artificiale non est propriè activum. Hanc conclusionem, ut oppositam probabiliorem tenet Scotus in 4. dist. 1. quæst. 5. §. *ad primam ergo quæstionem, vers. De isto autem*, sub lit. F. Probatur ab ipso Scoto; quia in instrumento artificiali, v. g. in serra, non est nisi quantitas, figura, & motus localis: hæc omnia, ut ex se patet, non sunt activa: ergo instrumentum artificiale non est activum. Si autem dicas, inquit Scotus, duritiem instrumenti esse qualitatem activam; contra est: quia, si Deus conservaret aliquod quantum molle in eadem quantitate, & figura movendo ipsum localiter, æquè divideret aliquod corpus, sicut modò instrumentum durum dividit: ergo durities, quæ est qualitas, non est formale principium agendi.

6 Deinde, inquit Scotus, ubicumque est formalis incompossibilitas in aliquibus, unum illorum non expellit aliud activè, sed tantùm formaliter; agens autem inducens unum effectivè, expellit aliud effectivè: corpora autem videntur habere incompossibilitatem respectu ejusdem *ubi*, sicut qualitates contrariæ respectu

ejus-

ejusdem subjecti : ergo sicut idem agens effectivè inducit calorem, & expellit frigus; calor autem non effectivè sed tantùm formaliter frigus expellit, ita agens inducens unum corpus, expellit aliud effectivè ab eodem *ubi*; unum autem corpus non expellit aliud effectivè, sed tantùm formaliter: sed divisio ligni per serram, v.gr. tantùm est quædam expulsio partium ab *ubi*, ad quod movetur securis ab ipso artifice cædendo: ergo talis divisio non provenit effectivè, nisi ab agente movente serram, à serra autem tantùm formaliter, propter incompossibilitatem formalem ipsius serræ, & partium ligni in eodem *ubi*.

7 Neque obstat, quòd Scotus in 4. dist. 49. quæst. 16. §. *ad primum argumentum vers. Ad secundum dico*, teneat, duo corpora quanta non dicere repugnantiam formalem inter se; quia ibi loquitur de formali repugnantia propria, & stricta, quæ datur inter qualitates contrarias circa idem subjectum; qualem repugnantiam non habent duo corpora quanta; non enim respiciunt subjectum; habent tamen quamdam similem repugnantiam; nam sicut duæ qualitates contrariæ repugnant inter se, respectu ejusdem subjecti; ita duo corpora quanta repugnant respectu ejusdem *ubi*, quod sufficit, ut possint aliquomodo dici repugnare formaliter, ut dicitur ab Scoto citato pro nostra ratione; & etiam sufficit ad nostrum intentum.

8 Dicimus 3. Instrumentum artificiale non attingit effectivè effectum causæ principalis. Conclusio deducitur ex præcedenti; & probatur: quia omne, quod effectivè attingit aliquem effectum, debet habere aliquam virtutem activam aliquomodo effectui proportionatam: sed juxta dicta conclusione antecedenti instrumentum artificiale nullam habet activitatem: ergo non attingit effectivè effectum causæ principalis.

9 Respondent, quòd, licet instrumentum non habeat ex se aliquam virtutem activam, recipit tamen aliquam virtutem derivatam à causa principali in actuali motione. Sed contra est: quia, si instrumentum per virtutem derivatam à causa principali attingit effectum, non erit instrumentum, sed causa principalis partialis: ergo ad rationem instrumenti non debet recipere aliquam virtutem activam à causa principali. Neque valet, quod aliqui dicunt, scilicet, non esse causam principalem, adhuc partialem; quia ad hoc erat necessarium, quod haberet talem virtutem permanenter, & in esse quieto: instrumentum autem solùm habet illam virtutem transeunter; & in actuali motione. Hoc non valet: tum quia ad rationem causæ sufficit habere virtutem, quando actualiter causat, & per accidens se habet, quòd ante, vel post actualem causationem, talis virtus sit, & permaneat. Tum etiam quia prædicta virtus posset conservari à Deo permanenter: sed in tali casu eodem modo ageret instrumentum, ac si tantùm transeunter haberet talem virtutem: ergo quòd virtus sit transiens, vel permanens, nihil est, ut causa dicatur instrumentalis, vel principalis; ac per consequens, ut instrumentum à causa principali distinguatur, dicendum est, nullatenus attingere effectivè effectũ causæ principalis:

10 Neque obstat, quòd Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *ad quæstionem ergo*. lit. DD. videatur tenere instrumentum esse activum: & §. *ad argumenta principalia*. *vers. Ad ultimum*, lit. RR. distinguat instrumentum à causa principali, in hoc, quòd causa principalis habeat formam activam in esse quieto, instrumentum autem illam recipiat in actuali motione. Hoc non obstat; quia, ut patebit litteram scrutanti, loquitur permissivè, non tamen assertivè, inquit enim primo loco citato: *si instrumentum ponatur propriè activum*. Absolutè tamen loquendo

de

de instrumento artificiali, negat esse activum, loco citato pro nostra conclusione. Deinde, ibidem §. *Contra opinionem istam, vers. Secundum exemplum*, lit. C. expressè tenet, instrumentum artificiale nullam formam, seu virtutem activam recipere in actuali motione à causa principali; inquit enim: *Secundum exemplum de instrumento artificis non concludit, valdè enim improbabile videtur, quòd aliqua forma toties causaretur in serra, quoties movetur ab artifice; & toties desinat esse, quoties desinit actu moveri.* En quomodo nostra conclusio nullatenus opponitur Scoto; imò innititur principiis ipsius.

11 Arg. contra: instrumentum est aliquomodo causa effectus principalis: (aliàs non rectè diceretur causa instrumentalis illius) sed de ratione causæ est virtualiter continere effectum: ergo instrumentum habet aliquam virtutem activam respectu effectus principalis. Deinde: si instrumentum nullam habet virtutem activam respectu effectus principalis, & aliquomodo cum illo proportionatam, quodlibet posset assumi pro instrumento cujuslibet: hoc non est dicendum: ergo instrumentum habet aliquam virtutem activam respectu principalis effectus.

12 Resp. disting. min. de ratione causæ est virtualiter continere effectum, virtualiter effectivè, si sit causa principalis, concedo; si sit causa instrumentalis, nego; instrumentum enim, licèt aliquomodo dicatur continere effectum principalem; non tamen effectivè, sed aliter, quatenus scilicet deservit causæ principali pro fine assequendo, & effectu principali producendo; ita ut non propriè possit dici, instrumentum producere effectum, sed potius causam principalem suam virtutem activam exercere, & effectum producere medio instrumento, quo utitur; & in hoc sensu, extendendo nomen continentiæ virtualis, potest dici, instrumentum virtualiter continere principalem effectum.

13 Ut autem hoc clarius percipiatur, & ratio instrumenti, ut à causa principali distincti, claritate possibili dignoscatur; semper præ oculis habendum est, causam principalem dici illam, quæ propria virtute effectiva, sive se sola, ut causa totalis (non excluditur concursus causæ primæ cum secunda) producit effectum; sive cum consortio alterius concausæ, sive naturalis, sive supernaturalis, ut causa partialis effectum producit, ita ut in sua causatione nullatenus alteri causæ deserviat, seu famuletur; unde per oppositum instrumentum seu causa instrumentalis debet dici illa, quæ non attingit effectum causæ principalis aliqua virtute effectiva, & deservit, seu famulatur causæ principali in sua causatione.

14 In quo autem consistat hæc famulatio, deducitur ex Scoto locis in tota quæstione citato: itaque instrumentum naturale in tantùm dicitur famulari causæ principali, in quantum producit aliquam dispositionem præviam in materia ordinatam ad productionem effectus causæ principalis: hoc modo calor dicitur instrumentum ignis; quia producit in subjecto calorem disponentem ad productionem ignis. Instrumentum verò artificiale intantùm dicitur famulari causæ principali, in quantum recipit aliquem effectum prævium ordinatum ad principalem effectum, vel quatenus est aliquis effectus prævius ad effectum principalem ordinatus. Videatur Scot. q. 5. cit. *vers. Tenendo igitur*, lit. G. hoc modo serra dicitur instrumentum, quatenus recipit motum à causa principali, qui quidem motus est effectus prævius ad effectum principalem ordinatus; & similiter ipse motus serræ potest dici instrumentum; sicut enim dicimus lignum dividi per serram, ita dicimus dividi per motum serræ.

15 Unde ulteriùs sequitur, instrumentum, seu causam instrumentalem, non meliùs posse describi, quàm dicendo: *Causa instrumentalis est*,

est, quæ non attingit effectivè principalem effectum, sed tantùm inservit, seu famulatur causæ principali pro fine, & effectu principali assequendo. Quæ descriptio patet ex supradictis. Diximus; *non attingit effectivè effectum principalem*: quia formaliter benè potest aliquod instrumentum illum attingere; serra enim formaliter, modo supra explicato expellit partes ligni ab *ubi*, quod anteà habebant; vel materialiter; calamus enim deservit causæ principali, tanquam materia, seu vehiculum deferens unum corpus, ut alteri conjungatur. Ex quibus universaliter dicendum est, quòd sicut causa principalis explicatur per habitudinem *à quo*; est enim *id, à quo aliquid fit*; ita causa instrumentalis explicatur per habitudinem *per quod*; est enim *id, per quod aliquid efficitur à causa principali.*

16 Ad secundum num. 11. propositum, respondetur neg. maj. quia licèt instrumentum artificiale nullam habeat virtutem activam respectu principalis effectus, debet tamen habere aliquam proportionem cum effectu ratione suæ quantitativæ figuræ: quod sufficit, ut non quodlibet instrumentum ad quemlibet effectum assumi possit, sed unum instrumentum ad unum effectum, & aliud ad alium.

17 Hic possunt aliqua dubitari. Primò, an instrumentum necessariò deserviat causæ principali? Resp. quòd si instrumentum sumatur formaliter ut tale, necessariò deservit causæ principali; non verò si materialiter sumatur. Prima pars patet; quia instrumentum, ut patet ex supradictis, est id, per quod aliquid fit à causa principali: ergo formaliter ut tale necessariò deservit causæ principali. Patet etiam secunda pars; quia instrumentum materialiter sumptum, seu ipsa res, quæ est instrumentum, potest, seclusa causa principali, concurrere ad aliquid simile illi, ad quod causæ principali deser-

servit: ergo materialiter sumptum non deservit causæ principali. Quod omne sic debet intelligi; calor v.g. dicitur instrumentum ignis, quatenus igni deservit disponendo subjectum, ut in illo ignem producat, & ad hoc est destinatus à natura; similiter serra deservit artifici ad dividendum lignum in ordine ad aliquod artefactum; & sigillum etiam deservit artifici ad imaginem imprimendam; & ad hoc ab arte sunt destinata; & in hoc sensu dicuntur formaliter instrumenta, vel naturalia, vel artificialia. Potest tamen calor producere calorem in aliquo subjecto, quin igni deserviat ad ignem producendum; quod evenit quando calor existens in aqua producit calorem in aliquo subjecto. Similiter serra, vel sigillum possunt sua naturali gravitate dividere lignum, & imaginem imprimere absque eo, quòd ab aliqua alia causa moveantur; & in hoc sensu dicuntur materialiter instrumenta, non verò formaliter, cùm nec naturæ, nec arti, seu causæ naturali, nec artifici deserviant. Ubi advertendum est, quòd, ut instrumentum artificiale dicatur formaliter tale, non necessariò requiritur, quòd motus localis, productus ab artifice, recipiatur in ipso instrumento, sed sufficit, vel, quòd recipiatur in illo, ut communiter evenit; vel, quòd recipiatur in passo, ut si artifex moveat lignum super serram, & ceram super sigillum: in utroque enim sensu deservit instrumentum artifici.

18 Secundò potest dubitari, ad quod genus causæ reducatur instrumentum? Resp. reduci ad genus causæ efficientis, ad quod genus illud reduxit Arist. 5. Met. cap. 2. & 2. Physic. 31. Et probatur ratione: quia instrumentum in ratione talis tantùm habet inservire causæ efficienti principali, per quod dicitur talis causa aliquid efficere: ergo debet reduci ad genus causæ efficientis. Antecedens patet; quia, licèt instru-

men-

mentum habeat rationem causæ formalis, vel materialis, ut dictum est de serra, & calamo; & etiam habeat rationem causæ efficientis principalis, ut calor in productione caloris; tamen hæc omnia materialiter se habent ad rationem instrumenti, ut dictum est num. antec. ergo de ratione instrumenti formaliter tantùm est causæ principali efficienti inservire; ac per consequens &c. Advertit tamen Mastrius, quòd extendendo nomen instrumenti ad omne illud, quod aliquomodo alicui causæ deservit, potest reduci ad omnia genera causarum; nam, sicut supradicta deserviunt causæ efficienti, ita media deserviunt fini, & dispositiones deserviunt materiæ, & formæ.

19 Dicimus 4. instrumentum supernaturale non attingit effectivè effectum causæ principalis. Hæc conclusio est communior consensus Scotistarum cum Scoto locis supra citatis contra Thomistas communiter: qui asserunt, intellectum elevatum instrumentaliter attingere effectivè visionem beatam, licèt lumen gloriæ sit tota ratio agendi principaliter, & sacramenta physicè instrumentaliter attingere productionem gratiæ elevata à Deo. Licèt autem hæc sit controversia Theologica, pro nunc probatur nostra conclusio assignando pro illa Theologica fundamenta; quia intellectus nullatenus dicitur instrumentum, sed causa principalis visionis beatæ, licèt partialis, eò quòd propria virtute, licèt cum consortio alterius, attingat productionem beatæ visionis, ita quòd lumen gloriæ non sit tota ratio agendi, ut dictum est quæst. antec.

20 Deinde, sacramenta non physicè, sed tantùm moraliter concurrunt ad creationem gratiæ: ergo nequeunt esse physica instrumenta gratiæ. Antecedens probatur; quia ex dicendis in Theologia gratia creatur: sed nulla creatura potest physicè attingere terminum crea-

creationis, hoc enim est proprium solius Dei: ergo. Rursus: si sacramenta physicè concurrerent ad gratiam, hoc esset, vel per virtutem propriam, vel per virtutem communicatam à Deo in actuali elevatione: non per propriam, ut omnes fatentur; neque per virtutem communicatam à Deo; tum quia talis virtus esset creata, & jam creatura attingeret terminum creationis, quod non est dicendum. Tum etiam quia jam non essent causæ instrumentales, sed principales, ut patet ex dictis in simili num. 9. ergo nullatenus sacramenta physicè concurrunt ad productionem gratiæ; ac per consequens, &c.

21 Dices; quomodo ergo sacramenta dicuntur instrumenta supernaturalia respectu productionis gratiæ? Resp. sic instrumenta dici, quia deserviunt agenti supernaturali ad producendam gratiam, per similitudinem ad instrumenta naturalia, & artificialia, quæ agenti naturali, & artificiali ad suos effectus producendos deserviunt. Sicut enim calor dicitur instrumentum naturale ignis, quatenus disponit subjectum ad ignis productionem, ita sacramentum potest dici instrumentum Dei, quatenus est aliquomodo dispositio, ut Deus in anima gratiam producat. Advertendum tamen est, quod, cùm sacramentum non sit dispositio ex natura sua simpliciter necessitans Deum ad productionem gratiæ, sed tantùm secundum quid, & ex divina dispositione; ideò non dicitur physicè instrumentum; sed tantùm moraliter. Videatur Scotus quæst. 1. citata, *vers. Intelligendum tamen*, lit. MM.

22 Deinde, sicut instrumentum artificiale dicitur tale, vel quatenus recipit aliquem effectum prævium ordinatum ad effectum principalem, vel quatenus est ipse effectus prævius; ita sacramentum dicitur instrumentum, non quatenus recipit aliquem prævium effectum or-

ordinatum ad productionem gratiæ, sed quatenus Sacramentum, sive susceptio Sacramenti est ille effectus, prior, & hoc non ex natura sua, sed ex divina dispositione, quapropter Sacramentum, non physicè: sed moraliter dicitur instrumentum. Videantur quæ diximus num. 13. & videantur Scotus ibi cit.

QUÆSTIO VIII.

De pertinentibus ad causam exemplarem.

1. EXemplar, seu causa exemplaris idem est, juxta communem acceptionem, ac idea, seu causa idealis; quod quidem exemplar potest esse externum, vel internum. Externum dicitur, quod artifex sibi ante oculos proponit ad aliquid efficiendum exemplari simile; sicut pictura, quàm inspiciens pictor ad illius similitudinem depingit. Internum dicitur quoddam intentionale idolum, quòd sibi in mente efformat artifex, ut aliquid ad extra ad illius similitudinem efficiat; ex quibus internum semper necessariò requiritur ad operationem artificis, non tamen externum; quapropter hic communiter de interno tractatur à Philosophis, sed quæ de illo dicuntur, suo modo externo possunt applicari; & communiter tantùm de idea, & exemplari creato in præsenti instituitur sermo; quia in Theologia loquendo de scientia Dei, ex instituto de ideis divinis latè tractatur; & plura, quæ ibi dicuntur; hic suo modo possunt applicari. Nunc autem est difficultas, quid sit idea, seu exemplar? An sit conceptus formalis, vel objectivus? Et ad quòd genus causæ reducatur?

2. Dicimus 1. pro primo quod inquirit quæstio: *Exemplar est ratio in mente artificis, secundùm quam aliquid est formabile ad extra ex intentione agentis determinantis sibi finem.* Hæc de.

definitio deducitur ex Scoto in 1. dist. 35. & ex D. Aug. ab ipso citato; & communiter admittitur, licet ab aliquibus aliis verbis tradatur, & sic explicatur. Dicitur: *Ratio in mente artificis*; quod idem est, ac cognitio, seu res cognita, de quo infrà. Dicitur: *Secundum quam aliquid est formabile ad extra*; quia effectus artificis fit ad similitudinem exemplaris, seu ideæ. Dicitur: *Ex intentione agentis*, per quod denotatur, quòd rationes, ad quarum similitudinem præter intentionem agentis, fiunt effectus, non habent rationem exemplaris, seu ideæ. Dicitur: *determinantis sibi finem*, per quod denotatur, quòd solùm rationes agentium intellectualium habent rationem exemplaris, seu ideæ; quia solùm agentia intellectualia finem sibi determinant.

3 Dicimus 2. pro secundo quod inquirit quæstio: ratio exemplaris, seu ideæ convenit conceptui objectivo, non verò formali. Sic Scotus citatus num. antec. §. *ad ista*, lit. J. quem sequuntur omnes Scotistæ, & plures alii citati à Mastrio disp. 7. quæst. 7. contra Thomistas communiter. Et præter authoritates, tam Sanctorum Patrum, quàm Philosophi, quibus solet probari, quas brevitatis causâ apud Mastrium cit. & alios videndas relinquimus; probatur ratione: quia agens dum operatur, assimilat suum opus ideæ, seu exemplari: sed non illud assimilat suæ cognitioni, sed rei cognitæ: ergo ratio ideæ, seu exemplaris non conceptui formali, sed objectivo convenit. Deinde: quia agens debet cognoscere ideam, ad cujus similitudinem operatur: sed non cognoscit conceptum formalem, sed objectivum: ergo non conceptus formalis; benè tamen conceptus objectivus est idea, seu exemplar. Prob. min. quia conceptus formalis non cognitione directa, sed reflexa cognoscitur: sed non est necessaria talis cognitio reflexa, ut artifex juxta ideam operetur;

tur imò, si repugnaret talis reflexa cognitio, si tamen rem faciendam perfectè cognosceret, perfectè operaretur: ergo.

4 Neque valet, quod aliqui respondent, scilicet, conceptum formalem cognosci ab artifice licet non cognitione reflexa formali, saltim reflexa virtuali; quælibet enim cognitio est aliquomodo sui ipsius cognoscitiva & quasi reflexiva supra seipsam. Hoc non valet; tum quia in tantùm debet idea esse cognita, in quantum ad illius similitudinem artifex operatur, sed non operatur ad similitudinem cognitionis, sed objecti cogniti; non enim assimilat domum ad extra suæ cognitioni: sed domui repræsentatæ: ergo. Tum etiam quia idea debet esse cognita explicitè, & ut *quod*; comparat enim artifex suum opus cum idea, comparatio autem fit inter objecta explicitè, & ut quæ cognita; sed cognitio licet aliquomodo esset reflexa virtualiter, non esset repræsentativa sui ipsius, ut *quod*, sed, ut *quo*: ergo. Ubi advertendum est, quòd conceptus formalis necessariò connectitur cum objectivo; & sic potest dici habere rationem ideæ ut *quo*, non verò, ut *quod*; vel melius, potest dici conditio simpliciter necessaria ad rationem ideæ, modo quo requiritur cognitio ut conditio necessaria ad rationem finis, ut suo loco dicitur.

5 Et potest confirmari nostra ratio à simili de exemplari externo; ibi enim est pictura v. gr. & visio illius: sed ratio exemplaris non tribuitur visioni, sed picturæ; non enim pictor depingit ad similitudinem visionis, sed ad similitudinem picturæ, ut ex se patet: ergo idem suo modo dicendum est de idea, seu exemplari interno: Hoc assumptum patet ex illo Exodi 25. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Ubi Deus Moysi loquebatur, & posuit illi pro exemplari ad operandum, non visionem, sed id, quod visioni mon-

monstratum est, quod apertè est objectum visionis.

5 Arguunt contra: conceptus objectivus est eadem res, quæ fit ad extra; sed res, quæ fit ad extra nequit esse idea, seu exemplar; ergo conceptus objectivus non est idea. Prob. min. quia idea est causa ideati, seu rei, quæ fit ad extra, & dirigit actionem agentis: sed nihil potest esse causa sui ipsius, neque potest dirigere actionem; qua fit; ergo res, quæ fit ad extra, nequit esse idea; seu exemplar. Resp. disting. mai. conceptus objectivus est eadem res, quæ fit ad extra, secundùm diversum statum, concedo; secundùm eumdem statum, nego. Similiter disting. min. res, quæ fit ad extra nequit esse idea, seu exemplar, secundùm statum, quem habet ad extra concedo; secundùm alium statum, nego. Eodem modo distinguenda est minor prob. nihil potest esse causa sui ipsius, secundùm eumdem statum, concedo; secundùm diversum statum, subdistinguo: nequit esse causa sui ipsius, ita ut verè & realiter influat in se ipsum, concedo, ita ut solum metaphoricè, seu regulativè concurrat ad productionem sui ipsius, nego. Verum enim est, quòd eadem res, quæ fit ad extra, est conceptus objectivus, sed dum est ad extra, habet esse, seu statum simpliciter, dum autem est in intellectu; habet esse, seu statum diminutum, & secundùm quid; & hoc modo potest dici causa exemplaris, seu idealis sui ipsius; maximè, cùm ad hoc non sit necessarium, quod physicè, & realiter, sed tantùm metaphoricè, & intentionaliter, ad productionem sui ipsius concurrat, ut infra dicetur: Quod patet à simili: idem enim est effectus in fieri, & in facto esse, & tamen propter diversum statum fieri effectus dicitur medium ad factum esse ipsius. Alia argumenta coincidunt cum præcedenti, & ex dictis facilè solvuntur, quapropter illa omittimus: & quia latè in Theologia proponuntur; & pro-

propter eamdem rationem omittimus aliquas auctoritates Sanctorum Patrum, quibus contrarii intendunt probare, ideam consistere in conceptu formali; pro nunc sufficiat dicere, quòd possunt explicari, ita ut non intelligantur de ratione formali ideæ, sed tantùm de conditione necessariò connexa cum idea, & ad ideam simpliciter requisita.

7 Dicimus 3. pro tertio quod inquirit quæstio: si causa exemplaris, seu idealis comparetur ad effectum, reducitur ad genus causæ efficientis. Conclusio est Scoti in 1. dist. 36. q 1. §. *contra ista*, *vers. Praetereà sexto*, sub litt. B. & est communior sententia Philosophorum, contra aliquos, & deducitur ex Arist. pluribus in locis, in quibus docet, agentia naturalia producere sibi similia per formam, artificialia verò per ideam; ex quo deducitur hæc ratio pro nostra conclusione: quidquid complet causam efficientem in esse talis, est aliquid illius, & ad ipsam reducitur: hujusmodi est causa exemplaris: ergo reducitur ad causam efficientem. Minor patet ex Arist. nam sicut forma naturalis complet agens naturale in ratione causæ efficientis naturalis; ita exemplar complet agens intellectuale in ratione efficientis exemplariter.

8 Ex quo deducitur cum Scoto citato, quòd idem est effectus artificis, & exemplaris; cum hac tamen differentia, quòd ab artifice provenit physicè, & realiter, ab exemplari autem solùm metaphoricè, & intentionaliter, quatenus ad similitudinem exemplaris producitur ab artifice. Unde etiam sequitur, quòd eadem est causalitas artificis, & exemplaris in actu primo, vel secundo, modo dicto de causalitate in communi; eadem enim virtus artificis, ut ab exemplari regulata, dicitur causalitas utriusque realiter, ut est artificis, metaphoricè verò, & intentionaliter, ut est exemplaris.

9. Di-

9 Diximus in conclusione: *si compararetur ad effectum*; quia si comparetur ad agens, potest reduci ad genus causæ formalis, quapropter Aristot. 2. Physic. 28. inter causas formales enumeravit exemplar. Et patet ratione: quia sicut se habet forma naturalis respectu naturalis agentis, ita se habet forma exemplaris respectu agentis intellectualis: sed forma naturalis in ordine ad agens naturale, pertinet ad genus causæ formalis; ergo ad idem genus debet reduci forma exemplaris in ordine ad agens intellectuale.

10 Argum. 1. contra conclusionem: finis est causa distincta ab efficienti: ergo etiam exemplar. Prob. conseq. quia ex eo finis distinguitur ab efficienti; quia est, cujus gratia aliquid fit: sed exemplar est ad cujus similitudinem aliquid fit: ergo etiam distinguitur ab efficienti. Confirmatur: quia finis pertinet ad efficiens, quatenus agit ut motus à fine: sed hoc non obstat, ut ab efficiente distinguatur: ergo quòd exemplar pertineat ad efficiens, quatenus operatur regulatum ab illo, non obstabit, ut ab efficienti distinguatur.

11 Resp. neg. conseq. & disting. maj. prob. finis distinguitur ab efficienti, quia est, cujus gratia aliquid fit, præcisè, nego; quia aliàs non complet efficiens in ratione talis, concedo. Similiter disting. min. exemplar est ad cujus similitudinem aliquid fit, præcisè, nego; ita ut compleat efficiens in ratione talis, concedo. Similiter respondetur ad confirmationem. Finis enim non pertinet ad efficiens, ut quid ipsum complens in ratione efficientis rationabiliter; imò jam supponit illud in esse talis constitutum, & postea ipsum movet per modum amati ad agendum à proposito: quod autem efficiens non operetur sine fine, hoc provenit ex eo, quòd ad effectum concurrunt omnes causæ; unde neque sine materia potest efficiens creatum operari, & tamen materia non reducitur ad genus causæ

QUÆSTIO IX.

De causis per accidens.

1 Licet Arist. egerit de causis per accidens, ut sunt fortuna, & casus, post tractatum de causis per se; tamen, quia aliquomodo videntur reduci ad causam efficientem, nos in præsenti disp. hanc de illis quæst. proponimus; in qua etiam de fato, quod casui opponitur, & de monstro, quod videtur effectus casus, vel fortunæ aliqua inseremus; & omissis aliquibus erroribus antiquorum, tam circa formam, quam aliqui Deum dixerunt rebus humanis præsidentem, easque pro libito, & sine ratione distribuentem; quàm circa fatum, quod aliqui explicabant dicentes, esse dispositionem causarum naturalium inter se, ex qua omnes effectus, etiam provenientes à voluntate, inevitabili necessitate succederent; aliqua ad omnia prædicta pertinentia, plus simplici recitatione ad aliqualem illorum notitiam, quàm controversia, & disputatione, breviter attingemus.

2 Dicimus 1. *fortuna est causa per accidens eorum, quæ raro eveniunt actione agentis ex electione*. Definitio deducitur ex Aristot. hic text. 52. & ex Scoto quæst. ultima quodlibetica, & communiter recipitur. Dicitur, *causa per accidens*; quia effectus fortuitus non per se intenditur, sed per accidens conjungitur cum effectu per se intento. Dicitur, *eorum, quæ rarò eveniunt*, quod intelligitur, ita ut rarò ponatur causa talis effectus, eò quòd rarò conjungitur effectus fortuitus cum effectu per se intento. Dicitur, *actione agentis ex electione*, quia effectus fortuitus solùm provenit ab agente intellectuali liberè, & ex electione operanti.

3 Dicimus 2. *casus est causa per accidens eorum,*

rum; quæ rarò eveniunt actione agentis sine electione. Definitio etiam deducitur ex Arist. explicatur sicut definitio fortunæ; & solùm differunt in hoc, quòd effectus fortuitus provenit ab agente libero ex electione, effectus verò casualis provenit ab agente naturali sine electione. Utrumque his exemplis solet explicari: quando enim homo excolendo terram, præter intentionem, invenit thesaurum, talis inventio dicitur effectus fortuitus, & homo dicitur fortuna, seu causa per accidens illius; quia per accidens connectitur inventio thesauri cum effectu per se intento ab homine ex electione operante: quando verò ventus commovet tegulas, & aqua cadit, & occidit hominem, talis occisio dicitur effectus casualis, & ventus dicitur casus; seu causa per accidens illius; quia per accidens connectitur occisio hominis cum effectu per se ventus operantis sine electione.

4 Unde aliqua possunt deduci. Primò, fortunam formaliter sumptam dicere habitudinem causæ ad effectum rarò evenientem, præter intentionem agentis; sumptam verò fundamentaliter, tantùm dicere entitatem agentis à proposito, seu ex electione. Idem suo modo dicendum est de casu, & similiter in sequentibus.

5 Secundò, quòd licèt fortuna videatur inveniri in omni genere causæ, ut videre est apud Mastrium disp 7. quæst. 9. artic. 1. tamen rigorosè loquendo fortuna solùm reducitur ad causam efficientem; quia semper est in agente operante propter finem, & ex electione, quòd ut ex se patet, solùm est efficiens.

6 Tertiò; quòd respectu Dei non invenitur effectus fortuitus, quia cùm omnia prævideat, & sua altissima providentia disponat, nihil potest evenire, præter illius intentionem, dispositionem, vel permissionem; inveniri tamen potest effectus fortuitus respectu cujuscumque agen-

agentis creati ex electione operantis, & etiam Angeli; nulla enim apparet repugnantia in hoc, quod præter intentionem cujuscumque agentis creati, aliquid eveniat: respectu tamen pueri, & amentis nequit inveniri effectus fortuitus, benè tamen casualis; quia non operantur propter finem, & ex electione, sed in sua operatione assimilantur agenti naturali.

7 Quartò, ut notavit Scotus citatus, quòd ut effectus dicatur fortuitus, sit alicujus momenti; quia juxta communem usum loquendi non dicitur quis fortunatus ex eo, quòd illi aliquid parvi momenti prçter, intentionem, contingat. Ulteriùs requirit Scotus, quòd id, quod evenit, sit bonum; nam si sit malum, potius, dicetur homo infortunatus, quàm fortunatus, Hoc tamen videtur reduci ad quæstionem de nomine, quapropter aliqui dividunt fortunam in bonam, & malam, juxta bonitatem, & malitiam effectus.

8 Dicimus 3. fatum sic definitur à Boetio 4. de consolatione; *fatum est rebus mobilibus immobilis inhærens dispositio, iuxta quam divina providentia suis quaque nectit ordinibus*. Pro cujus intelligentia observandum est, fatum dupliciter posse sumi. Primò, pro actu divinæ voluntatis omnia disponente, & ordinante; & in hoc sensu nihil aliud est, quàm divina providentia, de qua agitur ex professo, in Theologia. Secundò, pro tali dispositione, & ordinatione, ut in causis secundis recepta; & in hoc sensu dicitur propriè fatum, ut sumitur in præsenti, & de quo intelligitur definitio; quapropter dicitur *dispositio inhærens rebus mobilibus*. Et dicitur *immobilis*, ut denotetur, talem dispositionem, à divina providentia provenientem, nullatenus posse mutari, cujus oppositum tenebant veteres Ægyptii, asserentes, posse mutari precibus, & sacrificiis; quod quidem falsum est; aliàs Deus esset mutabilis, quod nullatenus est dicendum; certum

tum enim est, quòd posita tali dispositione à divina voluntate, necessariò eveniunt omnes effectus ab æterno prævisos, & determinatos; quæ quidem necessitas est necessitas effectus, & ex suppositione, non autem necessitas causæ, & simpliciter; quia Deus ita suaviter disponit omnia, ut sinat causas secundas suos motus agere. Quomodo autem, cùm ista necessitate salvetur nostra libertas in operando, est difficultas ad Theologicum institutum spectans.

9 Unde aliqua possunt deduci. Primò, quòd breviùs sic fatum potest definiri: *est ordo causarum naturalium divinam providentiam exequentium*. Secundò, quòd fatum formaliter sumptum dicit relationem inter causas ordinatas à Deo; fundamentaliter verò dicit ipsas entitates causarum. Tertio, quòd fatum componitur ex omnibus causis; omnes enim à Deo sic ordinantur; præcipuè tamen videtur reduci ad causas efficientes. Quartò, quòd fatum distinguitur à casu, & fortuna in eo, quòd fatum per se respicit effectum; casus verò, & fortuna tantùm per accidens.

10 Dicimus 4. monstrum sic communiter definitur: *est effectus naturalis à recta, & solita dispositione secundùm speciem notabiliter degenerans ob aliquod impedimentum*. Quæ definitio deducitur ex Arist. 2. Physic. 82. & 4. de generat. animalium cap. 4. & sic explicatur. Dicitur *effectus naturalis*, per quod differt ab artefactis deficientibus à regulis artis, quæ non monstra, sed errores dicuntur. Dicitur *degenerans à recta, & solita dispositione*, per quod denotatur, quòd monstrum deficit à conditionibus requisitis ad effectus naturales ex vi generationis. Dicitur *secundùm speciem*, quod non est intelligendum, ita ut monstrum debeat esse diversæ speciei à sua causa; hoc enim per accidens se habet ad rationem monstri; sed ita ut conditio in qua deficit, debeatur ex vi generationis

na-

naturæ specificæ, in qua accidit monstrum; in defectu cujus conditionis, seu privatione perfectionis sic debitæ stat ratio formalis monstri. Dicitur *notabiliter*; quia communiter non dicitur monstrum, quod in parvo deficit. Dicitur *ob aliquod impedimentum*, per quod denotatur, quod ad monstrum duæ causæ concurrunt, altera impedita, quæ est virtus alicujus causæ completæ, & perfectæ, & altera impediens illam, ne suum effectum in statu perfecto consequatur; ut contingit quando ex defectu, vel excessu materiæ causa efficiens non consequitur suum effectum in statu perfecto: tunc enim generatur monstrum eo, quod causa efficiens à causa materiali impeditur. Plura capita solent assignari, quibus monstra contingunt, quæ apud recentiores videnda relinquimus, ne in re parvi momenti, & non multum necessaria, multum immoremur.

11 Hic solet dubitari, an monstrum sit intentum à natura? Communior responsio est, monstrum non esse per se intentum à natura, sed esse effectum purè fortunatum, vel casualem; quod patet; quia effectus fortuitus, seu casualis est ille, qui raro evenit, & à causis per accidens conjunctis; hujusmodi est monstrum; ergo: Deinde, quia agens, sive naturale, sive liberum ex natura sua tendit in effectum perfectiori modo possibili: sed monstrum non est effectus perfectus; imò deficiens à debita perfectione; ergo causa illius non tendit per se in illud. Diximus *per se*, quia, quod causa per accidens intendat monstrum, quatenus eo quod non possit effectum perfectum producere, imperfectum producere intendit, non videtur inconveniens. Aliis terminis solet dici, monstrum, non primariò, sed secundariò, esse intentum à natura.

12 Advertendum tamen est, quod hoc intelligitur de causis creatis; Deus enim per se intendit monstra, & quia respectu Dei nullus datur ef-

fectus casualis, vel fortuitus: & quia conducunt ad decorem, & pulchritudinem universi, ex varietate enim conformium, & difformium decor universi resultat; quapropter communiter dicitur, quod *opposita juxta se posita magis elucescunt*.

DISP. V.

De causa finali.

EGimus in præcedentibus de triplici genere causarum; materiali, scilicet formali, & efficienti; restat nunc agere de quarto, scilicet, finali, de quo plura exagitantur in Theologia in materia de actibus humanis; de illo tamen, ut ad Philosophiam spectat, loquimur in præsenti.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit finis?

1 DIcimus 1. *Finis est id, cujus gratia aliquid fit*. Sic Aristot. 2. Physic. & communiter Philosophi; cujus exemplum est: sanitas infirmi dicitur finis, quia infirmus sumit potionem amaram, & alia medicamenta sanitatis gratia, seu propter sanitatis consecutionem.

2 Dicimus 2. Finis multipliciter dividitur, (licèt aliqui varient in divisionum explicatione) Primò dividitur in finem *cui*, & in finem *cujus*. Finis *cui* dicitur illud subjectum, cui aliquid desideratur. Finis *cujus* dicitur id, propter cujus consecutionem aliquis operatur; sanitas enim dicitur finis, *cujus*, gratia enim illius, seu propter illam consequendam, operatur, tam medicus, quàm infirmus; ipse verò infirmus dicitur finis *cui*, quia ipsi desideratur saniras.

Ubi

Ubi advertendum est, finem *cujus*, etiam dici ab aliquibus finis *qui*, eò quod sit id, quod desideratur.

3 Secundò dividitur finis in finem *quo*, & in finem *qui*, seu, quod idem est, in finem formalem, & objectivum. Finis formalis, seu *quo* dicitur operatio, qua aliquid consequitur. Finis *qui* dicitur id, quod consequitur per operationem; visio enim beata dicitur finis *quo*, seu formalis; quia est operatio, qua Deus consequitur; ipse verò Deus dicitur finis *qui*; quia est id, quod per operationem consequitur.

4 Tertiò dividitur finis in proximum, & remotum; seu in ultimatum, & non ultimatum. Finis proximus, & non ultimatus dicitur ille, qui licèt propter se appetatur, adhuc ordinatur ad aliud. Finis remotus & ultimatus dicitur ille, qui ita propter se appetitur, ut ulteriùs ad aliud non ordinetur; sublevatio pauperis per eleemosynam, dicitur finis proximus; & non ultimatus, eò quod ulterius ordinetur ad impetrandam divinam misericordiam; Deus autem dicitur finis remotus, & ultimatus; quia omnia ad illum ordinantur, ipse autem non ordinatur ad aliud. Ilio dicitur finis ultimatus simpliciter, eò quod ex natura sua non est ordinabilis ad aliud; potest tamen, propter imperfectum modum operandi creaturæ, ad aliud ordinari: ut si quis intendat, Deum consequi propter propriam convenientiam. Potest etiam dari finis ultimatus secundùm quid, & erit ille, qui, licèt ex natura sua sit ad aliud ordinibilis, non tamen de facto ordinatur in intentione agentis, ut si quis elargitur eleemosynam propter sublevationem pauperis, & propter consequendam remissionem peccatorum, quin ulterius in sua intentione progrediatur.

5 Quartò dividitur finis in finem operis, & in finem operantis. Finis operis dicitur ille, in

quem operatio ex natura sua ordinatur; ut est sublevatio pauperis respectu eleemosynæ. Finis operantis dicitur ille, quem sibi agens pro suo libito determinat, ut si aliquis propter vanagloriam, eleemosynam elargiatur. Nunc est dubium, an omnes prædicti fines propriam finis rationem assequantur? Pro quo

6 Supponitur tamquam certum, tam finem *quo*, seu formalem, quàm finem *qui*, seu objectivum, inducere propriam rationem finis; quia verè, & realiter agit homo propter assecutionem visionis beatificæ, & propter ipsum Deum assequendum. Advertendum tamen est, hos duos fines non esse inter se diversos, ita ut unus possit movere sine altero; imò unicum finem integrum, & totalem constituunt: visio enim beata appetitur propter suum objectum; & objectum appetitur, eò quòd media operatione, seu visione conjungitur potentia cum illo.

7 Supponitur etiam tam finem operis, quàm operantis propriam habere rationem finis, ita ut unus ab alio distinguatur, quod patet; quia finis operis dicit ordinem ad media ex natura sua; finis verò operantis tantùm ex arbitrio agentis: & potest agens operari motum bonitate ipsius finis operis; quin alium finem sibi determinet: & etiam potest operari propter finem, quem sibi determinat, relicto pro sua libertate fine operis, in quo nulla videtur apparere controversia. Remanet ergo difficultas circa finem *cui*, & *cuius*; ultimatum, & non ultimatum. Pro qua

8 Dicimus 3. in ordine: finis *cujus*, & finis *cui* habent veram, & propriam rationem finis, ita ut non distinguantur inter se, sed ex utroque unicus completus finis constituatur, movens voluntatem ad operandum, ut dictum est de fine *quo*, & *qui*. Deducitur conclusio ex Scoto in 2. dist. 6. q. 1. §. *ad argumenta*, *vers. Quando ergo*,

sub

sub litt. F. Probat: quia sanitas in tantùm dicitur finis, in quantum appetitur ut hominis perfectio, & homo in tantùm dicitur finis, in quantum est perfectibilis per sanitatem; non enim respicitur sanitas ut medium ad consequendum hominem, sed ut est perfectio ipsius hominis: ergo ratio finis non convenit utrique seorsum, benè tamen conjunctim.

9 Ex quo deducitur, quòd finis non dividitur in finem *cujus*, & *cui*, tamquam in duos fines completos, sed quasi incompletos; quapropter, juxta modum loquendi, non videtur dicendum: *volo bonum propter amicum*: nam hoc videtur denotare, bonum non esse finem, sed medium; benè tamen videtur dicendum; *volo bonum amico*; hoc enim denotat, utrumque simul esse finem, seu totale objectum motivum voluntatis. Idem videtur dicendum de fine *quo*, & *qui*, seu formali, & obiectivo.

10 Arg. 1. finis propriè dicitur id, in quo sistit intentio agentis; hoc non habet finis *cujus*; sanitas enim non intenditur nisi propter hominem; ergo finis *cujus* non habet propriam rationem finis. Confirmatur: quia id, quod propter aliud amatur, non est propriè finis, sed medium, finis *cujus* amatur propter finem *cui*; sanitas enim propter hominem amatur; ergo finis *cujus* non est propriè finis. Resp. ad argumentum neg. min. quia tam finis *cujus*, quàm finis *cui* sunt id, in quo ultimò sistit intentio agentis, non sumpti seorsim, sed coniunctim, quippe neque finis *cui* est in quo ultimò sistit intentio agentis, nisi quatenus est perfectibilis per finem *cuius*; neq; in hoc ultimo sistit agentis intentio, nisi quatenus respicit finem *cui*, ut perfectio eius. Ad confirmationem resp. disting. mai. quod amatur propter aliud non est finis, sed medium; si ametur in ordine ad consecutionē illius, admitto; si ametur ut perfectio illius; nego; & in hoc secundo sensu, vera est minor;

falsa

falsa autem in primo; neque aliud denotat *ly propter*; aliàs impropriè diceretur, ut dictum est n.9. Unde neg. conseq.

11 Arg. 2. finis *cui* se habet per modum subjecti respectu finis *cujus*, sanitas enim quasi recipitur in homine: sed causalitas subjecti non est in genere causæ finalis: ergo finis *cui* non habet propriam rationem finis. Resp. concessa majori, & minori, disting. consequens; finis *cui* non habet propriam rationem finis, respectu finis *cujus*, concedo; respectu mediorum, quibus finis *cujus* consequitur, nego: & hoc tantùm est quod intendimus: non enim dicimus, finem *cujus* esse medium, & finem *cui* esse finem; sed utrumque esse unicum finem respectu mediorum, quibus finis *cujus* consequitur, tamquam bonum finis *cui*. Aliquæ auctoritates Arist. loquuntur sigillatim jam de uno jam de altero fine, juxta suam peculiarem, partialem rationem; quapropter nihil contra nostram conclusionem ex illis deduci potest.

12 Dicimus 4. finis proximus, seu non ultimatus habet veram rationem finis. Conclusio colligitur ex Scoto in 4. dist. 14. quæst. 2. §. *in ista quæst. vers. At illam ergo*, litt. H. §. *de secundo, vers. Sed si justitia*, litt. R. & probatur: quia illud habet propriam rationem finis, quod movet voluntatem ad applicanda media apta ad sui consecutionem: hoc invenitur in fine non ultimato: ergo. Minor patet; nam sublevatio pauperis sufficienter movet voluntatem hominis ad elargiendam eleemosynam, in ordine ad consecutionem illius; sed sublevatio pauperis est finis proximus, & non ultimatus, ut dictum est nu.4. ergo finis non ultimatus movet voluntatem ad applicanda media ad sui consecutionem; at per consequens, &c.

13 Altero satis apto exemplo solet conclusio demonstrari; si enim homo sumeret potionem

ama.

amaram ad consequendam sanitatem, ut aptiùs Deo inservire posset; tunc assumptio talis potionis non esset proximè, & immediatè propter Dei obsequium; quia non est ex se medium proportionatum tali fini, sed esset immediatè propter salutis consecutionem: ergo consecutio salutis se haberet ut verus finis; quia verè propter ipsam aliquid fieret Neque obstat, si dicas, quod tunc sanitas non moveret, nisi moveret obsequium Dei; quia ex hoc solùm sequitur; quod sanitas non haberet rationem finis ultimatè; sufficit enim, ut sanitas propriè sit finis, quod moveat ad sumendam potionem ex suppositione, quod appetatur; & hoc sive appetatur simul obsequium Dei, sive non; quippe semper habet suam bonitatem, ratione cujus movet; ut ponantur media ad sui consecutionem.

14 Arg. contra: finis non ultimatus est medium respectu fin's ultimati: sed medium nequit habere rationem finis: ergo finis non ultimatus non habet rationem finis. Minor probatur; quia finis debet appeti propter se, & alia propter ipsum: sed medium nequit appeti propter se, sed propter aliud: ergo nequit habere rationem finis. Prob. min. quia medium, ut medium tantum habet bonitatem utilitatis; sed hæc bonitas non est ratio volendi aliquid propter se, sed propter aliud, respectu cujus est utilis: ergo medium, ut medium, nequit appeti propter se. Confirmatur ex Arist. 2. Phys. text. 29. ubi dicit, quod omnia sunt gratia finis: ergo nequit finis esse gratia alterius, seu ulterius ad alium finem ordinari; ac per consequens finis non ultimatus, qui, tamqam medium, ordinatur ad finem ultimatum, & ex gratia illius; non habet propriam rationem finis.

15 Resp. ad argumentum distinguendo illud; est enim verum, si sumatur finis non ultima-

ma-

matus, ut medium reduplicativè; falsum tamen si sumatur specificativè. Etenim, verum est, quod medium, ut medium reduplicativè, non appetitur propter se, sed propter aliud, eò quod ut tale, tantùm dicit bonitatem utilitatis, quæ tantùm est ratio volendi aliquid propter aliud; tamen ipsum medium potest appeti propter se, & alia propter ipsum, eò quod eadem bonitas, potest esse in se honesta, vel delectabilis, & simul alteri utilis; quapropter potest esse ratio volendi aliquid propter se, ut est delectabilis, vel honesta, & ratione illius potest aliquid esse finis movens voluntatem ad ponenda media ad sui consecutionem; & esse ratio volendi aliquid propter aliud ut est utilis; & ut sic constituere medium: quod in simili contingit, propter diversos respectus, in specie subalterna, quæ respectu diversorum dicitur genus, & species.

16 Ad confirmationem ex Arist. resp. vel, quod intelligitur de fine ultimato; vel ita, ut omnia media, quæ applicantur ad consecutionem finis, sint gratia illius, quod semper verificatur, sive finis sit ultimatus, vel non ultimatus.

QUÆSTIO II.

An finis sit vera, & propria causa realis?

1 Circa hanc difficultatem divisi sunt Auctores, adhuc Scotistæ; licèt enim omnes communiter teneant, finem inter veras causas numerari; aliqui tamen intendunt, non esse dicendum causam realem, sed tantùm intentionalem, & metaphoricam; alii autem, dicendum esse causam realem; quod, ut infra patebit, potiùs de nomine, quàm de re videtur contentio. Igitur

2. Di-

2 Dicimus 1. finis habet veram rationem causæ. Conclusio est Arist. hic cap. 3. text. 29. quem sequitur Scotus ibidem, & communiter Philosophi. Probatur: quia, ut patet ex definitione causæ in communi, illud est verè causa, propter quod alterum est: sed verè dicitur, aliquid esse propter finem; propter sanitatem enim sumitur potio amara, & sic in aliis finibus: ergo finis habet veram rationem causæ.

3 Arg. contra: quod induit veram rationem causæ, debet habere esse quando causat: sed finis quando causat, non habet esse; quippe non existit actualiter, sed tantum objectivè in intellectu, & in intentione operantis; sanitas enim dum movet ut finis voluntatem, non existit realiter: ergo finis non induit veram rationem causæ. Resp. disting. mai. quod induit veram rationem causæ, debet habere esse quando causat, eo modo, quo causat, concedo; alio modo, nego, & concessa minori, neg. conseq. Etenim verum est, quòd finis *cuius* quando causat, non habet esse physicum existentiæ, hoc tamen *esse* solum requiritur in causis, quæ causant se ipsas communicando, ut sunt materialis, & formalis, & quæ influunt in effectum per physicum, & realem influxum, ut sunt efficientes; sed tantum habet esse objectivum in intellectu, & in intentione agentis, sed hoc sufficit ad veram rationem causæ finalis, cùm solum intentionaliter influat in effectum.

4 Dicimus 2. finis potest dici causa realis, quatenus concurrit ad realem effectum, & quatenus esse reale opponitur enti rationis, seu ficto per intellectum; & non potest dici causa realis, quatenus esse reale dicit esse extra animam & quatenus dicit physicum, & realem influxum in effectum; sed tantùm potest dici causa intentionalis, & metaphorica. Prima pars patet:

&

& quia id, quod dicitur effectus causæ finalis est quid reale, ut omnes fatentur, & quia finis non fictè, sed verè dicitur causa. Secunda pars etiam patet; & quia finis tantùm habet esse in anima, seu objectivum in intellectu, & in intentione agentis; & quia non per physicum, & realem influxum, sed per influxum intentionalem, aliciendo, scilicet voluntatem, causat effectum. Cum hac distinctione haud difficilè conciliantur oppositæ sententiæ; & nihil videtur posse obiici, quod non facilè solvatur ex dictis. Solùm est advertendum, quòd quando finis dicitur causa metaphorica, hoc non debet intelligi, ita ut non sit vera causa, sed ita ut sit causa intentionalis per oppositum ad causam efficientem, quæ per physicum, & realem influxum influit in effectum.

QUÆSTIO III.

An finis moveat secundum esse reale, vel secundum esse apprehensum?

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est, quòd esse reale non sumitur in præsenti pro reali existentia; omnes enim conveniunt, finem *cujus*, de quo procedit difficultas, non necessariò realiter existere ad causandum: imò realem existentiam opponi causalitati finis, eò quòd finis movet ad sui consecutionem, & ut in existentia constituatur. Intelligitur enim per esse reale illa entitas, quæ est objectum cognitionis, sive talis entitas sit ens reale, sive ens rationis; sive habeat veram bonitatem, sive fictam, seu apparentem; & per esse apprehensum intelligitur cognitio talis entitatis, seu denominatio extrinseca cogniti remanens in objecto à prædicta cognitione. Nunc

2 Aliqui tenent, finem movere secundum esse

esse apprehensum, id est, cognitionem esse rationem formalem movendi in fine. Communior tamen est sententia tenens, ipsum esse reale finis, seu bonitatem cognitam esse rationem formalem movendi in fine; esse tamen apprehensum, seu cognitionem esse tantùm conditionem necessariò requisitam. Sic Scotus in 1. dist. 1. quæst. 4. §. *negativa istius*, in quadam additione. Et in 2. dist. 25. quæst. unica, lit. N. Pro qua

3 Dicimus: finis movet secundùm esse reale modo explicato: cognitio autem tantùm est conditio sine qua non. Probatur; quia secundùm illam rationem formalem movet finis voluntatem, secundùm quam trahit voluntatem ad se, appetitur ab ipsa, & terminat actum ipsius, hoc habet finis secundùm esse reale, & non secundùm esse apprehensum, ergo. Minor patet; quia sanitas v. g. non trahit ad se voluntatem infirmi, neque ab ipso appetitur, nec terminat suum actum, nisi quatenus est bonum ipsi, sed non est bonum infirmo sanitas secundùm esse apprehensum, sed secundùm suum esse reale; neque infirmus appetit apprehensionem sanitatis, sed esse reale sanitatis; neque utitur mediis ad consecutionem apprehensionis, sed ad consecutionem ipsius sanitatis, ergo movet finis secundùm suum esse reale; non verò secundùm esse apprehensum.

4 Respondent aliqui, argumentum tantùm probare, rationem, quæ movet in fine, & à voluntate appetitur, esse entitatem realem finis; non tamen probare, rationem sub qua movet finis, esse suam entitatem realem; talis enim ratio est esse apprehensum, seu cognitio entitatis finis.

5 Sed contra est primò; quia illa est ratio sub qua movet finis, in cujus consecutione satiatur appetitus voluntatis; sed non satiatur talis appetitus in consecutione apprehensionis finis; be-

benè tamen in consecutione bonitatis realis ipsius finis; ergo hæc, & non apprehensio illius, est ratio formalis sub qua movet finis.

6 Contra secundò; quia sub ista ratione movet finis voluntatem, sub qua voluntas fertur in finem, & finis terminat actum voluntatis, sed voluntas non fertur in finem sub ratione boni apprehensi, sed sub ratione boni realis; ergo. Major patet; quia ideò calor v. g. est ratio formalis objecti potentiæ visivæ; quia fertur potentia visiva in suum objectum sub ratione coloris. Minor probatur; quia voluntas fertur in finem sub ratione boni convenientis, sed finis non est conveniens; quia apprehenditur, sed quia est bonum in se; ergo voluntas non fertur in finem sub ratione boni apprehensi, sed sub ratione bonitatis realis ipsius finis.

7 Addit noster Mastrius, quòd prædicta responsio nititur verbis; & sic verba debent explicari. Etenim, si ly *ratio sub qua* intelligatur, ita ut denotet id sub quo reperitur finis, dum movet, vera est responsio, sed non contra nos; imò pro nobis; nam hoc tantùm dicit, quòd cognitio, seu apprehensio sit conditio simpliciter necessaria, ut finis moveat, quod nos in nostra conclusione affirmamus; si autem intelligatur ita ut denotet rationem formalem movendi, seu rationem formalem, quæ movet, est falsa; interroganti enim, cur voluntas vult finem? Non rectè respondetur tamquam per rationem formalem, quia cognoscit illum; aliàs omne, quod cognitum proponeretur voluntati, amaretur ab illa; posita enim ratione formali alicujus, ponitur etiam illud; benè tamen respondetur tamquam per rationem formalem; quia finis est in se bonus. Unde patet secunda pars nostræ conclusionis, scilicet, quòd apprehensio finis sit conditio necessaria, ut finis moveat.

8 Advertendum tamen est, quòd cùm finis possit habere bonitatem veram, & aliquando so-

solùm apparentem, diversimodè se habet apprehensio respectu illius; nam quando finis habet bonitatem veram, solùm indiget apprehensione tamquam approximatione, ut possit movere voluntatem, & ut sic apprehensio se habet, ut purè conditio sine qua non: at verò quando finis tantùm habet bonitatem apparentem, cùm illam accipiat ab intellectu fingente, licèt apprehensio non sit ratio formalis movendi, non tamen est purè conditio sine qua non, sed etiam est occasio, seu causa tribuens fini virtutem movendi, scilicet apparentem bonitatem.

9 Argum. 1. causa, ut talis debet esse prior suo effectu; sed finis tantùm secundùm esse apprehensum est prior suo effectu, & non secundùm actualem existentiam; ergo non movet secundùm actualem existentiam, sed secundùm esse apprehensum. Pro responsione hujus, & aliorum argumentorum advertendum est, quòd quando dicimus, finem movere secundùm esse reale, non intelligimus movere secundùm realem existentiam, sed secundùm esse reale possibile, vel futurum; imò repugnat, quòd moveat in actuali existentia; quia id, quod possidetur, non potest movere ad sui consecutionem; & si quando agens operetur propter conservationem finis jam possessi in actuali existentia, v.g. si propter conservandam sanitatem, quam acquisivit, adhibeat medicamenta præservativa; adhuc in tali casu finis habet rationem futuri; quia non movet ad consecutionem ipsius jam existentis, sed ad consecutionem conservationis adhuc futuræ; sed hoc non ita, quòd futuritio sit ratio movendi; quia agens non appetit finem, ut futurum reduplicativè; imò appetit præsentiam illius, & propter ipsam agit; sed ita, quòd futuritio sit conditio sine qua non appeteretur finis, nec propter ipsum operaretur agens. Nunc

10 Respondetur ad argumentum neg. min. qua-

quatenus dicit finem solùm secundùm esse apprehensum esse priorem suo effectu; quia, licèt secundùm realem existentiam non sit prior effectu, est tamen prior secundùm esse reale futurum, seu possibile; & secundùm hoc esse reale movet voluntatem formaliter, ita ut bonitas realis possibilis, vel futura sit ratio formalis movendi; esse verò apprehensum, seu cognitio talis bonitatis tantùm se habet ut conditio necessaria applicans prædictam realem bonitatem, ut possit movere voluntatem ad ponenda media ad suam realem existentiam consequendam.

11 Arg. 2. id, quod semper, & necessariò requiritur ex parte finis ad movendum, est ratio formalis movendi: non tamen id, quod non semper requiritur; sed semper requiritur apprehensio finis; non tamen semper requiritur bonitas realis finis, ut patet in fine apparenti, & impossibili: ergo apprehensio, & non bonitas realis, est ratio movendi in fine. Resp. neg. min. quia, licèt finis sit apparens, & impossibilis, tamen semper bonitas realis est in illo ratio movendi, non bonitas realis, quæ verè, & realiter in illo sit, sed bonitas realis, quæ apprehenditur esse in illo; & licèt falsa apprehensio sit causa illius bonitatis, non tamen talis apprehensio est ratio formalis movendi, sed illa bonitas realis apprehensa, seu ficta.

12 Arg. 3. diversi actus in specie provenientes à fine debent diversificari à virtute motiva, & causativa ipsius finis, & non à conditione tantùm: sed variata apprehensione, variantur actus provenientes à fine: ergo apprehensio est ratio formalis movendi in fine, & non tantùm conditio. Major patet: quia actus distinguuntur per diversas rationes formales objectorum. Minor probatur: quia, licèt finis in se sit honestus, si apprehendatur, ut inhonestus, actus erit inhonestus, & è contra: ergo variata ap-

pre-

prehensione, variantur actus; ac per consequens, &c. Et potest confirmari; quia Deus per suam bonitatem cognitam per fidem, movet voluntatem specie distinctam ab illo, ad quem movet per eamdem bonitatem cognitam per visionem beatam: ergo diversæ cognitiones sufficiunt ad variationem actuum in specie: sed varietas actuum provenit à diversa ratione formali movendi in fine, non verò à diversa conditione applicante: ergo cognitio non est tantùm conditio applicans, sed etiam ratio formalis movendi.

13 Resp. 1. disting. min. variata apprehensione tantùm, variantur actus provenientes à fine, nego; variata apprehensione, & simul variata ratione objecti, seu finis, concedo; & hoc tantùm denotat probatio minoris: quia, licèt in re non mutetur objectum, mutatur tamen in apprehensione quando mutatur cognitio: ita ut per unam cognitionem proponatur ut honestum, & per aliam ut inhonestum: imò nequit variari cognitio, quin varietur objectum in cognitione; & sic diversitas actuum tantùm provenit à cognitione, tamquam à conditione proponente, & ad summum tamquam à causa talis rationis objectivæ, ut supra dictum est, provenit autem ab objecto, seu fine propter diversas rationes, quæ in ipso considerantur.

14 Ad confirmationem similiter resp. quia ratio distinctiva actus fidei, & visionis beatæ, tantùm ut conditio distinguit actus amoris in via, & in Patria; at verò tanquam per rationem formalem provenit illis distinctio à distincta ratione objectiva; nam respectu amoris in via, tantùm movet Deus ut in aliqua specie confusa abstracta à creaturis respectu autem amoris in patria movet ut est in se; & certum est, has esse distinctas rationes objectivas.

15 Secundò potest responderi, tam ad hoc ar-

argumentum, quàm ad alia similia, non esse universaliter verum, actus non posse distingui à diversis conditionibus applicantibus finem, seu objectum; nam cùm actus solum extrinsecè specificentur ab objectis, benè possunt esse diversi specie actus circa idem formale objectum, variatis tantùm conditionibus necessariis: hoc modo, propter variationem cognitionum, quibus proponitur Deus. Distinguuntur specie amor viæ, & patriæ, licèt non varietur objectum formale, scilicet bonitas divina. De hoc amplius in Theologia; est enim Theologica controversia. Interim videatur Scotus in 3. dist. 31. quæst. unica, §. *sed adhuc restat*, *vers. Dico*, litt. C.

16 Arg. 4. conditio ad causandum potest à Deo suppleri: sed cognitio finis nequit suppleri à Deo; nullatenus enim finis potest causare, seu movere voluntatem, quin cognoscatur: ergo cognitio non est tantùm conditio ad causandum, seu movendum in fine; sed potius ratio formalis. Resp. majorem non esse universaliter veram; aliquæ enim conditiones ad causandum sunt talis naturæ, quòd nullatenus à Deo suppleri possint; ut patet de existentia, quæ tantùm est conditio ad causandum in efficiente, & tamen nequit à Deo suppleri: ejusdem rationis est cognitio, seu esse apprehensum in fine.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit causalitas finis, & qui ejus effectus?

1 PRo primo quod inquirit quæstio, dicimus primo: causalitas finis in actu primo, remoto, est virtus atractiva, vel electiva voluntatis, ut exequatur media ad finis consecutionem: quæ quidem virtus oritur ex bonitate ho-

honesta, vel delectabili ipsius finis; (loquimur de fine *cujus*; quod præcipuè rationem finis exercet; nam quid sit dicendum de fine *cui* pendet ex libris de anima) in actu primo proximo est eadem virtus connotando cognitionem bonitatis finis, tamquam conditionem necessariam, ut dictum est quæst. antec. hæc tamen virtus dicit respectum transcendentalem ad effectum.

2 Dicimus 2. causalitas finis in actu secundo fundamentaliter est ipsa virtus causativa, prout connotat actualem influxum, medio quo concurrit ad effectum; in actu secundo formaliter est relatio finalizantis, seu causantis finaliter ad effectum; quæ quidem relatio fundatur in ipsa virtute causativa finis, prout connotat prædictum influxum; & licèt non sit realis, prout reale opponitur intentionali; est tamen realis, prout reale opponitur ficto, ut dictum est quæst. 2. de ratione causæ finalis. Prædictæ conclusiones, suppositis dictis de causalitate in communi, nullam peculiarem videntur habere difficultatem.

3 Est tamen dubium, in quo consistat prædictus influxus causæ finalis? Relictis variis modis dicendi, qui facilè impugnari possunt; respondetur, prædictum influxum, medio quo finis influit in suos effectus, esse actualem allectionem, qua allicit voluntatem ad hoc, ut gratia ipsius aliquid, vel per se, vel per alias potentias subditas, suo imperio, operetur in ordine ad finis consecutionem. Pro cujus intelligentia observandum est, finem dupliciter posse considerari. Primò, quatenus habet esse cognitum, & amatum prius tempore, quàm gratia ipsius voluntas incipiat eligere media ad sui consecutionem. Secundò; quando jam voluntas gratia finis eligit media, aut aliquid operatur per se, vel per alias potentias in ordine ad consecutionem finis.

4 In primo sensu non allicit finis voluntatem ad aliquid gratia ipsius operandum in actu secundo, sed tantùm est in actu primo proximo ad voluntatem alliciendam; in secundo verò sensu allicit voluntatem in actu secundo; & in hac allectione, dicimus formaliter, consistere influxum, medio quo finis influit in suos effectus; de illa enim verificatur, & non posse dari, quin etiam detur effectus finis; & quod sit prior natura, non solum electione mediorum, sed etiam influxu, medio quo voluntas influit efficienter in mediorum electionem, quę videntur conditiones necessariò requisitæ ad rationem influxus; & quæ solùm prædictæ allectioni adaptari possunt. Semper tamen est observandum, quòd talis influxus, sicut & ipsa causa finalis, est intentionalis; & dicitur metaphoricus per similitudinem, quam habet ad physicum influxum causæ efficientis.

5 Pro secundo quod inquirit quæstio, notandum est, quòd plures sunt actus voluntatis, de quibus latè in materia de actibus humanis. Aliqui enim dicuntur eliciti; quia eliciuntur ab ipsa voluntate. Alii verò dicuntur imperati; quia ab aliis potentiis ex imperio voluntatis eliciuntur. Adhuc actus eliciti sunt in triplici differentia. Aliqui enim versantur immediatè circa finem nondum obtentum: hujusmodi sunt simplex amor finis, & intentio, quæ est actus efficax voluntatis respiciens finem, ut obtinendum per media. Alii autem versantur immediatè circa media, per quæ finis est obtinendus; hujusmodi sunt electio, imperium, & usus. Alii verò versantur immediatè circa finem jam obtentum. Nunc

6 Dicimus 3. in ordine; actus voluntatis, qui immediatè versantur circa finem non obtentum, non sunt effectus causæ finalis. Conclusio est communis inter Scotistas, & plures alios, & deducitur ex Scoto quæst. 4. Prologi, §. con-

§. *contra istam positionem*, lit.E. Probatur: quia secundum Scotum citatum finis non movet nisi ut amatus, seu intentus, & desideratus, & patet ex ipsa definitione; est enim cujus gratia, seu amore, aliquid fit: sed finis non exercet causalitatem finalem, nisi movendo, & alliciendo voluntatem: ergo amor, desiderium, & intentio nequeunt esse effectus illius. Patet consequentia: quia effectus finis debet esse posterior causalitate illius: sed prædicti actus sunt priores motione finis, quæ est illius causalitas, seu quid connotatum in actuali causatione: ergo prædicti actus non sunt effectus finis.

7 Si autem dicas, ly *cujus gratia* non debere intelligi, ita ut finis sit cujus amore fit aliquid, sed ita ut finis sit ob cujus bonitatem aliquid fit; quapropter omnis actus tendens in finem in quocumque sensu, sunt effectus illius, cùm sint propter finis bonitatem. Contra est, quia bonitas finis, ut bonitas præcisè, tantùm dicit rationem formalem objecti voluntatis: sed ratio formalis objecti, ut talis, solùm causat motivè in genere causæ efficientis, & terminativè in genere causæ formalis extrinsecè; ergo actus respiciens bonitatem finis, ut bonitatem præcisè, tantùm causantur ab illo in genere causæ efficientis; vel formalis; ergo ad causandum in genere causæ finalis, aliud necessariò prærequiritur; sed nihil potest assignari, nisi amor, desiderium, & intentio finis; ergo ly *cujus gratia* debet intelligi, ita ut finis, cujus amore, desiderio, & intentione aliquid fit; non verò propter cujus bonitatem fit aliquid.

8 Et potest confirmari; quia voluntas non ordinat suum amorem ad bonum, nisi quatenus ipse amor ex natura sua est ordinatus ad illud, tamquam ad objectum; hoc non sufficit, ut bonum exerceat rationem causæ finalis; ergo aliquid aliud debet habere, ut talem rationem exerceat; hoc nihil aliud potest esse nisi prædi-

cti actus amoris, &c. ergo major patet; quia alias actus cujuscumque potentiæ dum ad suum objectum ordinaretur, respiceret illud tamquam finem, quod nemo est, qui asserat, eò vel maximè, quia ratio objecti, ut talis, non dicit rationes finis.

9 Argum. 1. ex Scoto in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *Juxta tres conclusiones, vers. Secunda conclusio*, sub litt. N. ubi dicit, quòd omne infinibile, seu quod non habet finem pro causa; est incausabile; prædicti actus sunt causabiles; ergo habent finem pro causa; & consequenter sunt effectus finis. Majorem probat Scotus ex eo, quòd omne agens agit propter finem; ergo quod non habet finem pro causa, est incausabile. Deinde in 2. dist. 40. asserit, omnes actus humanos habere finem; prædicti actus respicientes finem non obtentum sunt actus humani; ergo habent finem; & consequenter sunt effectus finis. Aliqui, propter has authoritates Scoti, intendunt, ipsum esse problematicum in hac re, quod licèt admittatur, nullatenus præjudicat nostræ conclusioni; tamen, quia cùm communiori consensu determinatam partem tenemus.

10 Resp. Scotum debere intelligi de fine non formaliter sumpto, & in ratione finis, sed materialiter, seu in esse rei, ita ut omne illud, quod non respiciat illa rem, quæ est finis, est incausabile; ad quod non requiritur, quòd respiciat finem, ut talem, sed vel ut talem, vel ut objectum, ita ut in illud tendat. Quæ quidem explicatio nullatenus opponitur Scoto, imò sufficit ad intentum illius; quia solum intendit, dari aliquod incausabile, scilicet Deus, quod benè probat ex eo, quòd Deus nullum respicit finem, nec formaliter ut talem, neque materialiter, aut tamquam objectum. Deus enim nullatenus ab aliquo dependet; omne autem causabile respicit finem aliquo ex prædictis mo-

modis, non tamen necessariò in ratione formali finis? quod sufficit, ut sit causabile, seu dependens.

11 Arg. 2. quasi replicando: actus divinæ voluntatis respicit aliquid tamquam objectum: sed hoc non sufficit, ut talis actus sit causabilis: ergo neque sufficit in actu voluntatis creatæ; & consequenter actus amoris debet respicere objectum tamquam finem formaliter. Resp. disting. mai. actus divinæ voluntatis respicit aliquid tamquam objectum, quod quidem objectum est indefectibile, & necessariò connectitur cum illo, concedo; aliter, nego. Et concessa minor. neg. conseq. & paritatem: quia actus voluntatis creatæ non semper respicit objectum indefectibile; & licèt aliquando illud respiciat, non tamen necessariò, sed contingenter connectitur cum illo; quapropter actus divinæ voluntatis est indefectibilis; & independens, & sic incausabilis; actus verò voluntatis craetæ est defectibilis, & dependens, & sic causabilis. Ubi adverte, quòd licèt actus divinæ voluntatis secundariò respiciat creaturas, quæ sunt objecta defectibilia) primariò autem solùm ipsum Deum, seu bonitatem divinam respicit) tamen non propter hoc est defectibilis, & dependens; quia etiam si repugnarent creaturæ, daretur talis actus quoad entitatem; & solùm deficeret ei denominatio extrinseca, seu relatio rationis, qua formaliter denominatur volens creaturas, quod nullum est inconveniens; actus verò voluntatis creatæ ita in sua entitate dependet à suo objecto, quòd si tale objectum non daretur neque daretur talis actus.

12 Arg. 3. actus charitatis est propter Deum ultimum finem: sed talis actus charitatis non præsupponit alium actum amoris circa Deum, sed tantùm bonitatem Dei apprehensam: ergo amor, qui immediatè versatur circa finem non obtentum, est propter finem, & consequen-

ter effectus illius. Respond. disting. mai. actus charitatis est propter Deum ultimum finem, ly *propter* denotante rationem formalem finis, nego; aliter, concedo. Et concessa minori, similiter distinguitur primum consequens, & negatur secundum. Etenim, cùm dicimus, actum charitatis esse propter Deum ultimum finem, non intelligitur, ita ut ordinetur ad Deum in ratione formali finis; sed ita ut ordinetur ad Deum tamquam objectum; quod quidem objectum est ultimus finis omnium, quæ propter finem fiunt, & ita ut talis actus charitatis solùm ordinetur ad Deum tamquam objectum, & ad nihil aliud, præter Deum, ordinetur tamquam ad finem. Neque ex hoc sequitur, talem actum charitatis esse inordinatum; sufficit enim ut sit ordinatus, quòd respiciat finem ultimum, licèt non sub ratione formali finis.

13 Dicimus 4. actus voluntatis, qui versantur circa media, scilicet electio, imperium, & usus, & actus aliarum potentiarum, qui imperantur à voluntate ad exequenda media, sunt propriè effectus causæ finalis; & similiter actus intellectus, qui ad supradictos requiruntur, ut sunt inquisitio mediorum, consultatio, & judicium de illis. Conclusio est communiter recepta, & patet ex eo, quòd omnes supradicti actus sunt gratia, & amore finis, & ordinantur ad finem amatum consequendum: nihil aliud requiritur ad rationem effectus causæ finalis: ergo.

14 Dicimus 5. actus voluntatis, qui immediatè versantur circa finem jam obtentum, ut sunt fruitio, & delectatio, non sunt propriè effectus causæ finalis. Probatur: quia effectus causæ finalis propriè ordinatur ad illum consequendum: sed prædicti actus supponunt finem consecutum: ergo non sunt propriè effectus causæ finalis. Notanter diximus *propriè*; quia ali-

qua-

qualiter, & non rigorosè possunt dici effectus causæ finalis; eò quòd non darentur tales actus, nisi finis moveret voluntatem ad exequenda media in ordine ad consecutionem ipsius finis, ratione cujus consecutionis ponuntur tales actus.

15 Omnes prædictæ conclusiones circa effectus finis possunt adhuc ostendi ex communi modo loquendi: benè enim dicimus, aliquem inquirere media, consultare, & judicare de illis ipsa eligere, imperare potentiis executivis, seu illis uti gratia, seu amore finis, seu propter finis consecutionem: non tamen propriè dicimus, aliquem amare, seu, intendere propter finem, benè tamen amare, seu intendere finem: neque similiter propriè dicimus, aliquem frui, & delectari propter finem, benè tamen frui fine, & delectari de fine consecuto: sed ly *propter* propriè sumptum requiritur ad rationem causæ finalis; ergo.

16 Dubitabis; quæ agentia operentur propter finem? Pro responsione advertendum est, quòd operari propter finem, tripliciter potest dici. Primò, ita ut agens non solum cognoscat finem, sed etiam cognoscat illum sub ratione formali finis, seu cum proportione, quam habet cum mediis, & media cum illo. Secundò, ita ut licèt agens cognoscat finem, & bonitatem illius, ratione cujus potest allicere appetitum ad consecutionem illius; non tamen cognoscit illum in ratione formali finis, seu cum proportione supradicta. Tertiò, ita ut agens non cognoscat finem propria cognitione, sed aliena, scilicet cognitione Auctoris naturæ ordinantis rem in proprium finem. Nunc

17 Respondetur primo ad dubium, omne agens creatum intellectuale operatur propter finem in primo sensu. In hac resolutione conveniunt unanimiter omnes, & ex ipsis termi-

nis patet: quippè Angeli, & homines cognoscunt finem sub ratione formali finis, seu proportionem, quam finis habet cum mediis, & media cum illo.

18 Respondetur secundò, agentia inanimata tantum possunt dici operari propter finem in tertio sensu. Etiam est communis, & patet; quia non cognoscunt finem propria cognitione: ergo tantùm possunt dici operari propter finem, quatenus in aliquem finem cognitum ab Authore naturæ ordinantur operationes illorum.

19 Respondetur tertiò: licèt communiter teneatur, bruta non operari propter finem in primo sensu, sed tantum in secundo, eò quòd licèt cognoscant cognitione sensitiva finem, non tamen illum cognoscunt sub ratione formali finis, seu cum proportione supradicta: tamen videtur probabile, aliqua bruta aliquando propter finem in primo sensu operari, id est, ita ut cognoscant finem in ratione talis cum proportione assignata. Hoc potest aliquomodo ostendi à posteriori: videmus enim, quòd aliqua bruta, proposito illis bono delectabili, illo feruntur, ita ut illud appetant, & moveantur ad applicanda media conducentia ad consecutionem illius.

20 Si autem dicas; hæc omnia materialiter evenire, scilicet, bruta materialiter appetere bonitatem, & materialiter applicare media ad illius consecutionem; non tamen formaliter, & in ratione finis, & mediorum; hoc certè voluntarium videtur; neque est unde possit ostendi: quia etiam similiter protervus posset dicere, idem contingere in hominibus, quin posset convinci. Quòd autem videatur voluntarium, non aliundè potest probari, quàm à posteriori, & aliquibus experientiis animalium domesticorum; quando enim felis avertit oculos à mure capto, dum ludit cum ipso; quasi

quasi ipsum despiciens; quis non dicat, intendere deceptionem muris? Et similiter quando catulus assurgit in pedes posteriores inter prandendum, aut trahit vestimentum comedentis; quis non dicat, intendere comedentem inducere ad dandum sibi bucellam?

22 Neque dicas, esse disparitatem inter homines, & bruta; quippè homines discurrunt, bruta verò nullatenus; quia ex hoc solum sequitur, homines perfectiùs, quam bruta cognoscère finem, & media; & posse per discursum excogitare aliqua media nunquam proposita, & quæ sine tali discursu non cognoscerent ut media apta; quod non inveniretur in brutis discursu carentibus: non tamen sequitur, bruta non operari propter finem applicando media, licèt imperfectiori modo, quàm homines.

22 Respondetur quartò: Deus operatur propter finem in primo sensu. Patet ex illo Prov. 6. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Et deinde, quia Deus condidit mundum, ipsumque gubernat, & protegit propter manifestationem suarum perfectionum. Deinde, Deus cognoscit fines omnium rerum, & media ad illorum consecutionem conducentia, & juxta hanc cognitionem omnia disponit; & ad suos fines ordinat: ergo. Hæc resolutio, ut proposita, ab omnibus admittitur; est tamen non parva controversia circa intelligentiam, & modum, quo Deus propter finem operatur, quæ non ad præsentem, sed ad Theologicum institutum spectat. Interim videatur Pontius in Physica disp. 10. q. 7. & Mastrius ibidem disp. 7. quæst. 8. art. 6.

D I S P. VI.

De causis inter se, & cum suis effectibus, comparatis.

EGimus in præcedentibus de omnibus causis, inter illas nulla facta comparatione, nunc restat agere de illis, tam inter se, quam cum suis effectibus comparatis.

Q U Æ S T I O I.

In qua comparantur causæ inter se.

1 PLura sub hoc titulo solent exagitari, eò quod pluries possunt quatuor genera causarum inter se comparari: quæ omnia non tantum per modum controversiæ, quàm simplicis propositionis, ut frequentius ab Auctoribus traduntur, examinabimus; possunt enim causæ inter se comparari; vel quoad distinctionem; vel quoad ordinem dignitatis, & perfectionis; vel quoad ordinem prioritatis, & posterioritatis; vel quoad ordinem causandi ad invicem. Nunc

2 Dicimus 1. si causæ comparentur inter se in ordine ad diversos effectus, si sumantur materialiter, hoc est, pro re, quæ denominatur causa, non est necessarium, quod realiter distinguantur. Patet: quia anima v.g. dicitur causa formalis respectu corporis, quod informat, & respectu hominis, quem constituit; & dicitur efficiens respectu suarum operationum;& etiam materialis respectu ipsarum operationum; quia ipsas in se recipit; & dicitur finalis; quia est finis generationis: quod etiam potest exemplificari in qualibet alia forma activa. Ubi advertendum est, ne contentio fiat de nomine, quod in casu conclusionis, non accipiuntur causæ,

præ-

præcipuè materialis, & finalis in rigorosá acceptione, ut facilè patebit scrutanti; quod quidem etiam est observandum pro aliis dicendis.

3 Dicimus 2. aliquæ ex prædictis causis, adhuc materialiter sumptæ, respectu ejusdem effectus necessariò realiter distinguuntur, aliquæ verò non; Prima pars patet, nequit eadem res esse causa materialis, & formalis respectu ejusdem effectus; aliàs idem respectu ejusdem, esset simul potentia formalis, seu subjectiva, & actus formalis, quod implicat. Similiter nequit eadem res esse causa formalis, & efficiens respectu ejusdem effectus; quia forma est terminus productionis efficientis: ergo nequit simul esse principium termini, quod convenit causæ efficienti.

4 Secunda pars etiam patet, quia respectu ejusdem subjecti v.g. materiæ primæ, eadem substantialis forma dicitur causa formalis, quatenus illam informat; & dicitur causa finalis, quatenus materia ordinatur ad formam tamquam ad suam perfectionem. Deinde idem respectu ejusdem effectus potest dici causa efficiens, & finalis; nulla enim est repugnantia in hoc, quod efficiens propter se ipsum operetur, & in tali casu ipsum efficiens erit finis cui suæ operationis. Hoc modo Deus dicitur Alpha, & Omega; hoc est principium, & finis omnium rerum. Similiter idem numero subjectum potest esse respectu ejusdem causæ materialis, & finalis; idem enim homo est causa materialis sanitatis; quia illam in se recipit, & est causa finalis cui dirigitur sanitatis acquisitio. Denique idem respectu ejusdem potest esse causa efficiens, & materialis; ut patet de actionibus immanentibus, quæ recipiuntur in eadem potentia, à qua producuntur.

5 Dicimus 3. si causæ considerentur formaliter ut tales, necessariò aliquomodo distinguuntur:

tur: hoc est, formæ, quibus causæ denominantur, necessariò sunt inter se aliquomodo distinctæ. Conclusio est communis, & patet ex eo, quod causa in communi dividitur in prædictas quatuor causas formaliter sumptas; & certum est, membra dividentia inter se aliquomodo distingui; benè enim potest aliquid (licèt materialiter possit habere rationem plurium causarum) causare in uno genere, quin causet in alio, quod sine dubio arguit distinctionem realem in ratione formali causandi. Huc advoca quæ diximus loquendo de causalitate causæ, & fortè plura ad hanc conclusionem conducentia invenies.

6 Dicimus 4. causæ extrinsecæ ut sunt efficiens, & finalis, sunt pro formali; & in modo causandi, perfectiores causis intrinsecis, ut sunt materialis, & formalis. Et inter causas extrinsecas finalis est perfectior efficiente; inter intrinsecas verò formalis est perfectior materiali. Prima pars patet; quia causalitas causæ extrinsecæ dicit perfectionem sine imperfectione; causalitas verò causę intrinsecæ dicit imperfectionem; causa enim intrinseca causat incompletè, & per modum partis; quapropter Deo, qui est perfectissimum ens, tribuitur ratio causæ efficientis, & finalis; non verò ratio causæ materialis, & formalis: ergo.

7 Secunda pars etiam patet: quia causa finalis movet efficientem agendum; & actiones efficientis ordinantur ad finem, quod apertè denotat perfectiorem modum causandi in causa finali, quàm in efficienti, & hoc ipsum innuit Arist. 1. de partibus animal. cap. 1. dum dicit: *Principatum sanè illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo, cujus gratia, significamus*. Similiter patet tertia pars; quia causa materialis causat ut potentia receptiva, & per passivam receptionem; qui modus causandi est imperfectior modo causandi per rationem actus,

& in-

& informationis, ut causat causa formalis.

8 Advertendum tamen est, ne aliqua oriatur æquivocatio, quòd perfectio causarum etiam potest attendi penes influxum in effectum, & penes dependentiam effectus ab illis, ita ut illa dicatur perfectior causa, quæ magis influit in effectum, & à qua effectus magis dependet; in quo sensu causa efficiens est perfectior aliis; quapropter effectus per antonomasiam sumit denominationem ab efficienti. Deinde, respectu compositi formalis est perfectior, quàm materialis; magis enim dependet compositum à forma, quæ est præcipua pars illius, quàm à materia, quæ est pars minus præcipua: si autem causa materialis, & formalis ad se invicem comparentur, materialis est perfectior, quam formalis; quippè materia concurrit ad esse, seu ad existentiam formæ, quæ educitur ex ejus potentia: at verò forma non concurrit ad esse, seu ad existentiam materiæ, quia jam supponit illam existentem, ut suo loco diximus, quapropter non dicitur absolutè causa materiæ, sed tantum quoad informationem: imperfectior omnibus est causa finalis; quia non per physicum influxum, sed tantùm per metaphoricum, & intentionalem influit in effectum. Quo notato, & quod non loquimur de causis materialiter sumptis, seu pro rebus, quæ causæ denominantur; nam in hoc sensu jam una est perfectior, vel imperfectior altera, & idem est de aliis, ut patebit discurrenti per illas; facilè solvuntur quælibet argumenta.

9 Dicimus 5. omnes causæ, quæ concurrunt ad eumdem effectum, sunt simul tempore in causando. Conclusio est communis, & patet ex eo, quod effectus, qui dependet à pluribus causis, nequit ab una, vel altera tantùm provenire: sed si aliqua causa in causando esset prior tempore cæteris, ab illa sola proveniret effectus; ergo,

ergo. Minor patet; quia nequit dari pro aliquo tempore causa actualiter causans sine termino suæ causationis, seu sine effectu.

10 Dicimus 6. in actualiter causando causa finalis est prior natura cæteris causis: deinde efficiens est prior natura materiali, & formali: materialis verò, & formalis sunt simul natura: Hæc conclusio quoad primam partem deducitur ex Scoto in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *ostenso esse, vers. Nunc ulterius*, lit. S. Et quoad omnes partes sic proponitur à Merinero hic disp. 7. quæst. 1. Probatur prima pars; quia, ut communiter ab omnibus admittitur, movetur à fine ad actualiter operandum, ita ut si sit vera hæc causalis; *Quia finis actualiter movet, efficiens actualiter operatur*, non verò è contra; ergo in actualiter causando prior natura est causa finalis, quam efficiens; & consequenter etiam est prior materiali, & formali, quæ sunt natura posteriores efficientes, quod est secunda pars conclusionis, quæ probatur; quia uniones materiæ, & formæ, quæ sunt conditiones ad causandum proveniunt ab efficienti actualiter causante; ergo priùs natura est efficiens actualiter causans, quam materia, & forma actualiter causantes; & juxta communem modum loquendi hæc est vera causalis; *Quia efficiens actualiter causat, materia, & forma actualiter causant*; non verò è contra.

11 Tertia pars probatur; quia uniones, quæ sunt conditiones ita requisitæ ad causandum in materia, & forma, ut positis illis, necessariò ponantur causalitates, sunt simul natura; ergo materia, & forma sunt simul natura in actualiter causando. Antecedens patet, quia correlationes, & correlativa sunt simul natura.

12 Advertendum tamen est ut aliquæ auferantur æquivocationes, & varii modi dicendi concilientur, quod prioritas, & posterioritas naturæ, quæ inter causas actualiter causantes in-

intercedit, non est prioritas essendi, ita ut prius possit esse sine posteriori; in quo sensu loquitur de prioritate, & posterioritate naturæ Arist. 5. met. 11. nullatenus enim potest causa finalis actualiter causare, quin etiam efficiens actualiter causet, ita ut finis habeat aliquam causalitatem præcedentem causalitatem agentis; neque potest efficiens actualiter causare, quin etiam materia, & forma actualiter causent, ita ut efficiens habeat aliquam causalitatem præcedentem causalitates materiæ, & formæ. Dicitur autem talis ordo prioritas, & posterioritas intelligendi, ita ut priùs intelligatur causare finis, deindè efficiens, & posteà materia, & forma; licèt non intelligatur completa causalitas alicujus, quin etiam causalitates aliarum intèlligantur, eo quod nulla causalitas intelligitur completa, quin effectus completè intelligatur causari, effectus enim non intelligitur completè causari, quin omnes causalitates intelligantur

13 Dicimus 7. causæ nequeunt ad invicem esse causæ secundùm eamdem rationem, neque in eodem, neque in diverso genere causandi: at verò secundum diversas rationes in eodem, & in diverso genere causandi, possunt ad invicem esse causæ. Conclusio quoad utramque partem est communis inter Scotistas; & quia illius plena notitia desumenda est ex alibi dictis, & dicendis, breviter.

14 Probatur prima pars: quia omne causans, in quocumque genere, debet præsupponi ad effectum secundùm illam rationem, secundùm quam causat: ergo secundùm eamdem rationem nequit causari à suo effectu in aliquo genere causæ. Patet consequentia: quia effectus, secundùm rationem, secundùm quam est effectus, est posterior sua causa: ergo si causa, secundum eamdem rationem, secundùm quam causat, causaretur à suo effectu in quocumque genere causæ, esset respectu ejusdem se-

secundùm eamdem rationem priùs, & posterius: hoc implicat: ergo.

15 Probatur secunda pars: quia materia prima in genere causæ materialis est causæ formæ quoad suum esse simpliciter; forma verò est causa materiæ in genere causæ formalis, non quoad suum esse simpliciter, sed quoad suum esse formale, seu ad esse in aliqua specie completa determinata. Deinde, sanitas, ut habet esse in intentione est causa finalis laboris; & labor est causa efficiens sanitatis, prout in esse existentiali; similiter pater secundùm suum esse reale causat filium, & posteà potest doceri à filio, & si causari ab illo in esse sapientis. Ratio autem stat in hoc, quòd nullatenus sequitur, idem respectu ejusdem esse causam, & effectum, cùm non ponatur eadem res secundùm eamdem rationem causæ, & effectus alterius, sed secundùm unam rationem; ponitur causa, & sic prior, & secundùm aliam rationem ponitur effectus, & sic posterior; & secundùm unam rationem ponitur dans esse, & secundùm aliam recipiens esse; quod nullum videtur inconveniens. Pro tota quæstione potest videri Mastrius in Physica disp.8.q.1.art.1. ubi cit. Scotum aliquibus in locis.

QUÆSTIO II.

In qua comparantur causa cum suis effectibus.

1 PLura sub hoc titulo dubitantur, sicut dictum est quæst. præcedenti; quia sicut pluries possunt comparari causæ inter se, ita pluries possunt causæ cum suis effectibus comparari. Itaque

2 Dicimus 1. quælibet causa distinguitur realiter à suo effectu. Conclusio est communis; quia nihil potest seipsum causare, & à seipso in suo

ſuo eſſe dependere; unde ortum habuit illud commune proloquium: *Quidquid fit, ab alio fit*. Quomodo autem hoc intelligatur de cauſa materiali, & formali, quæ ſunt partes intrinſecæ ſui effectus, dictum eſt loquendo de diſtinctione totius per ſe phyſici à ſuis partibus.

3 Dicimus 2. quælibet cauſa in ratione formali talis eſt perfectior ſuo effectu, ut tali formaliter. Concluſio etiam eſt communis, & patet ex eo, quòd effectus dependet à cauſa in ſuo eſſe, non verò è contra; dependentia autem dicit imperfectionem in illo, quod dependet, non tamen in illo, à quo dependet; quapropter Deo tribuitur ratio cauſæ, nullatenus tamen ratio effectus; ergo.

4 Dicimus 3. ſi tam cauſa, quàm effectus, non formaliter ut tales, ſed materialiter ſecundùm ſuas entitates accipiantur, cauſa materialis eſt imperfectior ſuis effectibus; ſcilicet forma, & compoſito. Concluſio etiam eſt communis; omnes enim admittunt; materiam primam, quippè puram potentiam, eſſe imperfectiorem forma, quippè actu formali; & conſequenter imperfectiorem compoſito, quod tamquam partem includit formam. Hoc intelligitur de cauſa materiali rigoroſè ſumpta, ſcilicet pro materia prima; nam ſi ſumatur latè, ſcilicet pro quocumque ſubjecto, ex cujus potentia educitur aliqua forma, poteſt cauſa materialis eſſe perfectior effectu: quia illa poteſt eſſe ſubſtantia, & effectus accidens.

5 Dicimus 4. etiam materialiter cauſa formalis eſt imperfectior ſuo effectu, ſcilicet compoſito. Concluſio eſt communis inter Scotiſtas, & alios contra aliquos antiquos. Probatur: quia quod continet perfectionem alicujus, & ampliùs aliam perfectionem, eſt perfectior illo, cujus perfectionem continet; ſed compoſitum continet perfectionem formæ, & ampliùs perfectionem materiæ: ergo compoſitum eſt

per-

perfectior forma; ac per consequens, &c. Fundamentum oppositæ sententiæ nititur in hoc, quòd compositum totam suam perfectionem recipiat à forma; quod quidem fundamentum falsum est; quia etiam compositum recipit aliquam perfectionem entitativam à materia, quæ, licèt respectu formæ dicatur imperfecta, absolutè tamen aliquam habet perfectionem, sicut aliquam habet entitatem.

6 Dicimus 5. causa finalis, materialiter sumpta, est perfectior suo effectu regulariter. Conclusio sic proposita à nemine negatur; & ratio pro illa est; quia entitas medii, quod est effectus causæ finalis, ordinatur ad entitatem finis: sed imperfectius ordinatur ad perfectius: ergo. Diximus: *Regulariter*; quod ita debet intelligi, quòd omnia media, quæ ex natura sua ordinantur ad finem, sunt imperfectiora illo, eò quòd natura semper imperfectius ordinat ad perfectius; & similiter, omnia media, quæ ab agente libero ordinatè operante, ordinantur ad finem; eò quòd agens liberum ordinatè operans, sequitur in modo operandi naturam; tamen quia agens liberum potest pro suo libito, licèt inordinatè operando, constituere sibi pro fine rem minus perfectam, quam media, quibus consequenda est; ideò non est verum universaliter, quòd causa finalis in sua entitate sit perfectior suo effectu.

7 Dicimus 6. causa efficiens, materialiter sumpta, si sit causa totalis univoca, est ejusdem perfectionis cum effectu: si autem sit totalis æquivoca, est perfectior suo effectu; si tamen tantùm sit partialis, potest esse imperfectior suo effectu. Prima pars patet: quia causa univoca debet esse ejusdem essentiæ, & speciei cum effectu; in hoc enim consistit univocatio; sed quæ sunt ejusdem essentiæ, & speciei, sunt æqualis perfectionis: ergo. Probatur secunda pars; quia causa æquivoca est diversæ speciei à suo

effe-

effectu; & aliàs effectus nequit esse imperfectior sua causa efficienti totali, ut alibi dictum est, & omnes fatentur: ergo debet esse imperfectior sua causa æquivoca. Consequentia patet ex eo, quòd species non sunt æqualis perfectionis, ut fert communis sententia; si autem species possint esse æqualis perfectionis, ut aliqui, non improbabiliter, tenent, tunc effectus causæ efficientis æquivocæ poterit esse ejusdem, seu æqualis perfectionis cum sua causa.

8 Tertia pars etiam patet; quia causa partialis non debet necessariò continere totum effectum: ergo neque totam perfectionem effectus; & consequenter potest esse imperfectior illo. Antecedens patet: quia si necessariò contineret totum effectum, posset se sola producere illum: hoc est falsum; quia plures causæ partiales nullatenus possunt sine consortio alterius concausæ effectum producere.

9 Dicimus 7. causa, si non consideretur, ut actualiter causans, non necessariò est simul tempore cum effectu; at verò ut actualiter causans necessariò est simul tempore cum effectu. Conclusio est communis; & patet prima pars, quia res, quæ dicitur causa, bene potest existere, quin actualiter causet, in quo casu erit causa pro tempore; pro quo non sit effectus. Deinde postquam productus est effectus, potest causa efficiens destrui; & in tali casu erit effectus pro tempore pro quo non sit causa, ergo. Secunda pars etiam patet; quia impossibile est dari causam actualiter causantem, quin simul detur effectus actualiter terminans causationem; & similiter est impossibile, dari effectum actualiter terminantem actionem causæ, quin simul detur causa actualiter causans, seu dans esse effectui.

10 Dicimus 8. causa actualiter causans, si consideretur formaliter; hoc est ut dicit relatio-

tionem causæ ad effectum, est simul natura cum effectu. Conclusio patet ex illo communi axiomate ab omnibus recepto, & ab Arist. assignato, scilicet: *Correlativa sunt simul natura, &c.* Sed causa, & effectus in sensu conclusionis sunt correlativa: ergo.

11 Non desunt aliqui Scotistæ, qui tenentes, causalitatem causæ esse relationem causæ ad effectum, asserant consequenter, inter causam, & effectum ut dicunt relatione, dari ordinem, ita ut causa sit prius effectu, non prioritate naturæ *in quo*, quam, ipsi dicunt, stare in hoc, quòd unum possit concipi priùs quam aliud concipiatur, & quæ inter relativa intercedere non potest, cùm ex Arist. sint simul natura, cognitione, & definitione, benè tamen prioritate *à quo*, quam, dicunt; stare in hoc, quod unum concipiatur, ut id, à quo aliud dependet, licèt simul natura concipiantur.

12 Sed licet possit admitti talis prioritas, & posterioritas inter causam, & effectum, adhuc, ut sunt correlativa; sicut inter Divinas Personas admittitur à Theologis prioritas, & posterioritas originis; tamen explicatio non debet admitti; quia si hæc prioritas *à quo* inter correlativa sufficit, ut unum dicatur ab alio dependere, difficilè assignabitur, cur pater Æternus non dicatur causa Filii, & cur Filius non dicatur dependere ab æterno Patre, cùm detur inter illos talis prioritas *à quo*, ut attentè discurrenti patebit, & dicitur in materia de Trinitate: Igitur, dicendum videtur, quod licet detur talis ordo inter causam, & effectum, non denotat dependentiam effectus à causa, & sic nequit causalitas esse relatio causæ ad effectum, Pro hac, & sequente conclusione videantur quæ diximus de causalitate in communi, & attenti videantur, nè fortè aliquid contra hoc ex ibi dictis oriatur.

14 Dicimus 9. causa actualiter causans, sum-

sumpta pro materiali, & fundamentaliter, est prior natura effectu. Patet quia id, à quo aliquid dependet est priùs natura illo: a causa actualiter causante dependet effectus: ergo causa actualiter causans, est prior natura effectu. Ubi advertendum est, ne contentio fiat de nomine, quòd juxta communiorem modum loquendi prioritas temporis dicitur prioritas *in quo*, & prioritas naturæ dicitur prioritas *à quo*; & similiter prioritas temporis dicitur prioritas quoad esse, & prioritas naturæ dicitur prioritas quoad intelligi, seu naturalis præsuppositionis; ubi advertendum est, quod non semper prioritas naturæ denotat dependentiam, ut contingit in essentia Divina, quæ est prior natura attributis Divinis, & tamen Divina attributa non dependent ab essentia. Adverte etiam, quod inter priùs, & posteriùs natura, ut talia, valet subsistendi consequentia, unum enim necessariò infert aliud in existendo, ut facilè patebit discurrenti, & consideranti.

14 Dicimus 10. influxus, medio quo causa influit in effectum, est priùs natura effectu, & posterius natura causa, licèt non, ut *quod* saltim, ut *quo*. Patet; quia eo modo, quo aliquid est causa, est prius natura effectu; & eo modo, quo aliquid est effectus, est posteriùs natura causa: sed influxus se habet ex parte causæ, ut *quo*; est enim id, medio quo influit in effectum: & se habet ex parte effectus, ut *quo*; est enim id, medio quo effectus recipit esse à causa: ergo ut *quo* est influxus prior naturà effectu, & posterior natura causa. Hoc nihil videtur habere difficultatis. Alia quæst. seq. proponentur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An idem numero effectus possit produci simul à pluribus causis totalibus non subordinatis?

1 NOtanter diximus in titulo quæstionis: *à pluribus causis totalibus non subordinatis*: quia effectum unicum posse produci à pluribus causis partialibus; & à pluribus causis totalibus subordinatis, ut sunt causa prima, & secunda, nemo est qui dubitet. Et non procedit quæstio de causis intrinsecis; quia omnes unanimiter fatentur, non posse constitui idem numero compositum pluribus adæquatis materiis, neque pluribus adæquatis formis non subordinatis. (De pluribus autem formis adæquatis subordinatis dicetur in libris de generatione) solum ergo procedit difficultas de causis extrinsecis, & præcipuè exagitatur de causis efficientibus, & quidquid de illis dicatur, ad causas finales applicari potest. Igitur.

2 Tres communiter assignantur sententiæ; prima asserit, idem numero effectus naturaliter posse produci à pluribus causis totalibus non subordinatis. Secunda tenet, id posse contingere supernaturaliter, licèt non naturaliter. Tertia denique negat, hoc aliquomodo evenire posse. Sic Scotus in 1. dist. 2. quæst. 3. §. *in ista quæstione*, *vers. Quantum ad quartam viam*, lit. B. & in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *ad quæstionem*, lit. A. Plures Auctores pro his sententiis videri possunt apud nostrum Mastrium in phys. disp. 8. q. 3. art. 2.

3 Dicimus ergo: unicus effectus nequit provenire à pluribus causis totalibus non subordinatis simul causantibus. Conclusio stat pro tertia sententia, quam tenent omnes Scotistæ, & communiter Thomistæ contra plures Jesuitas, qui

qui tenent, hoc posse supernaturaliter evenire, licèt non naturaliter. Probatur rationibus deductis ex Scoto citato, & ostendentibus, id, adhuc supernaturaliter, repugnare. Prima est, quia impossibile est, idem simul dependere per se à pluribus totaliter, & adæquatè suam dependentiam terminantibus: sed si unicus effectus à pluribus causis totalibus simul produceretur, dependeret simul à pluribus suam dependentiam terminantibus: ergo. Prob. maj. quia si aliquid dependeret simul à pluribus suam dependentiam totaliter terminantibus, sequeretur, quòd à nullo essentialiter dependeret; vel quòd simul ab uno dependeret, & non dependeret essentialiter: hoc implicat: ergo nequit aliquid simul à pluribus essentialiter dependere. Probat. seq. quia, tunc aliquid non dependet essentialiter ab aliquo, quo non existente, illud esset, seu existeret: sed si aliquid dependet simul à pluribus totaliter, quolibet illorum non existente, existeret illud, cùm quodlibet illorum sit sufficiens, ut supponitur, ad illius existentiam: ergo à nullo illorum essentialiter dependeret. Deinde: si dependet essentialiter à quolibet, à quolibet dependet, & non dependet essentialiter; cùm quolibet non existente, adhuc illud existeret.

4 Respondent negando majorem, & sequelam probationis simul cum suis probationibus; quia, inquiunt, ut aliquid essentialiter, & per se ab aliquo dependeat, non necessariò requiritur, ut auferatur id, quod dependet, ablato illo à quo dependet, sed sufficit, quòd ab illo verè recipiat esse, licèt illo non dante esse, & sic cessante dependentia ab illo, adhuc retineat esse, ut ab alio datum.

5 Sed contra est: quia dependentia per se distinguitur à dependentia per accidens in hoc, quòd dependentia per se dicit aliquam necessitatem, & non contingentiam, sicut dicit depen-

den-

dentia per accidens, sed talis necessitas nequit esse alia, nisi, quòd id, quod per se dependet ita connectatur cum illo, à quo per se dependet, ut pro instanti dependentiæ nequeat unum existere sine alio; si enim unum sine alio existere possit, jam erit dependentia cum contingentia, quæ est dependentia per accidens; ergo unum ab alio per se dependere, non solum dicit, unum ab alio totaliter recipere esse, sed etiam, ut nequeat habere esse sine illo pro instanti, pro quo ab illo per se dependet.

6 Deinde; dependentia per se effectus à causa fundatur in indigentia, quam habet effectus, ut producatur à causa ad existendum; ergo si aliquis effectus in hoc instanti ita producatur ab una causa, ut ad existendum non indigeat illa; & similiter ita producatur ab alia, ut non indigeat illa ad existendum, necessariò sequitur à nulla per se dependere: sed si à duplici causa totali simul produceretur, ita produceretur à qualibet, ut illa non indigeret ad existendum, cùm qualibet ablata, & alia remanente, adhuc existeret: ergo à nulla per se dependeret, quòd non est dicendum, & consequenter est dicendum, nullatenus posse à pluribus causis adæquatis simul produci.

7 Secunda ratio est: de ratione causæ totalis est totaliter terminare dependentiam effectus: ergo nequit idem effectus à pluribus causis totalibus provenire. Prob. conseq. quia terminata totaliter dependentia effectus ab una causa, nulla remanet dependentia, quæ ab alia causa terminetur: ergo nequeunt plures causæ totales simul terminare dependentiam ejusdem effectus, & consequenter neque illum simul producere. Major patet ex eo, quòd totalis dependentia effectus fundatur in indigentia illius, ut producatur à causa ad existendum: sed de ratione causæ totalis est exhaurire totam effectus indigentiam; ergo terminata tota dependentia

effe-

effectus ab una causa, nulla remanet dependentia, quæ terminetur ab alia; ac per consequens, &c.

8 Aliqui respondent; quòd, licet verum sit, effectum tantùm unica causa indigere, suam dependentiam terminante, potest tamen Deus tribuere effectui id, quo non eget, scilicet dependentiam ab altera causa, qua non egebat ad existendum; sicuti inquiunt, corpori, in uno loco existenti, potest Deus tribuere simul alium locum, quo non indigebat.

9 Sed contra est; quia relatio dependentiæ effectus ad causam fundatur in indigentia effectus: ergo cùm nequeat poni relatio sine fundamento, nequit poni dependentia effectus sine indigentia: talis indigentia in effectu nequit augeri sine intrinseca mutatione naturæ effectus; ex sua enim natura habet talem indigentiam: ergo cùm nullatenus natura effectus intrinsecè mutetur, nullatenus augetur ejus indigentia; & consequenter, neque potest terminari illius dependentia, nisi unica adæquata causa. Neque valet paritas de corpore, quia dependentia corporis, quæ dicitur, locati ad locans, non est simpliciter necessaria ex parte ejus, quod dependet, sicut est dependentia causati ad causans; sed tantum est aliqualis dependentia, tanquam ad aliud, quod natum est conservare corpus in sua dispositione naturali; relationes autem, quæ non dicunt dependentiam essentialem posterioris ad prius, non implicat, super idem fundamentum purificari; quia per eas non suppletur intrinseca indigentia, ut aliquid sit. Sed de hoc amplius cum Scoto lib. 4.

10 Alii resp. Quod licet naturaliter indigentia effectus totaliter expleatur ab unica totali causa, non tamen supernaturaliter, seu in ordine ad potentiam Dei; sicuti materia per unam formam totaliter expletur, non ta-

men supernaturaliter, ratione latitudinis potentiæ obedientialis: Sed contra est, quia, si effectus ex natura sua, & ab intrinseco non indiget aliqua causa, ut sic, eò quòd ab alia totaliter, & sufficienter ponitur in esse: ergo neque ratione potentiæ obedientialis poterit habere, ut ab intrinseco indigeat tali causa; ac per conseq. neque ab illa poterit simul cum dependentia ab alia dependere; hoc patet, quia ab aliqua causa per se dependere nil aliud est, quàm indigere illius concursu ad existendum. Prima conseq. patet, & quia in recreata potentia obedientialis, ut suo loco diximus, non distinguitur ab ipsa potentia naturali entitativè, sed tantum respectivè, seu in ordine ad agens; & quia nequit Deus efficere, ut effectus, qui ex sua natura non dependet ab aliquo, ex eo quòd illo ab intrinseco non indiget, ab illo dependeat; quia non mutata rei natura, neque indigentia illius mutari potest: ergo nil juvat obedientialis potentia, ut effectus, qui ex natura sua non indiget dependere ab aliquo, ab illo possit dependere; ac per conseq. &c. Neque exemplum de materia aliquid valet; tum quia materia, non dependet à forma in suo esse; tum etiam quia materia quantum est ex se habet potentiam ad omnes formas recipiendas simul, & ab agente, & aliis circumstantiis limitatur ad unam tantum naturaliter recipiendam.

11 Tertia ratio pro conclusione est; causa admittens in sua actuali causatione concursum alterius causæ, nequit dici totalis, & adæquata, sed partialis, & inadæquata: ergo nequit idem effectus à pluribus causis provenire, quæ respectu illius totales dicantur. Antec. prob. quia quando causa totaliter potens influere in effectum, admittit influxum alterius causæ ejusdem ordinis, vel ipsa influit in effectum præstando totam suam virtutem, vel solum par-

partem suæ virtutis, quæ simul cum virtute alterius causæ est sufficiens ad producendum effectum? Si primum: ergo effectus productus à pluribus causis, erit majoris perfectionis, quàm si ab una tantùm produceretur; quippe à majori virtute in ipsum totaliter influente proveniret. Si secundum: ergo nulla causa concurrit totaliter ad effectum, sed tantùm partialiter, siquidem non per totalem, sed per partialem virtutem quælibet concurrit; ac per consequens nullatenus proveniret idem effectus à pluribus causis totalibus, & adæquatis.

12 Et potest confirmari; quia si effectus posset supernaturaliter provenire simul à pluribus causis, à quibus nequit naturaliter simul provenire; vel hoc esset, quia Deus elevaret virtutes causarum? Vel, quia augeret indigentiam effectus? Non primum, ut ex se patet; quia cùm quælibet causa habeat sufficientem virtutem ad effectum producendum, nullatenus causa ad hoc indiget elevari. Neque secundum; nam, ut supra dictum est, nequit indigentia effectus mutari, quin ipsa natura effectus mutetur. Neque, si admittatur, posse à Deo augeri indigentiam effectus, aliquid contra nos convincit, quia posita in effectu tali indigentia, nullatenus posset produci totaliter à qualibet causa seorsim, cùm nullatenus indigentia illius posset à qualibet causa totaliter suppleri: ergo non totaliter, sed partialiter concurreret quælibet causa ad supplendam talem indigentiam, & consequenter ad productionem effectus: ergo jam non proveniret effectus à pluribus causis totalibus, & adæquatis.

13 Quarta ratio pro conclusione est; nequit idem bis produci in eodem instanti; ergo neque simul causari à duplici causa totali. Patet consequentia, quia si aliquid simul causatur à duplici causa totali, bis in eodem instanti produ-

citur. Prob. antec. quia nequit aliquid bis in eodem instanti corrumpi; nam ut aliquid totaliter desinat sufficit unica corruptio; quia illa posita, nihil ampliùs manet corrumpendum: ergo neque potest bis in eodem instanti produci; eadem enim videtur esse ratio.

14 Aliqui respondent, concesso antecedenti, negando conseq. quia inquiunt, si effectus à duplici causa simul produceretur, non bis, sed semel poneretur extra suas causas; ut patet in effectu proveniente simul à pluribus causis subordinatis, qui non bis, sed semel producitur, eò quòd non bis, sed semel ab illis egreditur, & extra illas ponitur. Sed contra est: quia est maxima differentia in eo, quòd effectus proveniat à pluribus causis subordinatis, aut non subordinatis; quippe ex eo effectus productus à pluribus causis subordinatis dicitur semel egredi ab illis; quia non ponitur sufficienter in esse per actionem, seu influxum unius, quin simul altera concurrat. sed quælibet causa totalis non subordinata ponit suam totalem actionem, seu influxum sufficientem ad ponendum effectum in esse independenter à consortio alterius causæ totalis: ergo talis effectus dicitur totaliter egredi à qualibet causa independenter ab alia: ergo etiam debet dici bis egredi, seu bis produci, si proveniat à prædicta duplici causa totali non subordinata.

15 Alii respondent negando antecedens, & antecedens probationis: quia inquiunt, benè potest aliquid bis corrumpi in eodem instanti, si desineret esse per subtractionem duplicis totalis influxus, quo priùs conservabatur. Sed contra est: quia prædicti concursus non sunt ita necessariò connexi, ut cessante uno, debeat & alter cessare: ergo deficiente uno, potest alter remanere. Antecedens patet: quia prædicti concursus ita se habent quoad suum esse, ut possit poni unus, quin alter ponatur;

tur;

tur; nemo eſt, qui hoc neget; ſimiliter poterit unus deſinere eſſe, quin alter neceſſariò eſſe deſinat. Nunc ſic; vel deficiente aliquo concurſu, & remanente altero, deficeret effectus quoad ſubſtantiam, vel non? Si primum: ergo talis effectus non conſervabatur per illum concurſum; neque ille concurſus ad talem effectum pertinebat; cùm ex illius deſitione nihil ſubſtantiæ effectus deperdatur. Si ſecundum; vel ita deſinit effectus quoad ſubſtantiam ut nihil illius maneat deſtruendum; & ut ſic jam habemus intentum; ſcilicet, quod effectus nequit bis corrumpi in eodem inſtanti. Vel ita ut aliquid deſtruatur, & aliquid remaneat, ut ſic clarè videtur, quòd id, quod remanet, non conſervabatur ex vi illius concurſus, ſed ſolùm id, quod deſtruitur; & hoc ſemel deſtructum, nequit ampliùs deſtrui, niſi iterùm producatur: remanet ergò firmum, nihil poſſe ſimul bis corrumpi, neque ſimul bis produci; & conſequenter quòd idem effectus nequit ſimul à pluribus cauſis totalibus provenire.

16 Pluribus inſurgunt adverſarii contra noſtram concluſionem, ex quibus præcipua proponemus, & ex illorum ſolutione, aliorum ſolutio deduci poteſt. Arguunt igitur primò: ſi plures Sacerdotes ſimul proferrent verba conſecrationis ſupra eamdem hoſtiam, omnes adæquatè illam conſecrarent; ergo talis conſecratio haberet plures cauſas totales, & adæquatas ejuſdem ordinis. Reſp. omiſſis variis ſolutionibus, quòd ſi in caſu argumenti daretur phyſicus concurſus, ſive principalis, ſive inſtrumentalis, aliquid videretur argumentum convincere, licèt adhuc in hoc ſenſu à Thomiſtis ſolvatur; at verò in noſtra, & Scoti ſententia, quæ tenet, ſacramenta non influere phyſicè, ſed eſſe tantùm inſtrumenta moralia, nihil convincit argumentum. Videatur Scotus in 4. diſt. 6. quæſt. 2. §. *de primo*. Igitur dicendum eſt,

quòd cùm Sacerdotes proferentes verba consecrationis non influant physicè in consecrationem hostiæ, sed tantum sint quædam signa, seu moralia instrumenta, ad quorum positionem Deus decrevit hostiam consecrare, parum refert, quòd plurificentur, vel non; quia semper se habent per modum unius motivi attrahentis Deum ex vi sui decreti ad consecrandam hostiam. Ad quod non obstat, ut benè notavit Merinerus, quòd si prædicta verba proferrentur ab uno tantum Sacerdote, sufficerent ad movendum Deum, ut hostiam consecraret; quia tunc, licèt entitativè esset idem numero decretum, esset tamen respectivè distinctum numerò à decreto, quo concurreret ad consecrandam hostiam in casu argumenti; nam hoc respiceret pro motivo instrumentum morale constitutum ex pluribus prolationibus verborum consecrationis; & qualibet prolatione deficiente, deficeret tale numero decretum respectivè. Idem dicendum est in simili casu de Sacramento Baptismi, de quo loquitur Scotus loco citato; semper enim quilibet Minister proferens verba, se haberet ut partiale motivum, non ut tale.

17 Arguunt 2. potest aliquis moveri ad aliquem effectum ponendum propter duos fines adæquatos, quorum quilibet solus sufficeret ad ponendum talem effectum; ut si quis propter sanitatem, & recreationem simul deambularet, quælibet enim seorsim est sufficiens ad ponendam deambulationem; ergo idem effectus proveniret à duplici causa finali adæquata. Resp. sicut ad præcedens argumentum, quòd in tali casu prædicti fines non totaliter, sed partialiter concurrerent, & ex illis unicus finis totalis integraretur; neque esset idem influxus, quo concurrit unus finis simul cum alio, qui esset si solus concurreret; nam influxus illius, quando concurrit simul cum alio, est influxus,

quo

quo movet voluntatem ad ponendum effectum propter utrumque finem: influxus verò, quo solus movet, est influxus attrahens voluntatem ad ponendum effectum propter se solum, qui quidem influxus valdè diversi sunt, sicut etiam sunt diversæ volitiones, quæ ad ipsorum motiones sequuntur. Hoc argumentum, sicut & præcedens, videntur etiam militare contra negantes ex una parte, eumdem effectum non posse provenire simul à pluribus causis totalibus naturaliter, & ex alia affirmantes, hoc posse supernaturaliter evenire; quapropter etiam tenentur illa solvere, & disparitatem assignare, quam fortè difficulter invenient.

18 Arg. 3. potest supernaturaliter idem numero accidens informare simul plura numero subjecta; eadem forma plures numero materias: ergo idem numero effectus potest produci simul à pluribus causis totalibus. Prob. conseq. quia sicut effectus dependet à causa, ita accidens à subjecto, & forma à materia. Resp. neg. conseq. & illius probationem: quia licet accidens, quod educitur de potentia subjecti, dependeat ab illo in suo esse, numquam tamen concedimus, posse idem numero accidens informare plura numero subjecta, ita ut de potentia utriusque totaliter educatur, sed ita ut educatur totaliter de potentia unius, & ab illo totaliter in suo esse dependeat, & alia informet, quin de illorum potentia educatur, neque ab illis in suo esse dependeat; vel ita ut partialiter de omnium potentia educatur, & ab omnibus partialiter dependeat in suo esse. Idem dicendum est de forma informante plures numero materias. Si autem effectus simul produceretur à pluribus causis totalibus, à qualibet totaliter in suo esse dependeret, quod est inconveniens in nostris rationibus propositum.

19 Arg. 4. idem numero corpus potest super-

naturaliter simul esse in pluribus locis adæquatis: ergo & idem numero effectus simul à pluribus causis adæquatis produci. Resp. neg. conseq. & paritatem: quia corpus non dependet per se à loco, quoad suum esse, sicut effectus dependet à causa: solùm autem dependet à loco *ubi*, seu præsentia locali, quem corpus dicit ad locum; quæ quidem præsentia est relatio extrinsecus adveniens, ut suo loco diximus in logica, & quando corpus supernaturaliter ponitur in pluribus locis, multiplicatur talis præsentia, seu relatio, & sic non unica præsentia dependet à pluribus locis, sed quælibet præsentia à loco sibi correspondente dependet; Similiter potest responderi ad aliud argumentum de pluribus formis adæquatis in eadem materia; quia materia non dependet in suo esse à forma; & quia tunc non unicus, sed plures effectus essent, ut dictum est loquendo de materia, & forma.

20 Arg. 5. si duo homines concurrerent ad portandum lapidem, quem quilibet propria sua virtute portare posset, tunc adæquatè portaretur à quolibet. Denique, si duo luminosa ejusdem activitatis penetrarentur, & sic applicarentur eidem diaphano, lumen produceretur ab illis tamquam à duplici causa totali, cùm utrumque habeat virtutem ad illud producendum; & aliàs non apparet unde talis virtus impediatur. Denique, si duo agentia ejusdem rationis, & æqualis virtutis applicarentur à Deo simul eidem materiæ dispositæ, producerent eumdem numero effectum, & quidem quodlibet totaliter, cùm ut supponitur, quodlibet habeat virtutem sufficientem ad illum producendum: ergo,

21 Respondetur ad primum negando, quòd in tali casu totaliter portaretur lapis à quolibet homine; ab utroque enim simul totaliter, & à quolibet tantùm partialiter portaretur; quia li-

licèt quisque seorsim haberet ad hoc sufficientem virtutem, tamen propter consortium alterius, non adhiberet totam suam virtutem, sed tantùm virtutem partialem necessariam; quod ex eo patet, quia faciliùs, & minori conatu portat lapidem cum consortio alterius, quàm portaret sine illo.

22 Ad secundum respondetur, vel quòd in tali casu lumen intensiùs produceretur à duobus luminosis simul, quàm posset produci à quolibet seorsim. Vel quòd si diaphanum solùm sit capax luminis juxta intensionem, secundùm quam potest à quolibet luminoso seorsim produci, tunc producerentur duo lumina ejusdem intensionis, & reciperentur simul in diaphano, quòd supernaturaliter benè potest duo accidentia numero distincta recipere. Si autem juxta naturalem exigentiam subjecti operarentur, tantùm producerent unicum lumen, non totaliter, sed solùm partialiter concurrendo; quia tunc ita limitaretur virtus illorum in actuali operatione, ut non totalem, sed tantùm partialem virtutem adhibere possent; quæ quidem limitatio proveniret, & ex eo quòd effectus non exigit majorem virtutem ad sui productionem, & ex eo quòd diaphanum nequit naturaliter intensiùs lumen recipere. Vel etiam potest dici, quòd in tali casu lumen produceretur totaliter ab unico luminoso, altero nihil operante ex dispositione divina hoc ita determinante, propter inconvenientia, quæ aliàs sequerentur. Similiter respondetur ad tertium; eadem enim videtur esse ratio.

23 Arg. 6. Idem effectus de facto producitur à duplici causa totali subordinata, scilicet à Deo, & à causa secunda: ergo etiam potest produci à duplici causa totali non subordinata. Prob. conseq. quia quòd causæ sint subordinatæ, non aufert, quòd effectus totaliter de-

pendeat à duplici causa, quarum quælibet, & maximè prima, est sufficiens se sola ad illum producendum: ergo cum hoc, quòd effectus producatur totaliter ab una causa, potest stare, quòd simul producatur ab alia; ac per consequens, &c.

24 Resp. neg. conseq. & paritatem; maxima enim versatur differentia inter causas ejusdem ordinis, & non subordinatas ex una parte, & causas diversi ordinis, & subordinatas ex alia: in assignanda autem tali differentia, omissa explicatione Thomistarum, suis principiis consona, dissona tamen nostris, ut apud ipsos videre est, varii sunt modi dicendi Scotistarum, eo quòd Scotus prædictam difficultatem attingens in 2. dist. 37. quæst. 2. §. *ideò*, lit. M. & N. & in 4. dist. 12. quæst. 1. §. *ad argumenta*, sub lit. R. illam non resolvit; quos quidem modos dicendi proponemus, ut quisque pro suo libito eligat; quilibet enim videtur sufficiens ad intentum, si rectè percipiatur. Igitur

25 Lichetus super Scotum citatum per hæc verba respondet: Dico, quòd Deus potest esse causa totalis, & similiter voluntas, ita quòd in instanti A. naturæ effectus totaliter dependet à voluntate divina, & voluntate creata, & quando dicitur, quòd idem non potest dependere à duabus causis totalibus, dico, quòd hoc verum est loquendo de causis non essentialiter ordinatis, & hoc intendit Doctor in 1. dist. 2. quia si aliquis effectus posset totaliter dependere à duabus causis non essentialiter ordinatis, simul posset esse, & non esse, sed non sic quando sunt essentialiter ordinatæ, quia agente prima, de necessitate agit, & secunda quando prima vult secundam agere, & agente secunda, necessariò prima agit. Ipse Lichetus ibidem ex aliorum opinione aliter respondet his verbis: dico quòd Deus si est causa volitionis, est causa partialis, licèt possit esse causa totalis,

talis,

talis, si vellet, & voluntas nostra altera causa partialis.

26 Quamplures admittunt hanc secundam responsionem, & sic illam explicat: causa prima est totalis in actu primo, quatenus de se habet virtutem sufficientem ponendi totum effectum se sola, si vellet; at verò in actu secundo est partialis, & ejus concursus est insufficiens, ut se solo ponatur effectus, eo quòd causa prima propter suam voluntatem admittit concursum etiam partialem causæ secundæ ad talem effectum producendum; quòd inquit Vulpes tom. 1. part. 2. disp. 7. art. 6. non debet intelligi, ita ut secundùm rem concursus divinus non sit sufficiens ad totaliter producendum effectum, sed ita ut sit insufficiens, & partialis secundùm modum, quatenus, non necessitate, sed pro sua libertate vult Deus, causas secundas secum agere.

27 In quem modum dicendi incidit Mastrius, licèt alia via videatur procedere; quia loquitur de concursu Dei, appellando concursum ipsum actum voluntatis divinæ, qui licèt sit unicus, tamen propter suam eminentiam est virtualiter multiplex, & diversis non solùm numero, sed etiam specie influxibus, æquivalens, majori, & minori pro libito divinæ voluntatis; major enim est concursus, quo Deus concurrit cum equo ad equum producendum, illo quo concurrit cum calore ad producendum calorem; quæ quidem diversitas non est in divino concursu secundùm rem, quippè est unicus, & indivisibilis actus, sed tantùm in modo applicandi eumdem actum ad diversos effectus existentes juxta illorum naturam varios influxus; qui quidem modus applicandi divinum concursum satis arcanus est, quippè ad suavem Dei dispositionem, qua universum gubernat, spectans; & in hoc sensu dicitur Deus suum attemperare concursum, & talem concur-

ſum, ſeu influxum eſſe inſufficiens, quatenus ex modo, quo applicatur, ita indiget conſortio cauſæ ſecundæ, ut ſine illa ſic applicatus non produceret effectum; hæc autem attemperatio nequit inveniri, ut ex ſe patet, in pluribus cauſis totalibus ejuſdem ordinis, ſeu non ſubordinatis, totaliter ad eumdem effectum concurrentibus.

28 Ferè in idem incidit explicatio Poncii; ex qua inquit, nulla ſequitur imperfectio in divino influxu, nam ſicut nullam dicit imperfectionem in tali concurſu, quòd quatenus eſt productivus Leonis, v.gr. non poſſit eſſe productivus Lapidis, eò quòd ut talis, dicit ordinem tantùm ad Leonem; ita nulla ſequitur imperfectio in divino influxu, quo Deus vult producere effectum ſimul cum creatura, quòd non ſufficeret talis influxus ſine creatura ad talem effectum producendum, eò quòd ut talis dicit ordinem ad concurſum creaturæ, & non eſt productio effectus abſolutè, ſed productio effectus ſimul cum creatura: in cauſis autem non ſubordinatis influxus cujuslibet nullum ordinem dicit ad influxum alterius, quatenus attenditur ex parte cauſarum, cùm quælibet, ut ſupponitur, totaliter influeret in effectum.

29 Demùm Tatarettus ſuper ſecundum locum Scoti ſic explicat concurſum Dei cum creatura; ex cujus explicatione facilè deducitur differentia inter cauſas ſubordinatas, & non ſubordinatas; inquit enim: reſpondetur ad hoc argumentum per has propoſitiones: prima eſt, quandocumque Deus, & cauſa ſecunda operantur aliquem effectum, utraque cauſa operatur totum, quoniam non eſt imaginandum, quòd cauſa prima producat unam partem, & cauſa ſecunda aliam partem, ſed utraque cauſa totum effectum attingit. Secunda propoſitio, licèt utraque cauſa, ſcilicet prima, & ſecunda, totum effectum attingat, & producat, ta-

men

men non quælibet illarum totaliter agit illum; quia agere totaliter, est agere nullo alio concurrente; ideò nulla illarum agit totaliter. Tertia propositio: quando Deus agit cum causa secunda, plus agit quàm si ageret se solo; id est, plures termini actionis sunt, quàm si ageret se solo; patet, quia quando Deus agit se solo, non habet nisi unicam actionem, quia producit effectum; sed quando agit cum causa secunda, sunt duæ actiones; habet primam, qua producit effectum secundam, qua facit causam, secundam agere, seu quòd producat. Ex quo sequitur, quòd si quæratur, quare secunda causa operatur effectum? Respondetur, quòd ideò est, quia Deus facit illam operari effectum. Ex quo patet solutio; concedo, quòd licèt actio divina sufficiat ad producendum effectum, tamen ex hoc non sequitur, quòd causa secunda nihil operatur, sed benè sequitur, quòd non necessariò requiritur, causam secundam agere. Hæc Tatarettus. Ex quibus & ex antecedentibus, quisque pro suo captu plures solutiones ad argumentum deducere poterit, & ex illis hic, & nunc, prout tempus, & occasio postulaverit, aptiorem eligere.

QUÆSTIO IV.

An effectus productus ab una causa, potuerit produci ab alia ejusdem rationis?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quòd non inquiritur in illa, an idem numero effectus productus ab una causa, possit iterum ab alia causa produci? Hoc enim, perseverante prima productione, coincidit cum quæsito quæstionis antecedentis: quod autem inquiritur est, an idem numero effectus productus ab una causa, sicut ab illa fuit pro-

productus, potuerit ab alia produci? Quod idem est, ac inquirere; an quilibet numero effectus necessariò exigat produci ab aliqua numero determinata causa, ita ut nullatenus ab alia produci possit; vel an indifferenter possit produci à quacumque causa ejusdem rationis? Circa quam difficultatem.

2 Triplex communiter assignatur sententia. Prima tenet, quemlibet numero effectum ita determinare sibi certam numero causam, ut nullatenus possit ab alia produci. Secunda asserit, effectum numero naturaliter determinare sibi numero causam determinatam; supernaturaliter verò posse produci ab alia. In hac duplici sententia sunt divisi Thomistæ, licèt communiter inter illos absolutè negativa prævaleat. Tertia affirmat absolutè, eumdem numero effectum posse produci à qualibet causa ejusdem rationis, ita ut nullatenus determinet sibi hanc numero causam. Sic Scotus in 2. dist. 20. quæst. 2. per totam, quem, præter Scotistas, sequuntur plures alii, præcipuè ex Jesuitis. Pro qua

3 Dicimus: effectus numero non determinat sibi numero causam, ita ut non possit produci à qualibet ejusdem rationis. Pro conclusionis intelligentia advertendum est primo, non intelligi de causis intrinsecis: nam certum est apud omnes, quemlibet numero effectum determinare sibi certam numero materiam, & formam, ita ut nec supernaturaliter possit esse idem numero effectus, quin constet his numero determinatis materia, & forma: intelligitur autem conclusio de causis extrinsecis, & præcipuè de efficienti, de qua est præcipua controversia; & quod circa illam dicitur, applicari potest causæ finali.

4 Secundò advertendum est, quòd conclusio intelligitur tam supernaturaliter, quàm naturaliter, sed hoc attenta solùm natura effectus

ctus, & causæ, & præscindendo à divinis decretis de concurrendo, vel non concurrendo cum hac, vel illa causa ad hos, vel illos effectus. Nunc

5 Primò probatur conclusio ex Scoto: quia si maneret status innocentiæ, iidem homines electi, qui modo nascuntur, nascerentur: sed aliqui ex illis nunc ex reprobis nascuntur, qui reprobi non existerent, perseverante statu innocentiæ: ergo perseverante tali statu, nascerentur ex aliis; & consequenter effectus numero non determinat sibi aliquam numero causam. Hæc ratio nititur principiis theologicis; quapropter in illa non immoramur.

6 Probatur ergo ratione Philosophica, quæ habet fundamentum in eodem Scoto: quia individuum in sua individuatione, quæ est illa intrinseca, solùm potest dependere essentialiter ab his, quæ intrinsecè ad entitatem intrinsecam illius spectant, ut latè dicetur in Metaphysica loquendo de principio individuationis: sed ad intrinsecam entitatem individui solùm materia, & forma intrinsecè spectant, causa verò efficiens solùm intrinsecè; in hoc enim stat ratio causæ intrinsecæ, & extrinsecæ: ergo effectus in sua individuatione non dependet intrinsecè ab aliqua determinata causa efficiente; ac per consequens potest idem numero effectus à quacumque numero causa ejusdem rationis produci.

7 Respondent, quòd licèt verum sit, causam efficientem esse extrinsecam effectui in se ipso; tamen est intrinseca effectui, prout est in causa, imò ut sic causa est idem cum effectu; nam effectus, prout in causa, nihil aliud est, quàm ipsa causa ut continens effectum; quapropter effectus, prout in causa, accipit unitatem numericam à tali numero causa, & consequenter nequit in alia causa numero distincta contineri, neque ab alia produci.

8 Sed

8 Sed præterquamquod hæc responsio videtur petitio principii; nam omnes fatemur, effectum, prout in causa, non distingui ab ipsa virtute causæ; quia hoc nihil aliud est, quàm dicere, quòd causa continet in sua virtute effectum: & difficultas est, an effectus contineatur in virtute plurium causarum, ita ut à quacumque possit suum numericum esse recipere.

9 Contra est primò: quia effectus, ut in causa, nullam entitatem intrinsecam dicit: ergo nullatenus suam entitatem intrinsecam numericam desumit à determinata numero causa. Prob. antec. quia effectus, ut in causa, nihil aliud dicit, quàm ipsam virtutem causæ: sed virtus causæ est totaliter extrinseca, respectu effectus: ergo effectus, ut in causa, nullam entitatem intrinsecam dicit,

10 Contra secundò: quia eadem numero virtus causæ continet plures numero effectus: ergo idem numero effectus potest contineri in pluribus numero virtutibus causarum. Antecedens admittitur ab adversariis; & consequentia videtur tenere à paritate; quia sicut non multiplicatur numero virtus causæ ex eo, quòd contineat plures numero effectus; ita non multiplicabitur numero effectus, ex eo quòd contineatur in pluribus numero virtutibus causarum.

11 Si autem dicant, virtutem causæ, licèt non entitativè, multiplicari tamen numero virtualiter, eò quòd in hoc, quod est continere plures numero effectus, æquivalet plures numero virtutibus; cur idem non poterit dici de eodem numero effectu, quòd scilicet, licèt multiplicetur virtualiter numero in hoc, quod est contineri à pluribus numero virtutibus causarum, non tamen multiplicetur numero entitativè? Certè nulla apparet disparitas; quia ex eo non multiplica-

catur entitativè numero virtus causæ, licèt contineat plures numero effectus, quia non continet prædictos effectus entitativè, licèt prout in causa, ut tenent adversarii, non distinguantur ab ipsa virtute causæ: ergo neque multiplicatur numero entitativè effectus, si contineatur in pluribus numero virtutibus causarum, quia non continetur in illis entitativè, licèt prout in causis, non distinguatur à virtutibus causarum.

12 Hæc probatio est ratio potissima pro nostra conclusione, qua utuntur omnes Scotistæ, licèt aliis verbis ab aliquibus proponatur, & quam aliqui latè prosequuntur impugnando aliquas responsiones ad illam, quæ haud difficilè impugnantur ex dictis, & dicendis; quapropter & quia negativè, seu ex solutione argumentorum ampliùs patet conclusio, in supradicta probatione non ampliùs immoramur.

13 Argum. 1. causa numericè ab alia distincta habet virtutem numericè distinctam à virtute alterius causæ: ergo nequit eundem numero effectum continere. Prob. consequent. quia virtus numero distincta ab alia continet effectum, etiam numero distinctum ab effectu, quem illa alia continet. Respondeo negando consequentiam, & probationem illius; quia benè stat, quòd idem numero effectus contineatur in virtutibus numero distinctis, hoc enim est, quod asserimus, & hoc non impugnatur in argumento, neque oppositum illius probatur, sed tantum proponitur, & adhuc remanet probandum, & quoadusque probetur, non indiget argumentum amplius resolutione.

14 Replic. per differentiam numericam determinatur causa ad hos numero effectus producendos, & non alios: ergo virtus numericè di-

diſtincta ab alia nequit continere eumdem numero effectum, quem alia continet. Probat. anteced. per differentiam ſpecificam determinatur natura generica ad aliquos ſpecie effectus producendos, quin alios producere poſſit: ergo per differentiam numericam determinatur natura ſpecifica ad aliquos numero effectus, quin alios producere poſſit. Reſp. neg. anteced. & conſequ. probationis; eſt enim maxima diſparitas inter differentiam ſpecificam, & numericam, tum quia differentiæ ſpecificæ conſtituunt naturas diverſæ rationis eſſentialiter, & ſic nil mirum, quod virtus unius naturæ ſpecificæ ſolum poſſit producere effectus ejuſdem rationis eſſentialis cum illa, non verò effectus diverſæ rationis eſſentialis ab illa; at verò differentiæ numericæ non conſtituunt individua diverſæ rationis eſſentialis; & ſic quælibet individua natura poteſt continere quoſlibet effectus, etiam numericè diſtinctos, ejuſdem rationis eſſentialis cum illa. Tum etiam quia differentiæ ſpecificæ ſunt rationes agendi, differentiæ autem individuales non ſunt rationes agendi, ſed tantum conditiones ad agendum; unde benè poſſunt differentiæ ſpecificæ determinare virtutem ad hos ſpecie effectus; non tamen poſſunt differentiæ individuales determinare naturam ad hos numero determinatos effectus; eò vel maximè, quia natura individua ſolum habet virtutem ſpecificam agendi.

15 Deinde, ſi argumentum teneret, probaret plus, quàm intendit; probaret utique, hanc numero cauſam unicum tantum numero effectum continere, & poſſe producere; ſicut natura ſpecifica tantum continet, & poteſt producere effectus unius ſpeciei; imò probaret, non poſſe hanc numero naturam producere, ſeu continere aliquem

quem

quem effectum numero distinctum ab illa; sicut non potest natura specifica producere effectum specie ab illa distinctum; hæc non probat argumentum, ut omnes fateri tenentur; ergo neque probat intentum contra conclusionem.

16 Argum. 2. idem numero effectus solum potest provenire, seu produci per eandem numero actionem; sed eadem numero actio nequit, adhuc divisivè, procedere à duplici causa creata: ergo neque idem numero effectus potest produci à duplici causa totali, adhuc divisivè. Prob. min. quia eadem numero actio nequit in actu secundo actuare duplicem causam numero distinctam, adhuc divisivè; ergo. Resp. distingu. mai. Idem numero effectus solùm potest produci per eandem numero actionem materialiter sumptam, concedo; formaliter sumptam, nego. Similiter disting. min. Eadem actio materialiter sumpta nequit procedere à duplici causa creata, nego; formaliter sumpta, concedo. Eodem modo distinguitur probatio: & negatur consequentiæ. Actio materialiter sumpta est effectus in fieri, & sic à quacumque causa proveniat effectus, erit eadem numero actio; actio verò formaliter sumpta est relatio, & hæc variaretur, variata causa, quòd nullum est inconveniens; effectus enim numero tantùm exigit determinatam numero actionem sumptam materialiter, non autem determinatam numero actionem sumptam formaliter.

17 Argum. 3. si effectus, productus ab una causa potuerit ab alia produci, sequeretur, quod dependeret; & non dependeret à sua causa; hoc non est dicendum: ergo. Probat. sequela: quia, ut supponitur dependeret; deinde non dependeret, quia nequit effectus dependere à causa, sine qua potuit ha-

habere esse : sed si effectus productus ab una causa potuerit ab alia produci , potuit habere esse sine illa , à qua est productus ; ergo non dependeret ab illa ; ac per consequens , &c. Resp. neg. seq. & probationem quoad secundam partem ; solùm enim sequitur, quòd effectus , qui de facto dependet à causa , à qua est productus , potuisset non dependere ab illa , quod nullum est inconveniens ; non autem sequitur , quòd effectus dependeat de facto , & non dependet à causa , à qua est productus , hoc enim esset inconveniens deductum in nostra ratione ad probandam conclusionem quæstionis antecedentis . Neque inferas , effectum per accidens dependere à causa , cùm potuisset ab ea non dependere; quia , ut effectus dicatur per se, & non per accidens à causa dependere , solum requiritur , quod causa secundum propriam naturam influat in effectum , & non per aliquid sibi accidentale; sive potuisset , sive non ab alia dependere. Hæc sunt præcipua argumenta, quibus insurgunt adversarii contra nostram conclusionem ; alia quàm plura minoris momenti solent accumulare , quæ brevitatis causa omittimus , & quia ex dictis, & ex sequentibus observationibus faciles sunt solutiones . Igitur

18 Observandum est , quod conclusio potest limitari propter aliquas occurrentes circumstantias ; etenim solùm debet intelligi , ita ut quælibet numero causa contineat in sua virtute , & possit producere omnes numero effectus ejusdem rationis essentialis , & ejusdem perfectionis individualis ; & hoc modo potest dici , quòd sicut natura generica , quæ ex se poterat producere omnes effectus ejusdem generis, limitatur per differentiam specificam , ut tantùm contineat , & possit producere effectus alicujus speciei determinatæ;

tæ;

tæ; ita natura specifica, quæ ex se poterat producere omnes effectus ejusdem speciei, limitatur per differentiam numericam, ut tantum contineat, & possit producere effectus ejusdem perfectionis individualis; unde licèt calor, ut duo possit producere quoscumque calores, ut duo, numero distinctos; nequit producere calorem, ut tria, ut quatuor, &c. Quamvis omnes prædicti calores solùm numero differant, eò quòd non sunt ejusdem perfectionis individualis.

19 Deinde, aliqui effectus numero habent, tam necessariam connexionem cum determinata numero causa, quòd nullatenus ab alia numero produci possint; v. g. species repræsentativa unius objecti, eò quòd si tantùm repræsentativa sui objecti, ita dicit necessariam connexionem cum illo, ut nullatenus ab alio objecto produci possit.

20 Observandum est etiam, quod licèt omnes effectus numero ejusdem rationis absolutè loquendo contineantur in qualibet numero causa ejusdem rationis; ratione tamen præsentis providentiæ, nequit quilibet numero effectus à qualibet numero causa produci; quapropter Filius nequit producere Patrem suum; nisi fortè post corruptionem Patris, Deus velit concurrere ad suam reproductionem; quapropter num. 4. advertebamus conclusionem intelligi præscindendo à Divinis decretis, & attenta solùm natura causarum, & effectuum. Etiam est observandum, quòd cùm inter producens, & productum necessariò distinctio realis debeat intercedere, idem nequit in sua virtute productiva continere se ipsum, neque se ipsum producere.

21 Denique est observandum, quòd cùm Aristot. dicit, effectum determinatum debere esse à causa determinata, debet intelligi

juxta

juxta aliquos de causa determinata in specie; vel juxta alios de causa determinata in individuo, non ita quòd ex natura sua non posset ab alia numero produci, sed ita quod non à causa in communi, sed ab aliqua causa in particulari producatur ex omnibus illis, à quibus produci potest; quænam autem numero sit hæc causa, provenit à Deo determinante concurrere cum hac, vel cum illa, & determinante etiam effectum producendum hic, & nunc quoad individuum, ut alibi diximus. Hæc sufficiant pro 2. lib.

LIBER TERTIUS PHYSICORUM.

IN tertio libro egit Arist. de motu, qui est præcipua proprietas corporis naturalis, & per ordinem ad quem natura definitur, & quia motus, rigorosè sumptus, est de genere continuorum, & in definitione continui sæpè ponitur infinitum; continuum enim est in infinitum divisibile, ideò etiam in hoc tertio libro egit Arist. de infinito.

DISP. I.

De motu.

NOn egit Arist. in hoc libro de omnibus ad motum pertinentibus, sed tantum de natura motus in communi, alia usque ad quintum librum differendo; quod & nos ipsius ordinem sectando, similiter præstabimus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An motus rectè ab Arist. definiatur?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primò, motum dupliciter accipi posse, materialiter scilicet, & formaliter. Materialiter dicit entitatem rei, quæ fluit, seu est in fieri, aut in esse imperfecto, & in suam perfectionem, seu esse perfectum tendit. Formaliter dicit fluxum, à quo ipsa entitas, quæ procedit ab agente, dum est in fieri fluens denominatur: qui quidem fluxus nihil aliud est, quàm illa mora, quæ in fieri talis entitatis consumitur. Non loquitur Arist. in hoc libro de motu formaliter sumpto, loquitur autem de illo in 4. lib. Hic autem solum accipit motum materialiter.

2 Notandum est secundò, dupliciter posse dici aliquid moveri. Primò, ita ut quomodocumque transeat de non esse ad esse, in quo sensu quidquid producitur, etiam per creationem, dicitur moveri. Secundò, ita ut transeat de non esse sub aliqua forma ad esse sub illa. In hoc sensu sumitur communiter mobile, & sumit eum Aristot. hic; quia motum explicat per ordinem ad subjectum, præcedens formam producendam, ut ex dicendis patebit.

3 Dicimus: definitio tradita ab Aristot. in hoc libro cap. 2. his verbis: *Motus est actus entis in potentia secundùm quod in potentia*, rectè explicat quid sit motus. Conclusio est communis inter Philosophos, qui unanimiter prædictam definitionem admittunt; & non aptius potest probari bonitas illius, quàm singulas particulas explicando.

4 Dicitur *actus* quod ponitur loco generis, & in qua convenit motus cum quamcumque forma; forma enim dicitur actus. Dicitur *entis*

in

in potentia, per quod differt à creatione, quæ cùm non supponat subjectum, quod sit in potentia, quod requiritur ad rationem motus, nequit motus dici. Differt etiam à productione, qua subjectum, & forma simul in eodem instanti producuntur; tunc enim non est subjectum in potentia ad motum, & formam, licèt habeat potentiam ad recipiendum motum, & formam; esse enim in potentia præter habere potentiam connotat carentiam formæ, quam carentiam non connotat subjectum, nisi pro aliquo tempore motum, & formam præcedat. Dicitur *secundum quod in potentia*, per quod differt à quacumque alia forma, quæ ita est actus, ut non relinquat subjectum in potentia, cùm sit terminus ad quem, motus autem relinquit subjectum in potentia ad terminum motus. Constat ergo bonitas definitionis. Sed quia plures æquivocationes oriri solent defectu intelligentiæ terminorum, adhuc pro majori definitionis intelligentia, & pro æquivocationibus auferendis.

5 Aliqua notanda veniunt. Primò igitur est notandum, quod actus potest esse perfectus, vel imperfectus. Tunc dicitur actus perfectus, cùm totaliter actuat potentiam subjecti; hujusmodi sunt formæ substantiales, & etiam accidentales in summo gradu intensionis. Tunc dicitur actus imperfectus, cùm non totaliter actuat potentiam subjecti; sed hoc adhuc dupliciter; vel quatenus actus est aliqua forma remissa; & tunc dicitur actus imperfectus accidentaliter, eò quòd accidentaliter convenit formæ, quòd sit remissa, vel intensa, & sic accidentaliter convenit illi non actuare totaliter potentiam subjecti: vel quatenus actus non est forma in facto esse, sed via, & tendentia ad formam in facto esse; & in hoc sensu motus dicitur actus entis in potentia; quia ita actuat potentialitatem subjecti, ut essentialiter illi conve-

veniat non actuare totaliter, sed partialiter, relinquendo in subjecto potentiam ad terminum motus.

6 Adhuc enim versatur altera differentia inter motum, & formam imperfectam, scilicet, quod forma imperfecta tantùm potest dici actus entis in potentia negativa, non ex eo quod subjectum non habeat positivam potentiam ad gradus intensionis, quia deficiunt prædictæ formæ ad suam perfectionem; sed ex eo quod subjectum nullum motum habet respectu illorum graduum, sed totum est in potentia ad illos; unde talis potentia tantùm connotat negationem perfectæ actualitatis: at verò motus dicitur actus entis in potentia positiva; eò quod præter negationem perfectæ actualitatis, dicit ordinem, & tendentiam ad perfectam actualitatem; forma enim in fieri, seu fluens non tantum connotat carentiam perfectionis, quam habet in facto esse, sed etiam dicit ordinem, & tendentiam ad talem perfectionem.

7 Secundò notandum est, tripliciter posse dici, aliquid esse in potentia; scilicet, in potentia objectiva, activa, & passiva, seu subjectiva. Illud dicitur esse in potentia objectiva, quod non est extra causas, sed in statu possibilitatis, & dicitur potens existere, seu habere potentiam ad existendum. Illud dicitur esse in potentia activa, quod habet potentiam ad aliquid producendum. Illud dicitur esse in potentia passiva, seu subjectiva, quod habet potentiam ad aliquid recipiendum. Nunc est quædam difficultas an motus dicatur actus entis in potentia objectiva, vel activa, vel subjectiva? Sed in hac re plus æquivocationis apparet, quam controversiæ, quæ quidem æquivocatio oritur ex varia intelligentia Arist. qui de qualibet ex supra dictis potentiis videtur loqui; nam hic cap. 2. text. 17. dicit: *Motus est actus mobilis, quamobilis,*

lis, & cap. 3. text. 23. *Motus est actus ejus, quod agere, & pati potest, quatenus tale*, & inter exempla, quibus declarat, cujus entis in potentia sit actus motus, dicit: *Sicut generatio est actus generabilis*, Primo loco loquitur de potentia passiva; secundo loco de potentia activa, & passiva; & tertio loco de potentia objectiva, nam quod generatur transit per motum ad existentiam. Ut autem auferatur æquivocatio.

9 Videtur dicendum, motum materialiter sumptum omnes prædictas potentias necessariò respicere, seu connotare. Quod patet; quia nequit dari; neque percipi potest motus, per quem necessariò aliquid producitur, quin id quod producitur transeat de non esse ad esse; & sic de potentia objectiva ad actualiter existere quin detur agens, quod transeat de non producente ad producens; & sic de potentia activa ad actum producendi; & quin detur subjectum, quod transeat de non esse sub forma ad esse sub illa; & sic de potentia passiva, seu subjectiva ad actum formalem. Deinde ita actuatur per motum quælibet ex prædictis potentiis, ut adhuc relinquat potentiam positivam ad perfectiorem actuationem, scilicet ad actum ad quem motus; non cùm motus sit, ut dictum est, effectus seu forma in fieri, adhuc relinquit potentiam ad terminum, seu ad effectum, vel formam in facto esse: ergo. Videtur dicendum, motum respicere, seu connotari omnes prædictas potentias; & sic esse actum entis in potentia objectiva, activa, & passiva.

9 Aliqui explicant motum per ordinem tantùm ad potentiam passivam, seu subjectivam; sed hoc debet intelligi, quatenus solùm id, quod est in potentia subjectiva, aut passiva, est subjectum motus; quod quidem verum est, quia cùm motus, ut sæpè dictum est sit ipsa forma in fieri, & talis forma in facto esse, ut

omnes

omnes fatentur, in subjecto recipiatur, necessarium est, quod motus recipiatur in subjecto. Cùm quo respond. ad quæst. in quo motus subjectetur.

10 Alii autem explicant motum per ordinem tantùm ad potentiam objectivam: sed hoc debet intelligi, quatenus, quod præcipuè intenditur per motum est aliquid producere, sed ex potentia objectiva extrahere; & in hoc sensu potest etiam intelligi illud commune proloquium Arist *Quod movetur semper compositum est*. Ex quo sequitur, quod si forma produceretur extra subjectum, licèt productio illius non esset motus, esset tamen motus actio, qua postea uniretur subjecto, nam cum per actionem unitivam producatur positum, per illam extrahitur e potentia objectiva; quod benè nota.

11 Tertiò notandum est: motum communiter explicari per hoc, quod sit transitus de non esse ad esse, ad quod tria necessariò requiruntur, scilicet id, quod transit, & dicitur mobile, seu quod movetur; id à quo transit, & dicitur terminus *à quo*, & id ad quod transit, & dicitur terminus *ad quem*. Quæ omnia explicantur per definitionem; nam ly *entis* denotat mobile, seu quod movetur; ly *in potentia*, denotat terminum *à quo*, seu carentiam formæ; ly *secundum quod in potentia*, denotat mobile adhuc respicere aliquid, tamquam terminum *ad quem* motus, scilicet formam, seu effectum in facto esse; cum quo aliqua argumenta contra definitionem solvuntur; & etiam observando, quod definitio non est purè quidditativa, sed quædam descriptio motus, qui est entitas imperfecta reductivè pertinens ad prędicamentum sui termini *ad quem*, ut ex se satis patet, nisi fiat contentio de nomine: Arist. autem non in aliquo prædicamento, sed in post prædicamentis, numeravit modos motus; non quia motus

modo dicto non pertineat ad prædicamentum termini *ad quem*, sed quia motus est, etiam modo dicto, entitas imperfecta.

12 Quartò notandum est, quod motus non distinguitur realiter à termino ad quem, ut res à re, quod evidenter sequitur ex dictis; nam motus materialiter sumptus, ut hic sumitur, est ipse effectus in fieri, & ipse effectus in facto esse est terminus *ad quem*. Diximus, ut res à re; quia, ut eadem res sub diverso modo benè distinguitur realiter motus à termino *ad quem*, quod patet; quia sub diverso modo est res in fieri, ac in facto esse, qui quidem modi separabiles sunt; cùm res sub modo in facto esse sit transacto motu, seu modo in fieri, quod est evidens signum distinctionis realis inter prædictos modos. Unde sequitur, quod attenta potentia objectiva, de qua n. 7. 8. & 9. mobile, terminus *à quo*, & terminus *ad quem*, non distinguuntur realiter, ut res à re, sed tantum, ut eadem res sub diverso modo; quod patet; quia idem, ut in potentia objectiva dicitur terminus *à quo*, ut per motum erit à tali potentia dicitur mobile; & ut est completè in existentia dicitur terminus *ad quem*; en quo modo non entitativè, sed tantum secundum diversos status, seu modos intercedit distinctio. Hæc omnia, non per modum controversiæ, sed tantùm per modum simplicis recitationis proposuimus; & quia non in omnibus immorari licet, & quia ex dictis facilè quælibet resolvi potest controversia. Scotus noster pluribus in locis loquitur de motu, quæ omnia jam in unum sensum, jam in alium, juxta dicta, facilè adduci possunt.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An prædicta definitio, tam motui instantaneo, quàm successivo conveniat?

1 LIcèt communiter, solùm mutationes successivæ, motus soleant appellari; in quo sensu sumpsit motum Arist. lib. 5. Physic. cùm illum à mutationibus distinxit; tamen etiam dicuntur motus mutatione instantanea; & supponitur tanquam certum apud omnes, definitionem Arist. quæst. antec. propositam, convenire mutationibus successivis; difficultas autem est, an etiam mutationibus instantaneis adaptari possit? Cujus partem negativam tenent aliqui, sed

2 Dicimus cum communiori sententia; supradicta definitio etiam mutationibus instantaneis convenit. Conclusio, præterquam quod videtur expressè Aristot. qui, non solum in mutationibus successivis, ut sunt alteratio, & augumentatio, sed etiam in instantanea, ut est generatio definitionem exemplificavit, & qui per illam definivit motum, quem in definitione naturæ posuerat, & ut dictum est loquendo de natura lib. 2. ille motus intelligitur, tam de successivo, quàm de instantaneo.

3 Prob. ratione; quia ex eo convenit prædicta definitio mutationi successivæ, quia ita est actus imperfectus, ut relinquat adhuc potentiam ad terminum *ad quem:* eodem modo se habet mutatio instantanea: ergo. Prob. min. quia mutatio instantanea tantùm dicit fieri formæ, seu effectus pro priori naturæ ad factum esse ipsius formæ, seu effectus, ergo ita est actus imperfectus, ut ex vi illius non actuetur totaliter potentia, sive objectiva, sive activa, sive

passiva, sed adhuc remaneat actuabilis per terminum *ad quem*; ac per consequens, &c.

4 Arg. contra. Mutatio instantanea, ideò dicitur talis; quia est in eodem instanti cum termino *ad quem*: ergo non actuat potentiam ita imperfectè, ut adhuc potentiam relinquat ad terminum *ad quem*; & consequenter non convenit illi definitio motus. Resp. neg. conseq. quia licèt mutatio instantanea sit in eodem instanti cum termino *ad quem*, est tamen prior natura ipso termino *ad quem*, fieri enim effectus necessariò est prius natura facto esse ipsius effectus, quòd sufficit adhoc, ut licèt potentia sit totaliter, & perfectè actuata in eodem instanti, non tamen sit perfectè actuata ex vi mutationis, seu fieri effectus, & sic adhuc dicatur remanere potentia perfectè actuabilis per terminum *ad quem*, seu per factum esse effectus. Unde negatur ultima consequentia.

5 Replic. ut aliquid dicatur esse in potentia respectu alicujus, debet esse privatum illo, seu habere privationem illius: sed in instanti mutationis instantaneæ datur terminus *ad quem*; cum quo nequit stare privatio illius: ergo mutatio instantanea non relinquit potentiam ad terminum *ad quem*. Resp. disting. mai. ut aliquid sit in potentia respectu alicujus debet habere privationem illius; ut sit in potentia absolutè, concedo, ut sit in potentia, prout esse in potentia dicit imperfectam essentialiter actuationem, seu actuationem vialem, nego, & concessa min. similiter disting. conseq. mutatio instantanea non relinquit potentiam absolutam ad terminum *ad quem*, concedo; non relinquit potentiam, ut dicit imperfectam actuationem essentialiter, seu actuationem vialem, nego. Certum enim est, quòd ut aliquid absolutè dicatur esse in potentia respectu alicujus debet esse privatum illo, seu esse sine illo pro aliquo priori temporis, & hoc necessariò requiritur ad hoc

ut aliquid dicatur mutari; ut autem aliquid dicatur esse in potentia, prout esse in potentia tantùm dicit imperfectam essentialiter, seu vialem actuationem, hoc non requiritur, sed sufficit, quòd ex vi alicujus actus præcisè considerati non sit totaliter actuata potentia; cujusmodi actus est motus, licèt instantaneus, cùm priùs natura actuet, quàm terminus ad quem, ut per se est manifestum.

6 Hic solent aliqua dubitari: primò, an actio, passio, & motus aliquomodo distinguantur? Circa quod dubium maxima solet esse æquivocatio, eò quòd actio, & passio possunt accipi formaliter; in quo sensu in nostra, & Scoti sententia, dicunt relationes extrinsecus advenientes de peædicamento actionis, & passionis: ut diximus in logica, loquendo de sex ultimis prædicamentis; & materialiter, prout dicunt influxum causæ in effectum, seu ipsum effectum in fieri. Nunc facilè resolvitur dubium, & aufertur æquivocatio.

7 Respondetur ergò primò, quòd actio, & passio formaliter sumptæ distinguuntur realiter, tam inter se, quàm à motu. Patet, ex illa ratione generali, qua probavimus in logica, prædicamenta realiter distingui; actio enim & passio constituunt diversa prædicamenta, & motus reducitur ad prædicamentum sui termini, qui jam est substantia, jam qualitas, jam quantitas, quæ realiter ab actione, & passione distinguuntur, ut nullus negat.

8 Resp. 2. Quod actio, & passio materialiter sumptæ, neque inter se, neque à motu realiter distinguuntur. Sic expresè Arist. cap. 3. hujus lib. & ex eo patet; quia idem effectus in fieri, quatenus est actus, quo agens suam potentialitatem exercet, & primò actuatur, dicitur actio; & quatenus est actus, quo subjectum exercet suam potentialitatem passivam, & etiam primò perficitur, dicitur passio, quod innuit Aristot.

ut num.7. quæst. 1. dum per actionem, & passionem explicat motum dicens: *Motus est actus ejus, quod agere, & pati potest, quatenus tale;* & quatenus connotat privationem termini *ad quem* in subjecto, dicitur motus: ergo actio, passio, & motus materialiter sumpta non distinguuntur realiter.

9 Resp. 3. Quòd actio, passio, & motus materialiter sumpta, nec formaliter ex natura rei distinguuntur. Hæc responsio est contra aliquos Scotistas; tamen in Scoti via videtur evidens; quia ipsis adversariis consentientibus, eadem est in re entitas actionis, passionis, & motus, & solùm penes diversos respectus, seu extrinseca connotata sortitur nomina actionis, passionis, & motus: sed ut manet ostensum in logica loquendo de distinctione ex natura rei formali, diversa extrinseca connotata non arguunt distinctionem formalem ex natura rei; ergo. Argumenta, quæ contra hoc adduci possunt, facilè solvuntur ex dictis in logica.

10 Si autem inquiras, quomodo se habeant inter se prædicti respectus, seu extrinsecæ connotationes? Resp. quòd si fiat comparatio inter respectus, seu connotationes actionis, & passionis cum respectu, seu connotatione motus, se habent tamquam superius, & inferius, motus enim est inferius, actio verò & passio sunt superius; valet enim: *Est motus; ergo actio, & passio;* quia nequit dari motus, qui non sit actio & passio; non tamen valet è contra: *Est actio, & passio: ergo est motus;* quia benè possunt dari actio & passio, quin detur motus: ut patet quando simul producuntur subjectum, & & forma; tunc enim benè dantur actio & passio, non autem motus, cùm non præcedat subjectum tempore privatum forma, quod necessariò requiritur ad rationem motus.

11 Si autem respectus actionis cùm respectu pas-

passionis comparetur, etiam se habent tamquam superius & inferius, actio se habet ut superius, passio verò ut inferius; *valet enim est passio: ergo actio*, nulla enim passio potest dari, quin etiam sit actio; non tamen valet è contra; *Est actio: ergo passio*, quia benè potest dari aliqua actio; quæ non sit passio, ut patet in creatione, quæ licèt non dicatur actio realis formaliter; quia tantùm per denominationem extrinsecam, seu per relationem rationis, denominatur Deus creans formaliter; dicitur tamen actio realis materialiter sumpta, quia in creatione sicut & in qualibet alia productione datur fieri effectus, quod dicitur actio materialiter (cùm quò respondetur ad aliud dubium; an scilicèt creatio sit actio realis?) non tamen dicitur passio, quia creatio non præsupponit subjectum, quòd ad rationem passionis necessariò præsupponitur. Si autem propter aliquam difficultatem non videatur dicendum, respectu actionis, & passionis se habere, ut superius & inferius; potest dici, quòd licèt unus non includatur in alio, sed quilibet possit sine altero concipi; respectus tamen passionis habet necessariam connexionem cum respectu actionis, non verò è contra: cum respectus passionis necessario inferat respectum passionis; tamen è contra.

12. Secundò dubitatur, quodnam sit subjectum actionis? Pro responsione est advertendum, quòd jam sæpè dictum est, scilicet actionem posse sumi materialiter, & formaliter; & etiam quòd actio, vel est immanens, ut quando aliquod agens aliquid in se ipso producit, ut ignis producit in se calorem; & in hoc sensu omnes conveniunt, actionem tam materialiter, quàm formaliter sumptam subjectari in agente, quòd quidem tunc etiam est passum; an verò subjectetur in illo ut est agens, vel ut est passum? Ex dicendis deducendum est: vel est tran-

ſiens, ut quando aliquod agens producit aliquid in externo ſubjecto, ut ignis producit ignem in materia ligni; & in hoc ſecundo ſenſu procedit dubium, ad quod

13 Reſp. 1. quod actio formaliter ſumpta, licèt ſit tranſiens, ſubjectatur in agente. Sic Scotus loquendo generaliter de actione in 4. diſt. 13. quæſt. 1. litt. D. & E. Prob. ex ipſo; quia relatio eſt, ubi eſt fundamentum. Sed potentia activa, quæ eſt fundamentum actionis eſt in agente; ergo. Deinde, in eodem non ſunt reſpectus oppoſiti, ſaltim ad idem, nec univerſaliter neceſſariò ſimul, paſſio autem, vel reſpectus paſſionis univerſaliter eſt in paſſo, non ergo neceſſariò in eodem eſt reſpectus oppoſitus. Item, in quocumque eſt forma aliqua, illud eſt ſimpliciter tale ſecundum formam illam, omninò enim irrationabile videtur; quod forma ſit in aliquo, & non conſtituat ipſum informatum ſecundùm ipſam; ergo ſi actio eſt formaliter in paſſo, paſſum erit formaliter agens. Hæc omnia Scotus; ergo ex mente illius, & juxta rationem, actio quæcumque, non in paſſo, ſed in agente, quod denominatur formaliter agens, ſubjectatur

14 Reſp. 2. quod actio materialiter ſumpta ſubjectatur in paſſo. Sic Scotus citat. litt. I. & deducitur ex Ariſt. in hoc libro text. 19. & 20. Prob. quia, ut dictum eſt, num. 8. actio, paſſio, & motus materialiter ſumpta ſunt idem realiter; ſed paſſio, & motus, ut omnes concedunt, in paſſo ſubjectantur; ergo etiam actio materialiter ſumpta. Confirmatur; quia, ut ſæpè dictum eſt, & expreſſè tenet Scotus cit. actio materialiter ſumpta eſt forma fluens, ſeu in fieri; ergo. Ubi ſubjectatur forma in facto eſſe, debet actio ſubjectari, nequit enim aliquid de ſubjecto in ſubjectum tranſire; ſed forma in facto eſſe ſubjectatur in paſſo, ut omnes fatentur; ergo etiam actio materialiter ſumpta ſubjectatur in paſſo. Ex quo de-

deducitur, quod actio immanens formaliter sumpta subjectatur in agente, ut agens est; sumpta verò materialiter subjectatur in agente, ut est passum. Deducitur etiam, quòd actio immanens differt à transeunte in hoc, quod, per actionem immanentem producitur aliquid, quod in ipso agente recipiatur; per actionem verò transeuntem producitur aliquid, quod in externo subjecto recipiatur.

15 Observa tamen, ne quando in æquivoco labores, quòd per actionem materialiter sumptam, non dicitur aliquid, seu denominatur agere formaliter, sed tantum fundamentaliter; neque per passionem materialiter sumptam dicitur, seu denominatur aliquid pati, sed tantum fundamentaliter; quatenus, scilicet actio, & passio materialiter sumptæ sunt fundamenta, seu conditiones requisitæ ad fundandas relationes, quibus agens, & passum agere, & pati formaliter dicuntur, seu denominantur. Videantur, quæ diximus lib. 2. loquendo de causalitate causæ. Cum hac distinctione de actione materialiter, & formaliter sumptis, facilè respondetur ad quælibet argumenta.

DISP. II.

De infinito.

Finitæ, & limitatæ virtuti nostri intellectus, & maximè, ut sensibus materialibus alligati, perdifficilè, imò ferè impossibile videtur naturam infiniti penitus penetrare; tamen propter hoc non debemus totaliter ab aliqua infiniti notitia tradenda, cum Aristot. in hoc libro, deviare; proponemus ergo aliquas difficultates, quæ communius ad controversiam reducuntur; plures alias omittendo, quas proponere, in infinitum esset procedere; & quarum plu-

rimæ apud plures Authores, qui latiori, quàm nos, calamo, Philosophiam typis dare intenderunt, videri poterunt à plus desiderantibus: & pcæcipuè ex nostris apud aliquos infra citandos. Sit ergo

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit infinitum? Ubi etiam aliqua conditionos infiniti examinantur.

1 INfinitum, ut nomen sonat, nihil aliud est, quàm illud, quod caret termino, & fine; opponitur enim finito, quod est illud, quod finem, & præfixum terminum habet: & licèt infinitum, juxta nominis etymologiam, quid negativum sonet, tamen verè dicit aliquid positivum; ut similiter dicunt alia nomina, quæ negationem videntur sonare, ut irrationale, immensum, &c. Infinitum ergo sic acceptum definivit Arist. hic text.62. his verbis: *Infinitum est, cujus semper est aliquid extra*; quæ definitio communiter accipitur à Philosophis, & sic etiam communiter explicatur: *Infinitum est, cujus partibus quibuscumque acceptis, semper restant alia, & alia accipienda*: v. g. si à linea infinita accipiantur quatuor, vel centum, vel mille palmi, semper restant plures, & plures alii palmi accipiendi, ad differentiam lineæ finitæ octo palmorum v. g. à qua, si octo palmi accipiantur, nihil ampliùs accipiendum restat. Hæc sufficiunt pro primo, quod inquirit quæstio; in re enim adeò nota, & ab omnibus accepta, non est cur immoremur.

2 Pro secundò, quod inquirit quæstio, dicimus, quòd infinitum aliud est per essentiam, quod absolutè, simpliciter, & in omni genere dicitur infinitum, eò quòd omnem perfectionem possibilem, seclusa omni imperfectione com-

compositionis, potentialitatis, & dependentiæ ab alio, includit. In hoc sensu solus Deus dicitur infinitus. Aliud est per participationem, quod tantùm secundùm quid, & in aliquo genere determinato, dicitur infinitum. Hujusmodi est quodlibet infinitum creatum, vel actuale, vel possibile. Actuale, quod etiam dicitur infinitum categorematicum; quia absolutè, & sine addito dicitur infinitum, est illud, quod actualiter terminum non habet, ita ut quibuscumque partibus illius acceptis, semper actu restant aliæ, & aliæ accipiendæ. Possibile, seu in potentia, quod etiam dicitur infinitum syncategorematicum, eò quòd non absolutè de ipso verificatur, quòd sit infinitum, sed cum addito diminuente, scilicet *in potentia*, est illud, quod actualiter habet terminum, in potentia verò terminum non habet, ita ut quibuscumque partibus illius acceptis, semper in potentia restant aliæ, & aliæ accipiendæ.

3 Tam infinitum in actu, quàm in potentia potest dividi in infinitum in intensione; juxta infinitos gradus qualitatis: & in infinitum in extensione, & hoc vel in extensione continua, tam permanenti, ut in latitudine, longitudine, & profunditate, quàm successiva, ut in extensione temporis, & durationis, vel in extensione discreta, ut in extensione multitudinis. Hæc etiam, ut communia, sufficiunt pro secundo, quod inquirit quæstio.

4 Pro tertiò addito in titulo quæstionis, dicimus: aliquæ solent assignari conditiones, seu proprietates infiniti, prout opponitur finito: Prima est, quòd infinitum non potest mensurari; quæ conditio debet intelligi; ita ut infinitum per mensuram finitam, licèt pluriès seu per ipsum repetitam, non potest mensurari, neque possumus de illius magnitudine certificari. Tamen per mensuram infinitam, si daretur, benè posset mensurari infinitum, etiamsi

dare-

daretur, quod quidem ex ipsis terminis patet.

5 Secunda conditio est, quòd infinitum non potest numerari; quæ conditio etiam patet ex ipsis terminis; quia illud tantùm dicitur numerari, quod habet primam, & ultimam unitatem, quæ unitates, cùm sint termini præfixi, necessariò repugnant infinito, quod nullis terminis clauditur; quapropter dixit Aristot. hic text.41. non posse dari infinitum secundum numerum.

6 Tertia conditio est, quòd infinitum sit incognitum, quæ conditio debet intelligi per cognitionem successivam, quæ ad unam, & aliam partem infiniti successivè terminetur, sicut necessariò videtur terminari quælibet cognitio finita infinitum cognoscere intendens: tamen totum infinitum simul, & per modum unius benè potest cognosci, imò de facto cognoscitur à Deo per suam cognitionem infinitam, qua sicut se ipsum infinitum per essentiam comprehendit, etiam per scientiam simplicis intelligentiæ, ut dicitur in materia de scientia Dei, cognoscit, & comprehendit omnia possibilia, quæ in statu possibilitatis sunt actu infinita.

7 Quarta conditio est, quòd infinito quantitatis continuæ nihil potest addi, ab illo auferre, ut infinitum est; v. g. si daretur linea versus utramque partem infinita, nullatenus ex aliqua parte posset ab illa aliquid auferri, nec illi aliquid addi: oppositum autem esset in tali linea terminos apprehendere, vel illi terminos præfigere, quod apertè repugnat infinito. Si autem linea esset infinita versus unam partem, & finita versus aliam, ea parte, qua finita esset, benè posset ab illa aliquid auferri, vel illi aliquid addi. Versus medium autem (liceat sic loqui) benè posset à linea infinita aliquid detrahi, & illi aliquid addi. Infinito autem quanti-

titatis discretæ nequit addi, vel ab ipso detrahi aliqua unitas, quæ sit prima, vel ultima; infinitum enim, qua tale, neque primum, neque ultimum habet: benè tamen possent ab illo detrahi aliquæ unitates, vel illi addi; quæ quidem non habeant ordinem prioris, & posterioris, servata semper ratione infiniti, juxta communia axiomata in Scholis satis recepta, scilicet: *Si ab infinito finita tollas, semper remanet infinitum, & finitum finito additum, non facit infinitum*; Si enim finitum ablatum ab infinito auferret rationem infiniti, remaneret finitum, cui si postea adderetur finitum ablatum, constitueret infinitum, quod nullatenus est dicendum.

8 Quinta conditio est, quòd unum infinitum nequit esse majus alio ejusdem rationis; v. g. una linea infinita nequit esse major alia; neque una infinita multitudo major altera esse potest, & sic de aliis. Hæc proprietas ducitur ex Scoto in 2. dist. 1. quæst. 3. §. *tenentes, vers. Ad ultimum*, lit. K. ubi dicit, quòd æqualitas, & inæqualitas, majoritas, & minoritas sunt proprietates quantitatis finitæ. Ratio autem pro illa desumitur ex eo quòd maioritas dicit excessum, minoritas autem defectum; ita ut illa quantitas dicatur major, quæ terminum alterius excepit, & illa dicatur minor, quæ terminum alterius non attingit: & similiter illæ quantitates dicantur æquales, quartum termini ita se habent, ut neque unus alterum excedat, neque ab altero excedatur: hoc totum supponit in quantitatibus terminos, qui infinito repugnant; ergo unum infinitum nequit dici majus, vel minus altero; neque similiter alteri æquale; Adverte tamen, quòd licèt unum infinitum nequeat dici alteri æquale positivè, seu per commensurationem terminorum: potest tamen dici alteri æquale negativè, id est per negationem excessus, & defectus; unum enim, ut dictum

est,

est; neque alterum excedit, neque ab altero exceditur.

9 Dices: Si Deus crearet multitudinem infinitam hominum, in tali hypothesi etiam esset à Deo producta infinita multitudo capillorum; hæc infinita multitudo capillorum esset major, quam infinita multitudo hominum; ergo unum infinitum esset majus alio; Minor tam evidens apparet, ut rationabiliter negari non possit. Resp. neg. minor. quæ quidem, non solùm rationabiliter negari potest, imò irrationabiliter concederetur, quod patet ex ipsa natura infiniti, & ex ipsa natura majoritatis, & minoritatis; infinitum enim rationabiliter consideratum, interminabile est, cùm in se nullum terminum habeat; maioritas autem, & minoritas necessariò supponunt terminationem, cùm dentur penes excessum, & defectum unius termini, respectu alterius, & termini, ut dictum est, repugnant infinito, qua tale est. Unde, qui prædictam minorem, & nostræ resolutioni oppositum admittunt, non ratione, quæ omnia ut in se sunt considerant, sed falsa imaginatione, quia infinitum, quod terminum non habet, quasi terminum haberet, imaginatur, ducuntur.

10 Ne autem ex hoc aliqua oriatur confusio notare oportet; quod licèt infinitum aliquod, qua tale, nqueat maius, vel minus altero, aut æquale illis appellari; partes tamen unius infiniti possunt esse maiores, vel minores partibus alterius infiniti; si seorsim ad se invicem comparentur, v. g. infinitum hominum constituitur ex infinitis unitatibus; infinitum capillorum constituitur ex infinitis millenariis, v. g. licèt unum in ratione formali infiniti nequeat dici maius alio, certum est, quamlibet partem infiniti capillorum, scilicèt millenarium, admodum excedere quamlibet partem infiniti hominum, scilicet unita-

tatem. Similiter infinitum montium, quia tale non est majus infinitio formicarum, neque plus loci occupat unum, quàm alterum; licèt seorsim mons sit major, & plus loci occupet, quàm formica. Quòd aliis verbis ab aliquibus explicatur dicentibus, quod materialiter potest infinitum aliquod dici majus alio, licèt non formaliter, seu in ratione infiniti.

QUÆSTIO II.

An detur aliquod infinitum in actu?

1 SUpponitur tamquam certum, dari de facto infinitum secundum essentiam, cujusmodi est solus Deus; ut præter Deum, nullatenus potest dari aliud infinitum in essentia; aliàs posset dari alius Deus, quod tamquam error in fide, non admittitur a Catholicis. Difficultas tam in hac, quàm in sequenti quæst. solum procedit de infinito secundum quantitatem, tam continuam, quam discretam permanentem, non autem successivam; quia circa hanc examinatur quæstio in lib. de Cœlo, & Mundo.

2 Dicimus 1. datur de facto infinitum in potentia, seu syncategorematicum, tam in quantitate continua, quàm discreta. Conclusio est communis, & deducitur ex Arist. hic à text. 40. usque ad 56. & 1. de Cœlo cap. 5. Probatur de quantitate continua; quia nequit assignari aliqua pars quantitatis cui ex natura sua repugnet augeri, & fieri major ut amplius patebit ex alibi dicendis: ergo. Secunda pars etiam probatur: quia cogitationes Angelorum, & hominum, quæ in æternum sunt duraturæ, non habent certum, & determinatum terminum, imò datur in illis processus in infinitum: ergo.

3 Di-

3 Dicimus 2. neque datur de facto, neque potest naturaliter dari infinitum in actu secundùm quantitatem, tam continuam, quam discretam. Conclusio etiam est communis, & deducitur ex Aristot. supra cit. Quod non detur de facto, patet ex illo Sapientæ 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*: ergo non datur infinitum in actu; quia infinitum caret numero, mensura, & pondere, seu certa determinatione. Quòd autem neque naturaliter possit dari, probatur ex limitata, & finita virtute rerum naturalium, quæ infinitum effectum nullatenus videtur quo pacto producere possit. Ubi advertendum est, quòd quando Arist. cap. 4. hujus libri dixit, finitum, vel infinitum esse proprietates quantitatis, debet intelligi de finito in actu, & de infinito in potentia.

4 Si autem dicas, in continuo actu, & formaliter esse infinitas partes proportionales: ergo datur infinitum in actu secundùm multitudinem. Resp. facilè nego conseq. quia multitudo est quantitas discreta, partes verò proportionales continui non sunt discretæ, seu divisæ, sed continuæ, & unitæ; unde non constituunt infinitam multitudinem in actu, sed tantùm in potentia, quatenus continuum est in infinitum divisibile in semper divisibilia. De quo ampliùs lib. 6. tamquam in proprio loco.

5 Dices contra: ergo saltim datur actu infinitum secundum extensionem, seu quantitatem continuam. Prob. conf. quia impossibile apparet, continuum esse divisibile in infinitas partes extensionis, seu quod illas in se contineat, & quod non sit actu infinitè extensum. Resp. neg. conseq. & prob. quia, ut aliquid dicatur infinitum secundum extensionem, nullatenus sufficit, quod possit in infinitas partes extensionis dividi, seu quòd illas in se contineat,

neat, sed adhuc requiritur, quòd prædictæ partes sint æquales uni certæ, & non se communicantes, quòd non habent partes continui; quia semper sunt minores, & minores in ordine ad divisionem; quod ampliùs patebit loco citato loquendo de continuo.

QUÆSTIO III.

An possit dari supernaturaliter infinitum in actu secundum quantitatem?

1 DUplex circa hanc difficultatem communiter circumfertur ex diametro opposita sententia, quarum quælibet, tum Authoribus, apud recentiores videndis, tum rationibus, habet sufficiens fundamentum; quapropter adhuc Scotistæ circa hoc sunt divisi; sed quia, non problematicè; sed determinatè intendimus loqui, non tam asserendo, quàm aliquam partem, sine præjuditio alterius in sua probabilitate relictæ, proponendo.

2 Dicimus: non repugnat infinitum in actu secundum quantitatem, tam continuam, quàm discretam; quapropter potest supernaturaliter dari. Pro hac conclusione citatur Scotus in 3. dist. 13. quæst. 4. §. *Ad primam quæstionem*, ubi explicans illud Arist. hic text. 69. *Quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, denotat expresse; hoc debet intelligi ad minus in permanentibus, quæ ut reducantur ad actum, non requirunt successionem, sed simul, & in eodem instanti possunt reduci ad differentiam successivorum, quæ non simul, sed tantùm pars post partem ad actum possunt reduci. Aliis terminis, inquit Scotus; dictum Aristot. debere intelligi in his, quorum partes sunt unius potentiæ demonstratæ, ut sunt illæ, quarum una necessario includit aliam, ut calor, ut octo, includit calorem, ut septem, &

hic

hic includit calorem, ut sex, & sic de aliis; licèt non intelligatur in his, quorum partes non sunt unius potentiæ demonstratæ, ut sunt illæ, quarum una non includit aliam, ut sunt partes temporis, divisiones continui, & alia successiva: in primis enim, quantum est in potentia, potest simul esse in actu; in secundis verò, quantum est in potentia, nequit simul esse in actu, sed successivè.

3 Ratio autem hujus discriminis stat in hoc, quòd in illis, quorum partes sunt unius potentiæ demonstratæ, sicut datur gradus includens omnes alios; ita datur potentia ad illum gradum continens omnes alias potentias ad alios gradus: undè benè potest, unica factione, id est simul, tota illa potentia reduci ad actum, licèt talis potentia sit ad infinitum, si agens sit infinitæ virtutis; at verò in illis, quorum partes non sunt unius potentiæ demonstratæ, sicut non est assignabilis gradus omnes alios continens, ita neque est assignabilis potentia continens omnes potentias ad alios gradus: undè prædictæ partes nullatenus possunt unica factione, seu simul ad actum reduci, sed tantùm pars post partem successivè: & si prædictæ partes essent infinitæ in potentia, numquam poterunt ad actum reduci, etiam ab agente infinitæ virtutis; aliàs finitum successivè multiplicatum constitueret infinitum, quod est impossibile; quia infinitum finito additum non facit infinitum. Hoc sufficiat, ut cognoscatur; supposita possibilitate infinitæ quantitatis seu supposito infinito in potentia, ut dictum est quæst. antec. benè citari Scotum pro conclusione.

4 Probatur conclusio: quia Deus cognoscit infinitas partes possibiles rerum, quæ in suo augumento non habent terminum intrinsecum, sed possunt in infinitum augeri: sed quantitas in suo augumento non habet terminum

num intrinsecum, sive sit continua, sive discreta, ut fatentur omnes, qui infinitum in potentia, seu syncategorematicum, tam in quantitate continua, quam discreta, libenter admittunt: ergo Deus cognoscit infinitas partes, saltim possibiles, tam in quantitate continua, quàm discreta. Nunc sic: omne, quod est in potentia potest esse simul in actu, si partes illius sint unius potentiæ demonstratæ, ut supra dictum est, maximè si agens sit infinitæ virtutis: ergo cùm partes quantitatis, tam continuæ, quàm discretæ sint unius potentiæ demonstratæ, & aliàs sint infinitæ in potentia, poterit Deus agens infinitæ virtutis illas infinitas partes simul producere, & consequenter infinitum in actu. Prob. conseq. quia si Deus ageret ad extra necessitate naturæ, necessariò produceret quidquid producibile est: ergo necessario produceret illas infinitas partes quantitatis, quas videt possibiles: sed ex eo quod Deus liberè operetur, nihil potentiæ productivæ deficit ab eo; semper enim est agens infinitæ virtutis: ergo pro sua voluntate potest reducere ad actum omnes partes, quas cognoscit possibiles, tam in quantitate continua, quàm discreta; ac per consequens, &c.

5 Neque valet, si dicant, prædictas partes possibiles non esse infinitas, sed finitas indeterminatè, seu sine termino, eò quod ita sunt possibiles, ut nequeat aliqua determinate produci, ultra quam non sit producibilis altera: & hoc taliter, ut omnes partes productæ semper sint infinito, & determinato numero. Hoc non valet; nam

6 Contra est: quia partes quantitatis, quæ de facto sunt possibiles, ita sunt possibiles, ut in statu possibilitatis non sit aliqua possibilis, ultra quam non sit possibilis alia, & alia usque in infinitum: ergo partes possibiles in statu possibilitatis dicendæ sunt infinitæ de facto;

Prob,

Prob. conseq. quia si partes quantitatis existentis ita se haberent, ut non existeret aliqua, ultra quam non esset alia; & alia actualiter existens, omnes illæ partes essent actu infinitæ in statu existentiæ: ergo partes quantitatis, quæ ita se habent in statu possibilitatis, ut non sit aliqua possibilis, ultra quam non sit possibilis alia, & alia, sunt de facto infinitæ in statu possibilitatis.

7 Neque similiter valet, si dicant, quod licèt partes sint infinitæ in statu possibilitatis, non ex hoc sequitur, posse simul existere; quia non valet ex possibilitate rerum existentiam inferre; quia multa sunt possibilia, quæ simul existere non possunt; omnes enim admittunt in continuo infinitas divisiones possibiles, quin aliquis concedat, posse actu dari prædictas infinitas divisiones. Hoc non valet; nam.

8 Contra est differentia supra assignata inter partes unius potentiæ demonstratæ, & non unius potentiæ demonstratæ: primi generis sunt partes quantitatis; tam continuæ, quàm discretæ; secundi verò generis sunt divisiones continui. Non enim dicimus absolutè, omne possibile posse simul poni in actu existentiæ, sed tantùm aliquod possibile, illud scilicet, ex cujus positione non sequitur aliquod inconveniens; quod quidem non sequitur ex actuali positione infinitarum partium unius potentiæ demonstratæ, ut sunt partes quantitatis, tam continuæ, quàm discretæ; esset tamen inconveniens in hoc, quod partes, quæ non sunt unius potentiæ demonstratæ, simul ponerentur in actu, quod inconveniens evidenter apparet in divisionibus infinitis continui; nam si simul ponerentur, sequeretur, quod esset continuum, ut supponitur, & quod non esset continuum; quia ampliùs non esset divisibile, quod naturæ continui omninò repugnat.

9 To-

9. Totum hoc, & simul ratio pro conclusione, potest sic confirmari: Deus actu cognoscit infinitos homines simul, & quemlibet ex illis, ut ab aliis distinctum, similiter actu simul cognoscit infinitas partes, quæ conjungi possunt cum qualibet linea, quæ de facto existit, sed quæcumque repugnantia adducibilis contra actualem existentiam illorum hominum, & illarum partium lineæ possunt etiam adduci contra illorum possibilitatem, prout objectivè in intellectu divino; ergo admissa tali possibilitate, non est ratio cur non admittatur, simul posse existere. Minor patebit in argumentis, in quibus contra nostram conclusionem adducuntur ab adversariis aliquæ implicantiæ.

10 Neque valet, si dicant Deum cognoscere infinitos homines, & infinitas partes lineæ syncategorematicè, non verò categorematicè, eò quod omnia cognoscuntur à Deo eo modo, quo sunt in se, homines autem tantùm syncategorematicè sunt infiniti; & similiter partes lineæ. Hoc non valet; contra enim est primo; quia homines in statu possibilitatis sunt categorematicè, & non syncategorematicè infiniti; ergo Deus cognoscit illos ut infinitos categorematicè. Prob. antec. quia in illa infinita multitudine hominum omnes sunt actu possibiles, non verò aliqui tantùm sunt actu possibiles, & aliqui, & aliqui in infinitum in potentia possibiles, ita ut possint esse possibiles; ergo non syncategorematicè, sed categorematicè sunt possibiles, seu in statu possibilitatis infiniti homines. Consequentia videtur evidens; & antecedens non apparet, quomodo possit negari.

11 Contra secundò; quia quando dicitur, Deum cognoscere infinitos homines syncategorematicè, vel intelligitur, ita quod Deus non cognoscat tot homines, quin plures, & plures possit cognoscere, quod ut ex se patet est maximum

mum absurdum. Vel ita quod Deus non cognoscat illos infinitos homines ut possibiles simul existere; & hoc non est ad propositum; solùm enim hic intendimus ad paritatem, quod Deus simul cognoscat infinitos homines, quorum quilibet seorsim possit existere; ut ex tali paritate deducamus, quod si non est implicantia in eo, quod Deus illos ita cognoscat, neque erit implicantia in eo, quod simul existant, ut in argumentis patebit. Idem dicendum est de infinitis partibus lineæ.

12 Conclusiones à non repugnantia potiùs negativè, quàm positivè solent probari; quapropter sic ulterius nostra conclusio probatur: non repugnat dari infinitum in actu secundùm quantitatem, neque ex ratione entis; cùm primum, & perfectissimum ens, quale est Deus, sit infinitum in actu: neque repugnat ex ratione entis creati; enti enim creato, ut tali, solùm repugnat esse infinitum per essentiam, non verò per participationem: neque ex ratione quantitatis; quia potius infinitas dicitur proprietas quantitatis: ergo nullatenus repugnat tale infinitum, maximè, cùm non possit aliud caput repugnantiæ assignari. Hoc latius probatur ex solutione argumentorum.

13 Aliquæ adducuntur implicantiæ contra quodcumque infinitum in generali; & aliquæ contra quodlibet in particulari. Igitur contra infinitum in communi sic arguunt primò: si Deus produceret infinitum exhauriretur ejus omnipotentia: hoc repugnat: ergo nequit infinitum produci. Resp. quod si Deus produceret omnia infinita possibilia (si aliàs quod infinitum non repugnaret) benè posset dici, exhauriri divinam omnipotentiam quoad hoc, quod ita haberet terminum sibi adæquatum, ut nihil ampliùs producere posset, quod nullum esset inconveniens, cùm non oriretur ex eo, quod omnipotentia non esset infinita, sed ex eo quod ex

ex parte objecta nihil restaret possibile produci; imò in hoc manifestaretur infinitas divinæ omnipotentiæ, cùm nulla potentia, præter infinitam, possit infinitum terminum producere. Quod evidenter patet à paritate; nullum enim est inconveniens, quòd Deus ita omnia, sua infinita scientia, cognoscat, ut nihil remaneat cognoscendum, licèt ex hoc dicatur exhauriri divinam cognitionem, quatenus habet terminum adæquatum, ultra quem nihil cognoscere potest, eò quòd nihil restat cognoscibile. Potest etiam dici, quòd non exhauriretur divina omnipotentia; nam posset Deus, vel omnia illa infinita ab illo producta, vel aliquod illorum, vel aliquid cujuscumque annihilare, semel, vel pluries, & postea reproducere.

14. Arg. 2. Quod à parte rei producitur, cadit sub intentione determinata producentis: sed quod cadit sub determinata intentione producentis, necessariò est finitum, & limitatum; ex vi enim talis intentionis finitur, & limitatur; ergo nequit infinitum simul à Deo produci. Resp. neg. min. benè enim potest infinitum cadere sub determinata intentione Dei, quæ nihil aliud est, quàm determinata voluntas divina directa infallibili cognitione; & sicut sub tali cognitione potest cadere infinitum, ita etiam potest cadere sub tali determinata voluntate: nam sicut non coarctatur, & finitur quod cadit sub tali cognitione, ita neque coarctatur, & finitur quod cadit sub tali voluntate: neque apparet unde, aut quare talis coarctatio, & finitudo proveniat.

15 Arg. 3. Si daretur infinitum in actu, haberet partes infinitas. Tunc potest inquiri, an, signata aliqua parte, detur alia ab illa distans infinitè, vel non? Si detur: ergo jam erit infinita distantia clausa duobus terminis, scilicet prædictis partibus, quod repugnat naturæ infini-

 ti.

ti. Si non detur: ergo omnes partes distant ab illa finitè; & consequenter totum compositum ex prædictis partibus erit finitum. Resp. quòd in infinito nulla datur pars determinata, quæ ab alia determinata, & assignata infinitè distet; hoc enim dicit natura infiniti. Unde distinguendum est consequens; omnes partes distant ab illa assignata finitè si sumantur divisivè, concedo; collectivè, nego, & neg. ultimam conseq. non enim valet argumentum à divisivo ad collectivum, ut ex se patet: quia non benè infertur: *Qualibet pars quantitatis est palmaris; ergo tota quantitas est palmaris.* Similiter non valet; *Qualibet pars distat ab aliqua assignata finitè; ergo omnes partes simul distant ab illa finitè.*

16 Idem argumentum potest fieri contra infinitum possibile cognitum à Deo: nam, vel in illo infinito cognoscit Deus, aliquam partem determinatam distare ab alia finitè, vel infinitè? Ad quod nihil videtur posse responderi, nisi quod nos respondemus: & si quid aliud respondeant, idem possumus; & nos respondere.

17 In speciali arguunt primò contra infinitum secundùm quantitatem continuam: quia si daretur corpus infinitum, vel esset corpus naturale affectum quantitate infinita, vel esset corpus mathematicum: neutrum potest esse: ergo. Prob.min. quoad primam partem primo; quia corpus naturale habet formam substantialem finitam: sed forma substantialis finita exigit accidentia finita, & limitata: ergo nequit dari corpus naturale effectum quantitate infinita. Secundò probatur eadem pars: illud corpus esset mobile, quia constaret natura, quæ est principium motus; & esset immobile; quia corpus infinitè extensum nequit moveri: hoc implicat: ergo. Prob.min. quoad secundam partem; quia si daretur corpus quantum mathe-

the-

thematicum infinitum, nullam haberet figuram; quippe figura exigit terminum in quantitate, qui terminus infinito repugnat: sed implicat, dari quantitatem sine figura: ergo nequit dari corpus mathematicum infinitum in extensione.

18 Resp. neg. min. & ad primam probationem primæ partis disting. min. forma substantialis finita exigit accidentia finita, loquendo de accidentibus qualitativis quoad intensionem, concedo; intensio enim qualitatis sequitur perfectionem formæ; loquendo de accidentibus quoad extensionem, nego; quia non viventia non habent terminum intrinsecum magnitudinis; sed possunt magis, & magis augeri usque in infinitum. Ad secundam probationem ejusdem partis disting. mai. illud corpus esset mobile, & immobile localiter secundùm diversas rationes in illa assignatas, concedo; secundum eamdem rationem, nego. Similiter disting. min. implicat enim, quòd idem corpus sit simul mobile, & immobile secundum eamdem rationem, non autem quòd sit mobile, seu quòd exigat moveri secundum suam naturam, & quod sit immobile ratione infinitæ quantitatis, à qua exercitium suarum naturalium operationum impediretur. Unde negantur consequentiæ. Aliis terminis quoad formam potest dici, quòd esset mobile ab intrinseco, & immobile ab extrinseco, quod nullum est inconveniens: sicut non est inconveniens, quòd Corpus Christi Domini, quòd ex natura sua potest plures operationes naturales exercere, sit impeditum ab illarum exercitio, prout in Eucharistia.

19 Ad probationem secundæ partis minoris resp. neg. min. non enim repugnat corpus quantum sine figura; quia habere figuram non est proprietas quantitatis in communi, sed quantitatis finitæ. Dividitur enim quantitas in ex-

tensam finita, & in extensam infinitè: unde plures proprietates conveniunt quantitati finitæ, quæ infinitæ quantitati penitus repugnant. Hoc argumentum etiam potest fieri contra infinitum in cognitione divina, & non aliter ad ipsum potest responderi.

20 Argum. 2. Si daretur virga infinita versus longitudinem, posset Deus illam dividere in duas partes, & ex qualibet parte annihilare duos, vel plures palmos, & postea sine additione eas reunire cum motu ex utraque parte: sed in tali reunione quælibet pars desereret duos, vel plures palmos spatii, quos antea occupabat: ergo ex tali reunione possent præfigi illi virgæ duo termini, inter quos clauderetur: ergo jam daretur infinitum duobus terminis clausum, quod infinito repugnat.

21 Deinde, posset Deus, si divideret virgam infinitam in qualibet parte determinabili, posteà (saltim destruendo unam ex duabus partibus, & illam reproducendo) ponere utramque partem versus Orientem, v.g. tunc potest inquiri, an prædictæ partes semper essent æquales ex ea parte, qua finitæ sunt, & qua facta est divisio? vel, an una sit longior altera, si divisio non fiat in certa, & determinata parte? Non secundum; quia ista determinata pars, in qua sola, si fiat divisio, reddit illas duas partes virgæ æquales, esset medium totius virgæ, quæ antea erat infinita, quod non est dicendum; quia ubi est medium determinatum, necessar ò sunt extrema, quæ infinito repugnant. Neque potest dici primum; quia, si facta divisione in quacumque parte virgæ, duæ partes illius remanerent æquales, tunc posset Deus ab una parte auferre palmum, v.gr. & illum alteri addere, & tunc una esset longior altera: ergo idem eveniret, si antea fieret divisio in alia parte per palmum distante ab ea, in qua divisio facta fuit; quod semper videtur in-

con-

conveniens, quia semper assignanda est pars, in qua, si fiat divisio, erunt partes æquales, & non aliter, & consequenter, quæ sit medium determinatum illius virgæ, quod infinito repugnat.

22 Respond. benè posse Deum virgam infinitam dividere, & à qualibet parte illius auferre duos, vel plures palmos, & postea, illas partes reunire, vel per rarefactionem reliquarum partium, vel per novarum partium additionem, vel unam partem annihilando, & posteà illam reproducendo alteri unitam; in quo sensu semper virga remaneret infinita; non tamen posset Deus partes illius reunire per motum localem modo posito in argumento, eò quod implicat corpus infinitum secundùm se totum localiter moveri, cùm motus localis sit desertio termini *à quo*, & acquisitio termini *ad quem*, quod quidem est contra naturam infiniti terminum non habentis, sed occupantis infinitum, & sine termino spatium. Eadem implicantia potest retorqueri contra infinitum cognitum à Deo; nam, vel Deus cognoscit, quod posset fieri divisio virgæ infinitæ, quæ objectivè est in suo intellectu, & quod à quacumque parte potest aliquid auferre; & quod posteà illæ partes possunt reuniri, vel non? Quidquid respondeant, nos etiam possumus respondere.

23 Ad aliud (præterquamquod etiam est contra infinitum cognitum à Deo) respondetur, virgam infinitam posse dividi à Deo pro quacumque parte, & postea unam partem destruendo, & reproducendo, illam simul cum altera collocare, ita ut utraque versus eamdem partem protendatur. Cùm autem inquiritur, an ea parte, in qua facta est divisio, & qua sunt partes, illius virgæ finitæ, deberent constitui æquales, ita ut inciperent ab eodem puncto spatii? Resp. quod Deus posset

pro sua voluntate reproducere illam parten ut inciperet ab eodem puncto spatii, à quo pit alia, & sic æqualiter cum illa; vel ita ciperet ab alio puncto parum; vel plurin distante à puncto, quo incipit alio, & sic æ les; quod utramque posse fieri, attente c deranti naturam infiniti, nullatenus imp bile apparebit. Unde patet, quod non dar aliqua pars in virga infinita, quæ se habere medium illius; & quod accidentaliter, vel mera voluntate divina sic illam partem re ducente; vel per ablationem, vel additio alicujus partis, possent illæ virgæ esse æ les, vel inæquales ea parte, qua facta est d sio, & qua sunt finitæ, non tamen ea, qua i nitæ sunt: infinitas enim semper remane quia non derogat infinito ablatio, seu add alicujus finitæ partis.

24 Arg. 3. Si duæ lineæ protraherentu aliquo puncto, ita ut in infinitum procedere ipsæ lineæ inter se in infinitum distarent: e talis infinita distantia clauderetur termin scilicet ultimis partibus linearum: claudi minis est contra rationem infiniti: ergo. R argumentum (quod etiam potest contra inf tum à Deo cognitum retorqueri) procedere falsa imaginatione præfigente ultimas pa lineis infinitis, quas cum certè non habere non daretur, quid ab alio infinitè distaret terminatè, & sic nec distantia infinita termi inclusa; imò in hypotesi prædictæ lineæ i nitè distarent, eò quod extrema, seu ulti non haberent; & sic daretur infinita distant quæ licèt nostræ imaginationi apparet cla terminis; terminis clausa non esset, cum ta termini nullatenus darentur in lineis. F mentem, & neque hoc, neque alia simil licèt tibi mirabilia, non tamen impossibilia parebunt.

25 In speciali; Arguunt 1. contra infiniti

se

secundum quantitatem discretam; posita in rerum natura infinita multitudine, sine præjudicio infinitatis, posset illi aliquid addi, & ab illa aliquid auferri; sed per talem additionem illa infinita multitudo non fieret major, vel minor; cum majoritas, & minoritas infinito repugnent; ergo necessariò esset concedendum, posse fieri additionem sine augmento, & oblationem sine diminutione; hoc est absurdum; ergo nequit dari infinita multitudo. Minor patet; quia quando aliquid alicui additur., habet totum, quod antea habebat, & aliquid plus; & quando aliquid ab aliquo aufertur, habet minùs quàm antea habebat; sed illud dicitur majus, quod habet plus quàm antea habebat; & illud dicitur minùs, quod minùs habet, quàm antea habebat; ergo implicat, aliquid non fieri majus per additionem, & non esse minùs per ablationem.

26 Resp. concesso 1. syllogismo, neg. min. subsumptam, loquendo de infinito, & similiter antecedens probationis; quia, licèt verum sit, quodlibet finitum fieri majus per additionem, & minùs per detractionem; quia illud fit majus per additionem, quod per talem additionem transgreditur terminum præfixum, quem antea habebat; & fit minus per detractionem, quod per talem detractionem terminum præfixum, quem antea habebat, non attingit; quem quidem terminum habet quodlibet finitum; non tamen hoc est verum in infinito, quod cùm terminum præfixum non habeat, non potest dici, non attingere terminum, quem habebat, per detractionem; neque terminum transgredi per additionem, & sic, nec potest dici maius, vel minus; licèt possit dici, habere aliquid, quod antea non habebat, seu non habere aliquid quod antea habebat.

27 Dices contra; communiter est receptum illud proloquium: *Totum est majus sua parte:*

Sed multitudo infinita, & illud, quod additur, habent rationem partium; quod autem ex illis componitur habet rationem totius; ergo infinitum compositum ex illis est majus illo infinito, quod habet rationem partis. Resp. ex Scoto 3. Physic. quæst. 9. dupliciter aliquid dici totum respectu alterius; vel quatenus continet illud, & aliquid plus; vel quia non tantùm continet illud, & aliquid plus; sed etiam excedit illud in quantitate, & ad illud dicit proportionem majoris inæqualitatis. Nunc concedit Scotus in infinito posse reperiri rationem totius, & partis in primo sensu; non autem in secundo; talis enim sensus supponit in parte terminum præfixum, qui possit transgredi, qualem non habet infinitum; benè tamen finitum. Unde dicendum est, illud axioma solum esse intelligendum in quantitatibus, & aliis entitatibus finitis, nullatenus tamen in infinitis.

28 Argum. 2. communi Thomistarum argumento: repugnat multitudo non terminata per aliquam ultimam unitatem; sed multitudo terminata per ultimam unitatem est finita: ergo repugnat multitudo infinita. Major probatur: quia repugnat multitudo non contenta sub aliqua specie numeri: sed ultima unitas dat speciem numero: ergo repugnat multitudo non terminata per ultimam unitatem. Resp. neg. maj. & maj. prob. Quantitas enim primò dividitur in finitam, & in infinitam; & deinde finita in talem, vel talem numerum, seu in species numeri; unde quantitas infinita non continetur sub aliqua specie numeri: neque est inconveniens, quod ex hoc inferunt, scilicet, dari aliquam multitudinem, quam Deus numerare non posset; quia, cùm infinita multitudo non sit numerus, eò quod non habeat ultimam unitatem, nihil mirum, quod à Deo numerari non possit. Advertendum tamen est, quod infinita multitudo, licèt non esset species numeri,

ri, esset tamen species quantitatis discretæ; nam quantitas discreta sub se comprehendit, tanquam genus, tam numerum, quàm multitudinem infinitam, imò in sententia asserente, numeros non distingui specie inter se, eò quòd magis, & minus non variant speciem, multitudo infinita non differt specie à numero; sicuti linea infinita, si daretur, non differt specie à linea finita. Videantur quæ diximus in Logica disputatione de quantitate, loquendo de numero.

29 Deinde, idem argumentum potest retorqueri in adversarios; nam æquè militat contra infinitam multitudinem cognitam à Deo; in illa enim non cognoscit Deus ultimam unitatem, cùm talem unitatem non habeat; & tamen cognoscit Deus, esse in specie quantitatis discretæ. Quod quidem potest exemplificari in homine, v.g. qui tam animal rationale est, prout in mente divina, seu in statu possibilitatis, quàm prout à parte rei existens; propositiones enim in primo, & secundo modo dicendi per se dicuntur æternæ veritatis, eò quòd ab actuali existentia, quæ est quid contingens, ex sua ratione præscindunt.

30 Quia, quàm plures solent adduci implicantiæ contra conclusionem, quas omnes referre, quasi multitudinem sine termino esset intendere, sufficiant propositæ; quia & ex illarum solutione, & ex sequenti advertentia, haud difficilè solvi possunt. Igitur advertendum est quòd in multitudine infinita includerentur infiniti binarii, denarii, centenarii, millenarii, &c. imò infinities infinitæ multitudines, quarum nulla posset à Deo destrui; quin aliæ destruerentur, eò quòd sunt se invicem communicantes; neque unum infinitum esset majus altero; neque plus spatii occuparet unum quam alterum, cùm quodcumque infinitum spatium, quo majus spatium nequit esse, oc-

cuparet; licèt aliàs, illa ex quibus unum infi
tum constituitur seorsim sumpta, plus spatii
cuparent, quàm illa ex quibus aliud infinit
constituitur, etiam seorsim sumpta, v.g. si un
infinitum ex montibus constitueretur, & a
rum ex formicis, non plus spatii occupa
unum, quàm alterum, licèt quilibet mons
orsim plus spatii occupet, quàm quælibet se
sim formica.

31 Si hæc benè observes, & quòd omnia
quæ contra conclusiones possunt obiici, etia
obiici possunt contra infinitum objectivum,
cognitum à Deo, parum difficultatis invenies
nostris conclusionibus tuendis, & in contra
obiicibilibus confutandi. Solum autem videtu
posse substineri repugnantia infiniti in actu,
gando simul à Deo infinitum cognosci, qu
fortè difficulter negari potest. Tamen, quia
in initio quæstionis advertimus, non tam as
rendo, quàm proponendo, nostras conclusion
statuimus.

32 Pro parte negativa potest videri præ
Thomistas, noster Mastrius, in Physica disp.
per totam. Ubi etiam potest videri pro infin
secundum essentiam, & secundum intensione
à quibus abstinemus, quia communiter de il
agitur in Theologia. Interim, qui plura circa i
finitum desiderat, consultat Meriner. hic, &
Physic. disp. 5. q. 5. & Pontium hic, & in Log
disp. 5. q. 3. & in Metaph. disp. 4. quæst. ultima,
quadam additione; sed certè scias, quòd po
quam illos, & plures alios consulueris, adhu
difficultatibus, & dubitationibus non liberal
ris.

LI

LIBER QUARTUS
PHYSICORUM.

EGit Arist. in hoc lib. per 14.cap. de loco, tanquam de extrinseca mensura corporis naturalis, seu mobilis, & de tempore, tanquam de mensura motus, & de vacuo, quo opponitur loco, ut natura loci aptiùs cognosci possit; de quibus cum ipso per sequentes disputationes agemus.

DISP. I.

De loco.

PEr quinque priora capita hujus libri egit Arist. de pertinentibus ad locum, de quibus agimus in præsenti disputatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit locus?

1 ARist. hìc cap. 4. text. 41. locum his verbis definivit: *Est terminus continentis immobilis primò*, quæ definitio ab omnibus Peripateticis admittitur; licèt pro majori claritate his verbis communiter tradatur: *Locus est ultima superficies corporis continentis immobilis primò*; vel, ut alii dicunt *prima*, & sic communiter explicatur.

2. Dicitur: *Ultima superficies*, quod ponitur loco generis, convenit enim locus cum aliis ultimis superficiebus. Dicitur: *Corporis continentis*, quòd ponitur loco differentiæ, est enim locus ultima superficies, idest, connexa corporis continentis, non autem corporis contineñtis.

ti. Dicitur: *Immobilis*, quòd etiam
ferentiæ statuitur, per id enim differ
vase, v. g. quod licèt sit corpus contir
quid, tamen ultima superficies illius nor
mobilis, sed movetur simul cum conter
citur *primò*, per quod denotatur, imm
tem primò convenire loco modo infra ex
do. Vel, ut alii dicunt, dicitur, *prim*
debet intelligi, ita ut licèt sit ultima sup
corporis continentis, tamen primò,
mediatè conjuncta cum corpore locato;
hoc differt locus proprius cujuslibet loc
poris à loco communi. Advertendum
est, quòd licèt superficies continens e
la, & à corpore separata, haberet rat
loci, dicitur autem, quod est superfici
poris continentis: qui naturaliter sup
continens semper est superficies alicuj
poris. Constat ergo bonitas definitioni
majori tamen claritate, & naturæ lo
niori intelligentia aliqua veniunt exan
da.

3 Primò, an verè locus sit superficies
nentis? Circa quod non defuerunt aliqui
tes, locum non dicere ultimam superficie
poris continentis, sed intervallum, se
tium, quòd est inter latera continenti
tum. Communiter tamen tenetur, locu
cere prædictam ultimam superficiem, non
prædictum intervallum. Quòd sic commu
probatur; quia vel illud spatium, vel int
lum est quid positivum, ut aliqui dicunt
quid negativum, seu privativum, qua
imaginatur esse quid longum, latum, & pr
dum; cùm in re tale non sit, ut tenent alii
nullo modo ex prædictis locus dicit prædi
spatium: ergo.

4 Prima pars minoris probatur, quia
positivum esset aliquod ens in rerum nat
existens, & necessariò habens trinam di

f

sionem quantitativam, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quæ quidem dimensiones nequeunt naturaliter penetrari cum aliis similibus, quas habet corpus locatum: sed corpus locatum occupat totum illud spatium, seu intervallum: ergo si tale spatium esset quid positivum habens trinam prædictam dimensionem, naturaliter penetrarentur dimensiones illius, & corporis locati, quòd est impossibile. In hoc sensu impugnat Arist. hic c. 4. prædictum modum dicendi.

5 Secunda pars minoris probatur: quia quòd est quid negativum, seu privativum, est in re purum nihil, & solùm potest esse aliquid imaginatum, seu fictum: sed locus est quid verum, & reale à parte rei existens: ergo nequid dicere supradictum spatium, seu intervallum negativum. Recta ergo; quòd locus dicat ultimam superficiem corporis continentis.

6 Alii dicunt, locum non dicere ultimam superficiem, sed *ubi*, seu præsentiam realem, quæ est terminis per se motus localis, & intrinsecè inhæret in re, quæ localiter movetur, quòd *ubi* in illorum sentētia consistit in aliquo modo absoluto; in nostra verò, & Scoti sententia consistit in respectu extrinsecus adveniente, ut diximus in Logica loquendo de sex ultimis prædicamentis. Communiter tamen impugnatur hic modus dicendi; quia locus dicitur id, in quo aliquid est: sed corpus locatum non est in *ubi*, seu præsentia, imò *ubi*, seu præsentia est in corpore locato; cùm sit accidens illius: ergo. Deinde: *ubi*, seu præsentia est forma, seu ratio formalis, quia corpus est præsens loco: ergo non est locus. Denique locus, ut omnes communiter tenent, non est aliquid locati, non solùm quia à locato distinguitur, sed etiam, ut tenet Arist. hic c. 4. text. 17. quia est omninò extra illud: sed *ubi*, seu præsentia localis, licèt sit distincta à corpore locato,

cato, tamen cùm in ipso intrinsecè in
non est omninò extra illud: ergo *ubi*,
sentia localis non dicit rationem loci: r
go, quòd sola ultima superficies corpori
nentis habeat rationem loci.

Sed ut argumentis in oppositum occu
sit, advertendum est cum Scoto quæst. 1
libetica, quòd in loco hæc tria conside
Scilicet, ultima superficies corporis co
tis, ratio continentiæ, & ratio immobi
cum hoc tamen ordine, quòd ratio co
tiæ est quod per se, & pro formali signi
cus, ultimam autem superficiem dicit,
gnificat pro materiali, & de connotato;
bilitas verò tantùm est propria, & intri
passio loci; sicuti hoc concretum *album*
& significat pro formali albedinem, & t
materialiter, & de connotato subjectum
de tenendum est, quòd licet locus pro m
li sit species quantitatis, scilicet superfici
formali autem est relatio continentiæ, qu
tinet ad prædicamentum *ubi*, non passivu
activum. Similiter tenendum est ly *ult*
perficies positum in definitione loci non
rum genus loci, sed subjectum connota
hoc concreto *locus*, & ut sic poni in def
ne, sicut in hac definitione albi: *Est corp*
gregativum visus ponitur *corpus*.

8 Quòd autem locus pro formali dica
dictam relationem, non verò ultimam su
ciem, probatur ex eo quòd locus id del
cere pro formali, cui tamquam propria p
convenit immobilitas, hæc solùm conve
lationi continentiæ, non verò ultimæ su
ciei corporis continentis, ut infra dicetu
go.

9 Neque obstat, quòd Arist. definie
cum per ultimam superficiem; nam in co
tis accidentalibus communiter contingit,
materiale seu connotatum ponatur in d

tionibus in recto; quia hoc solùm est juxta modum loquendi, ut patet in definitione albi posita num. 7. Neque similiter obstat, quòd proprietates loci, ut sunt continere locatum, esse illi æqualem, &c. Dicantur de ultima superficie, hoc enim non denotat rationem formalem, sed materialem, quæ tam à ratione formali loci, quàm à qualibet illius affectione denominatur. Nec denique obstat, quòd non multipliciter locus, non multiplicata ultima superficie, licèt relatio continentiæ multiplicetur: quia ad multiplicationem concreti accidentalis, ut est locus non sufficit, quòd multiplicetur ratio formalis, ut est relatio continentiæ, sed etiam requiritur, quòd subjectum, ut est ultima superficies multiplicetur; ut patet in homine plures filios habente, qui non dicitur plures patres per hoc quòd relationes paternitatis multiplicentur, quia non multiplicatur ipse homo, qui est subjectum relationum. Nunc non erit difficilè argumentis pro duplici modo dicendi occurrere.

10 Pro 1. modo dicendi arguunt 1. locus debet esse æqualis locato: ultima superficies non est æqualis locato, benè tamen supradictum spatium, seu intervallum: ergo, min. prob. quia superficies ultima non habet trinam dimensionem, benè tamen illud spatium; ergo non ultima superficies, benè tamen illud spatium est æquale locato, quòd etiam trinam dimensionem habet. Resp. disting. min. ultima superficies continentis non est æqualis locato quoad dimensiones, concedo; quoad continentiam, nego, & nego conseq. Etenim, cùm locus pro materiali dicat superficiem, & pro formali continentiam sufficit, quòd sit æqualis locato quoad continentiam, idest, quòd illa superficies non plus contineat, quàm locatum; non autem requiritur æqualitas dimensionum.

11 Argum. 2. locus est immobilis: ultima

ma superficies non est immobilis, cùm moveatur ad motum corporis continentis; est tamen immobile prædictum spatium, seu intervallum: ergo illud, & non ultima superficies habet rationem loci. Resp. locum pro formali, non verò pro materiali, ut infra dicetur; unde nihil convincit argumentum.

12 Arg. 3. si ultima superficies esset locus, posset aliquid localiter moveri sine mutatione loci: hoc est impossibile; motus enim ordinatur, & tendit in acquisitionem novi loci: ergo, maj. prob. quia si aliquod corpus moveretur simul cum aere circumdante, illud corpus semper maneret contentum ab eadem superficie: ergo si superficies continens esset locus, moveretur aliquid sine mutatione locali. Resp. neg. maj. ad cujus probationem dicimus, quòd in tali casu, illa superficies, quæ simul cum corpore contento moveretur, hoc ipso, quod moveretur, jam non indueret rationem loci, sed rationem quasi vasis, & rationem loci indueret ultima superficies corporis continentis utrumque, scilicet aerem, & corpus contentum, quæ quidem superficies maneret immobilis, dum corpus contentum cum aere continente moveretur. Quod deducitur ex Aristot. hic cap. 4. tex. 41. & ampliùs patebit ex dicendis.

13 Pro aliis argumentis aliqua debent observari. 1. quòd quando Aristot. cap. 4. hujus lib. text. 48. dixit, esse proprium loci corpora fovere, & conservare, non intellexit locum, seu ultimam superficiem habere virtutem ad fovendum, & conservandum corpora; nam cùm sit quantitas, nullam talem virtutem habere potest; sed intellexit, quòd medio loco corpora continentia per suas qualitates, & virtutes fovent, & conservant corpora locata. 2. ex Scoto in hoc lib. quæst. 2. & quæst. 3. quòd

ut

ut corpora dicantur in eodem loco sibi invicem succedere, non necessariò requiritur, quod superficies, qua corpus adveniens continetur, sit in re eadem numero cum superficie, qua corpus præexistens continebatur; sed sufficit, quod sit eadem per æquivalentiam, quæ consistit in hoc, quod superficies continens corpus adveniens, fundet relationes, tam continentiæ, quam distantiæ ad corpora quiescentia, seu ad polos fixos mundi, ejusdem rationis cùm illis relationibus, quas fundabat superficies continens corpus præexistens.

14 Pro secundo modo dicendi arguunt: locus, est terminus acquisitus per localem motum; sed per motum localem acquiritur *ubi*, seu præsentia localis; ergo *ubi*, seu præsentia localis habet rationem loci. Resp. disting. maj. locus est terminus extrinsecùs acquisitus per motum localem, concedo; terminus intrinsecus, nego. Disting. etiam min. *ubi*, seu præsentia localis est terminus extrinsecus, nego; intrinsecus, concedo, & neg. conseq. Duplicem enim terminum acquirit corpus per motum localem, scilicet *ubi* passivum, seu præsentiam localem, & dicitur terminus intrinsecus, quia intrinsecè inhæret corpori locato; & ultimam superficiem corporis continentis dicentem relationem continentiæ, seu *ubi* activum, & dicitur terminus extrinsecus, quia intrinsecè solùm est in corpore continente; in hoc secundo termino stat ratio loci, non autem in prima.

15. Secundò venit examinandum, quomodo immobilitas conveniat loco? Pro resolutione notandum est cum Scoto in 2. distin. 2. quæst. 6. §. *ad quæstionem*, duplicem immobilitatem posse in loco considerari; altera opposita motui locali, & altera opposita motui corruptivo, quæ non propriè immobilitas;

sed

ſed potius incorruptibilitas dicenda eſt . Hoc notato.

16 Reſpondetur primò cum eodem Scoto, immobilitatem oppoſitam motui locali, tam per ſe, quam per accidens, convenire loco, tanquam propriam paſſionem. In hac reſponſione omnes unanimiter conveniunt; ſed juxta Scotum eſt intelligenda de loco formaliter ſumpto, id eſt pro relatione continentiæ, ſeu *ubi* activo; non tamen de loco ſumpto materialiter, ſeu pro ultima ſuperficie corporis continentis: Quod mobilitas, tam per ſe, quàm per accidens nequeat loco convenire, patet ex eo quod, quando aliquid alicui convenit per ſe, ejus oppoſitum neque per ſe, neque per accidens poteſt illi convenire: ſed immobilitas, ut omnes fatentur, convenit loco, ſaltim in ſecundo modo dicendi per ſe: ergo mobilitas illi oppoſita neque per ſe, neque per accidens poteſt loco convenire. Et poteſt confirmari; quia proprietas, ſeu propria paſſio alicujus nequit alteri convenire; ſed quodlibet accidens, licèt per accidens, & ad motum ſubjecti ſit mobile, non tamen eſt mobile per ſe; ergo ſi locus tantùm per ſe eſſet immobile, & eſſet mobile per accidens, proprietas illius conveniret aliis accidentibus.

17 Quòd autem hæc immobilitas non conveniat loco pro materiali, patet: nam ultima ſuperficies corporis continentis v. g. aeris, ſaltim per accidens, & ad motum ipſius aeris movetur; ergo non convenit illi immobilitas, tam per ſe, quàm per accidens. Denique, quod talis immobilitas conveniat loco formaliter ſumpto, patet: tum quia, licèt corpus continens moveatur, non tamen movetur formalis continentia; aliàs non diſtingueretur locus à vaſe, quod movetur, & ad motum illius, ſaltim per accidens, movetur continentia; ergo. Tum etiam quia talis immobilitas, juxta com-

communem consensum, convenit loco: non materialiter sumpto, ut dictum est: ergo formaliter,

18 Resp. secundò etiam cum Scoto, immobilitatem sumptam pro incorruptibilitate, non convenire loco entitativè sumpto, posse tamen illi convenire per æquivalentiam. Prima pars probatur ex Scoto contra aliquos asserentes, locum formaliter sumptum, scilicet, pro respectibus, tam continentiæ, quàm distantiæ, ad puncta fixa universi, esse incorruptibilem, eò quod transacta ultima superficie aeris, v. g. quæ continebat turrim, manent eædem relationes continentiæ, & distantiæ in ultima superficie aeris succedentis, seu de novo advenientis. Ad corruptionem subjecti corrumpitur quodlibet accidens ipsius, sive absolutum, sive respectivum: sed ultima superficies continens turrim est subjectum prædictarum relationum, quia istæ sunt accidentia illius: ergo transacta, seu corrupta prædicta superficie (quod ad intentum idem valet) etiam transibunt, seu corrumpentur prædictæ relationes, & aliæ distinctæ numero resultabunt, quæ in ultima superficie aeris succedentis subjectentur; aliàs eadem accidentia numero transirent de subjecto in subjectum, quod est, saltim naturaliter, impossibile: ergo locus, adhuc pro formali, non est immobile, prout immobilitas dicit incorruptibilitatem.

19 Secunda pars etiam probatur, & simul explicatur ex Scoto; quia, licèt transacta ultima superficie aeris continentis turrim, corrumpantur realiter relationes continentiæ, & distantiæ ad puncta fixa universi, & aliæ numero distinctæ resultent, quæ in superficie aeris advenientis subjectentur; tamen possunt dici eædem numero relationes cum antecedentibus per æquivalentiam, quod sic explicatur: quia ita incompossibile est, dari motum localem à loco

cor-

corrupto ad locum de novo genitum, ac si essent idem numero locus; nam motus localis necessario requirit ad aliquod spatium medium inter locum, qui deseritur, & locum, qui de novo acquiritur; sed in hypothesi inter locum, seu relationes corruptas, & locum, seu relationes de novo genitas, nullum intercedit spatium; ergo nequit inter prædicta loca dari motus localis: & consequenter quoad motum localem, licet in re prædictæ relationes, & prædicta loca numero differant; possunt per æquivalentiam dici eadem numero.

20 Hoc ampliùs declarat Scotus hoc exemplo; hæc vox *homo*, licèt pluries proferatur, dicitur eadem numero vox; & numero distincta ab hac voce *lapis*; licèt in re vox *homo* pluries prolata, non sit una numero, sed potius plures numero voces; & in re vox *homo*, & vox *lapis* non solùm numero; sed etiam specie differant; sed hoc contingit, quia ad finem vocis, hoc est, ad exprimendum conceptum *homo*, & *homo* per æquivalentiam sunt idem. Idem à simili dicendum est in nostro casu.

QUÆSTIO II.

Quibus rebus conveniat esse in loco?

1 PRo quæstionis intelligentia notandum est, esse in loco, dupliciter posse sumi. Primò indefinitè, id est sine termino, seu fine. Secundò, definitè, seu finitè, & cùm termino. Sed hoc adhuc dupliciter. Primò, circumscriptivè, ita ut totum locatum sit in toto loco, & pars illius in parte loci. Secundò, definitivè, ita ut totum locatum sit in toto loco, & totum in qualibet parte loci. Hoc notato, tanquam ab omnibus communiter recepto, breviter aliqua dicemus; quia plura, quæ hic

hic poterant exagitari, propria sunt instituti Theologici. Igitur

2 Dicitur primò: Solus Deus dicitur esse in loco indefinitè, quod idem est, ac esse ubique, seu in omni loco ratione suæ immensitatis, & sine aliqua illius mutatione. Hæc conclusio sic proposita ab omnibus Catholicis tenetur, & nulla probatione indiget.

3 Est tamen advertendum, quòd si accipiatur esse in loco, prout dicit ab aliquo contineri, nequit Deus dici esse in loco; quapropter, dicunt aliqui, aptius dici, Deum esse cum loco, quàm Deum esse in loco, sed hoc reducitur ad quæstionem de nomine; sicut etiam an Deus sit in spatiis imaginariis. Videatur Mastrius in Physica disp. 11. q. 4. art. 2. & q. 6. quia in hoc non vacat immorari.

4 Dicimus secundo: Angeli sunt in loco: Hæc conclusio sic proposita est communis consensus, & colligitur ex Sacra Scriptura, nam Apoc. 12. dicitur loquendo de Angelis, qui ceciderunt: *Locus non est inventus ampliùs eorum in Cœlo*. Idem dicendum est de anima in statu separationis; anima enim Christi Domini in triduo mortis descendit ad inferos; & etiam dicitur de aliis animabus in statu separationis ire ad Purgatorium, & ad Cœlum; quæ omnia denotant motum localem, qui convenit rebus in loco existentibus. Quando autem Aristot. text. 47. dicit sola corpora esse in loco, loquitur de modo existendi in loco circumscriptivè, quod quidem verum est; non autem definitivè in quo sensu intelligitur conclusio. Sed, licèt in hoc omnes conveniant, adhuc sunt aliquę difficultates, quæ plenè in materia de Angelis exagitantur.

5 Advertendum tamen est, quòd licèt anima rationalis in statu separationis, in quo per se, & non ratione alterius, dicitur esse in loco, sit in loco definitivè; tamen dum est in corpore di-

dicitur esse in loco circumscriptivè non per se, & immediatè, sed per accidens, & mediatè, quatenus, scilicet corpus, quod informat, immediatè est in loco circumscriptivè. An prædicti modus essendi in loco sint animæ rationali connaturales, ut naturale opponitur violento? Deducendum est ex dicendis in libris de anima. Certum tamen est, quòd sunt animæ connaturales, prout naturale opponitur supernaturali.

6 Dicitur tertiò: Omnia corpora sublunaria, tam simplicia, ut sunt elementa, quàm composita, ut sunt mixta, sunt propriè in loco circumscriptivè. Conclusio est communis, & patet: quia cùm nullum detur vacuum in rerum natura, ut omnes concedunt, & disp. seq. dicemus, evidenter sequitur, omnia sublunaria contineri à superficie ultima alicujus corporis. Deinde, cùm omnia prædicta corpora sint materialia, & consequenter quantitativè extensa, ita continentur à superficie, ut totum corpus contineatur à tota superficie, & partes corporis à partibus superficiei: ergo omnia prædicta corpora sunt circumscriptivè in loco. Propter eamdem rationem conveniunt omnes, omnia corpora cœlestia, præter Cœlum Empyreum, esse in loco circumscriptivè.

7 Aliqua tamen pro majori claritate advertenda sunt. Primò, quòd talis modus essendi in loco est connaturalis substantiis corporeis, eò quòd naturaliter exigunt quantitatem, cui primariò convenit esse in loco circumscriptivè, & ratione illius, seu secundariò prædictis substantiis. Eodem modo potest dici convenire accidentibus materialibus. Quomodo autem esset in loco substantia corporea (idem esto judicium de accidentibus materialibus) si existeret sine quantitate, & an modus essendi in loco, in hypothesi, esset illi naturalis? Dictum est in Logica disp. de quant. q. 3.

8 Se-

8 Secundò est advertendum, quòd elementa habent locum determinatum, ita ut unum contineatur in alio cum tali ordine, qui naturaliter inverti non potest; & assignatur in libris de generatione. Idem est de corporibus cœlestibus. At verò corpora mixta non habent locum ita determinatum, ut non possit variari; licet aliqua habeant loca connaturalia, in quibus naturaliter quiescunt, ut gravia deorsum, & levia sursum.

9 Dicimus quartò: Ultima Sphæra, scilicet Cœlum Empyreum, non est in loco: Conclusio etiam est communis, & patet ex eo quòd Cœlum Empyreum eo ipso, quòd sit ultima Sphæra, nullum corpus habet supra se, à cujus ultima superficie contineatur: ergo non est in loco. Deinde hoc expresè docuit Aristot. hic cap. 5. text. 43. ubi dicit: *Cui igitur corpori est aliquod corpus extra continens ipsum, hoc in loco est; cui verò non, minimè.* Ubi adverte, quod licèt ultima Sphæra non sit in loco, non tamen propter hoc dicendum est, non est alicubi, potest enim dici, si quæratur, ubi est ultima Sphæra? Esse circa, vel juxta Sphæram immediatam: cujus ratio est, ut benè notavit Scotus 3. Physic. quæst. 7. quia esse in loco tantum est una species de genere *ubi*, & aliæ species sunt *circa*, *juxta*, *longè*, &c.

10 Aliqua contra hanc conclusionem objici solent non magni momenti, pro quibus est observandum primò, quòd ultima Sphæra, cùm sit corpus continens, habet rationem loci, ita ut in ultima superficie convexa illius fundetur relatio continentis, quæ dicitur *ubi* activum. Unde, si moveretur localiter motu circulari (quod de facto contingere videtur tenere Arist. dùm videtur asserere, ultimam Sphæram esse primum mobile) talis motus solùm esset quoad locare;

quia

quia aliter locaret corpus contentum, quàm prius; non verò quoad locari, quia ad hoc necessariò requiritur, quòd contineatur in aliquo corpore, & hoc nullatenus evenit. Vel potest dici, quod idem est, quod tunc moveretur secundùm *ubi* activum, non autem secundum *ubi* passivum. Unde patet, non posse dari motum localem sine mutatione *ubi*, vel passivi, vel activi.

11 Secundò est observandum, quòd si Deus annihilaret omnia, quæ sub ultima Sphæra continentur, & ipsa moveretur, talis motus non diceretur localis actualis, sed tantùm potentialis; non quia talis motus de facto non daretur; sed quia actualiter non versaretur inter aliquas ubicationes activas, vel passivas, quæ actualiter existerent, sed tantùm potentialiter. Idem dicendum videtur, si totum universum simul moveretur.

12 Tertiò observandum est, quòd ultima Sphæra potest dici esse potentialiter in loco, tam secundum se, quàm secundum suas partes; quia nulla est repugnantia in hoc, quòd Deus possit creare aliquod corpus continens ultimam Sphæram; neque in hoc, quòd Deus aliquam partem illius possit separare, & in aliquo loco constituere. Notant tamen aliqui, partes ultimæ Sphæræ posse dici esse potentialiter in loco, eò quòd jam sit locus, in quo seorsim constitui possint; at verò totam ultimam Sphæram posse dici esse potentialiter in loco, non quia de facto detur locus, in quo possit à Deo constitui; sed quia talis locus est possibilis à Deo creari, quapropter, dicunt, hanc potentiam esse valdè remotam; potentiam verò partium ideò remotam non esse.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An duo corpora quantitativè extensa possint esse simul in eodem loco.

1 ESse duo corpora simul in eodem loco nihil aliud est, quàm esse inter se penetrata, se invicem secundùm omnes suas partes tangendo, ita ut ab eadem superficie corporis continentis circumscribantur. Nunc supponitur, tanquam certum apud omnes Philosophos, hoc naturaliter evenire non posse; & ratio desumitur ex eo, quod quantitas naturaliter exigit habere partes, quarum una sit extra aliam in ordine ad locum, seu partes impenetrabiles, ita ut impenetrabilitas sit propria passio quantitatis, ut suo loco diximus in Logica: ergo hoc nequit naturaliter evenire. Deinde, quia experientia videmus, corpora quanta sibi invicem naturaliter succedere in eodem loco, & semper diversa corpora diversa loca occupare: ergo cum non sit aliquod principium, ex quo deduci possit, hoc naturaliter evenire, imò oppositum doceat experientia, non debet naturaliter concedi.

2 Neque aliquæ experientiæ, quæ ab aliquibus adducuntur, oppositum convincunt; nam quando vas cineribus plenum recipit aquam, non est, quia aqua cum cineribus penetratur, sed quia cum cineres sint valdè porosæ, exeunte aere introducitur aqua, & partes cinerum comprimuntur; & deinde, ob siccitatem cinerum aliquæ partes aquæ in vapores exalantur, & cæteræ partes in cineribus imbibuntur, Similiter ferrum candens non penetratur cum igne, sed ignis includitur, cùm sit adeò subtilis, in poris ipsius ferri. Ulterius, quando vas plenum aqua, sine aquæ effusione admittit numos aureos; quod ut aliqui di-

dicunt, constat experientia, hoc non provenit ex penetratione aquæ cum auro; sed ut tenent aliqui, quia aqua superemînet per modum globi, dum labia vasis remanent sicca, his autem madefactis, effunditur aqua: vel ut tenent alii, quia aurum habet virtutem attractivam aquæ; unde contingit, quod immissis in vase numis aureis, aqua in modum globi emineat supra labia vasis. Solum ergo est difficultas supernaturaliter; cujus partem affirmativam tenent communiter Theologi, & Philosophi contra Durandum; pro qua

3 Dicimus: Supernaturaliter possunt duo corpora quanta esse in eodem loco ad invicem penetrata. Conclusio est Scoti in 4. distin. 49. q. 16. & Angelici Præceptoris in 4. distin. 44. quæst. 2. art. 2. Pluribus rationibus solet probari, sed certè à priori difficulter probari potest, quæstiones enim à non repugnantia, aptius probantur à posteriori, & negativè ad objecta respondendo; quapropter breviter probatur hac unica ratione, qua omnes, licet aliis verbis, utuntur: ex eo naturaliter non possunt duo corpora quanta penetrari, nec simul in eodem loco constitui, quia quantitas exigit naturaliter aliam quantitatem ab eodem loco expellere: sed potest Deus supernaturaliter impedire, quod naturaliter rebus creatis debetur, ut patet, in quantitate Hostiæ Consacratæ, cui naturaliter debetur inhærentia actualis subjecto, quæ inhærentia est supernaturaliter impedita, cùm non adsit subjectum, cui inhæreat: ergo licèt expellere ab eodem loco unum corpus quantum debeatur naturaliter altari corpori quanto, talis expulsio potest à Deo supernaturaliter impediri; eò vel maximè, quòd sit effectus quasi secundarius.

4 Et potest confirmari, quia tam connaturalis est extensio quantitatis in ordine ad locum, quàm expulsio unius corporis ab eodem lo-

loco; sed primum impeditur à Deo supernaturaliter, ut patet in quantitate Corporis Christi in Eucharistia; ergo etiam secundum.

5 Ex pluribus locis Sacræ Scripturæ solet etiam ostendi, hoc de facto contigisse; Christus enim egressus fuit ex utero B. M. V. salva ipsius virginali integritate, similiter egressus fuit è sepulchro clauso; & ingressus ad Discipulos januis clausis, & ascendit super Cœlos sine illorum divisione; quæ omnia non evenerunt sine actuali penetratione quantitatis Corporis Christi cum quantitate aliorum corporum. Ad hæc, quæ in Scriptura continentur, aliquas responsiones adducit Durandus, quæ ex ipsis terminis facilè impugnantur, & quæ jam communiter ab Authoribus, ut nullius, vel parvi momenti omittuntur.

6 Argum. 1. Nequeunt partes unius corporis quanti esse simul in loco correspondente uni certę parti; ergo neque duo corpora quanta possunt simul in eodem loco collocari. Prob. antec. quia quantitas ex sua ratione formali habet partes extra partes in ordine ad locum: ergo nequeunt omnes partes illius in eodem loco collocari. Deinde, quia si partes quantitatis simul collocarentur in loco alicujus partis determinatæ, sequeretur, quod totum non esset majus sua parte, quod non est dicendum: ergo. Resp. neg. antec. & disting. antec. probationis; quantitas habet partes extensas in ordine ad locum, ita ut talis extensio sit de essentia illius, nego, ita ut naturaliter exigat talem extensionem, concedo, & neg. conseq. Quantitas enim, ut dictum est in Logica, non dicit tanquam essentiam extensionem partium in ordine ad locum actualiter sumptum, sed essentia illius consistit in radicali extensione, & extensio aptitudinalis est propria illius passio; unde licèt radicalis, & aptitudinalis extensio par-

tium in ordine ad locum nequeat à quantitate separari, benè tamen extensio actualis; hæc enim tantùm est accidens naturaliter debitum quantitati. Videantur quæ diximus in Logica disp. de quantitate, præcipuè in illa quæst. an substantia habeat partes seclusa quantitate, quæ maximè ad aliquas replicas quæ hic fieri solent, deserviunt.

7 Ad secundam probationem antecedentis respondetur, quòd in hypothesi, licèt totum non esset actualiter majus sua parte in ordine ad locum, esset tamen majus aptitudinaliter; quia ex natura sua exigit occupare majorem locum, quàm quælibet pars illius.

8 Argum. 2. Nequeunt partes quantitatis successivæ, adhuc supernaturaliter, penetrari, seu simul existere in eodem spatio durationis: ergo neque similiter plures partes quantitatis permanentis, seu duo corpora quanta, esse simul in eodem loco. Patet consequentia; quia sicut se habet quantitas successiva in ordine ad spatium durationis, ita se habet quantitas permanens in ordine ad spatium loci. Resp. neg. conseq. & paritatem; quia successio essentialiter dicit unum esse post aliud; permanentia autem hoc non dicit essentialiter: unde, licet partes quantitati successivæ nequeant esse simul in eadem duratione; quia hoc esset contra essentialem rationem successivi; tamen partes quantitatis permanentis, seu duo corpora quanta permanentia, possunt sine implicatione esse simul in eodem loco; quia hoc nullatenus essentię permanenti opponitur.

9 Arg. 3. Si duo corpora, quantitativè extensa, simul essent in eodem loco, dependeret idem numero effectus à duplici causa totali, & adæquata ejusdem ordinis: hoc implicat, ut suo loco dictum est: ergo. Prob. maj. qua repletio loci est effectus quantitatis: ergo, si duo corpora, quantitativè extensa, essent simul in

eo-

eodem loco, eadem repletio dependeret à duplici quantitate, tanquam à duplici causa totali ejusdem ordinis. Resp. neg. sequelam majoris; & conseq. prob. quia in tali casu non unica tantùm repletio loci, sed duplex intercederet, quælibet à corpore quantitativè extenso sibi correspondente proveniens tanquam à causa: esset enim in tali loco duplex *ubi* activum, & in quolibet corpore unum *ubi* passivum seu præsentia localis, quæ est respectus extrinsecus adveniens, utrumque terminatum ad eundem locum materialiter sumptum; neque enim hoc est peculiare hujus respectus; nam in eodem fundamento multiplicantur quælibet relationes, multiplicatis terminis, & etiam in pluribus fundamentis multiplicantur relationes, respectu ejusdem termini.

10 Arg. 4. si duo corpora, quantitativè extensa, essent simul in eodem loco, sequeretur, quòd possent naturaliter moveri, cùm essent corpora naturalia; & quòd non possent naturaliter moveri; quia jam possent naturaliter simul in unico loco constitui, quod non est dicendum: Sequeretur etiam, posse naturaliter videri, cum haberent colores; & non posse naturaliter videri; quia posset unum esse album, & aliud nigrum, & non esset major ratio, cur unum immutaret visum, potius, quam aliud, quod est inconveniens. Resp. quòd si aliàs non repugnaret, posśent moveri naturaliter corpora penetrata, & in eodem loco constituta; & per talem motum posśent simul constitui naturaliter in eodem loco, quod nullum est inconveniens ex suppositione miraculi conservantis prædicta corpora cum actuali penetratione. Qui autem dicunt, prædicta corpora non posse moveri, nullum admittunt inconveniens, cùm in tali casu eśsent mobilia, ab intrinseco, & solum ab extrinseco immobilia.

11 Ad aliud resp. quòd si illa corpora essent ejusdem coloris, possent simul videri, licèt non possent naturaliter discerni; si autem essent diversi coloris possent etiam videri cum quadam confusione ex parte objecti, & aliquo modo discerni.

12 Adverte, quod prædicta corpora possent naturaliter agere, & pati, quin penetratio obstaret; si enim ignis penetraretur cum ligno, illud combureret, & similiter aliud quodcumque combustibile extrinsecum.

QUÆSTIO IV.

An idem numero corpus possit esse simul in duplici loco adæquato circumscriptivè?

1 NOn procedit difficultas naturaliter, seu de potentia ordinaria; ut sic enim unanimiter conveniunt omnes, idem corpus non posse in duplici loco adæquato collocari, eò quòd quantitas, ratione cujus corpus dicitur esse in loco circumscriptivè, est finita, & limitata; unde naturaliter solùm exigit unicam præsentiam circumscriptivam ad unum locum adæquatum; quapropter semper videmus experientia, corpus dum acquirit aliquem locum, alium amittere. Procedit ergo quæstio supernaturaliter, seu de potentia Dei absoluta; & denotanter diximus *circumscriptivè*; quia, quòd unum corpus sit in uno loco circumscriptivè, seu divisibili modo, & in alio, vel aliis definitivè, seu modo indivisibili, omnes Catholici fatentur, de facto miraculosè evenire; corpus enim Christi Domini simul est in Cœlo circumscriptivè, & ut fides docet, in Sacramento Altaris modo indivisibili, seu definitivè. Est ergo circa difficultatem duplex celebris, & ex diametro opposita sententia. Prima asserit,

hoc

hoc penitùs repugnare. Sic expresè Angelicus Præceptor pluribus in locis à Thomistis ipsum unanimiter sequentibus, citatus. Secunda negat, hoc repugnare; quapropter affirmat, posse supernaturaliter idem numero corpus quantitativè extensum in duplici loco, modo divisibili, seu circumscriptivè à Deo collocari. Sic subtilis Magister in 4. dist. 10. q 2. per totam, quem præter omnes Scotistas, Jesuitæ communiter sequuntur. Pro qua

2 Dicimus: Idem numero corpus potest simul, modo dicto, in duplici loco constitui. Probatur primò ratione Scoti: quia potest idem numero corpus esse circumscriptivè, seu modo divisibili in uno loco, & definitivè, seu modo indivisibili in pluribus aliis, ut patet de Corpore Christi Domini, simul in Cœlo, divisibiliter, & in pluribus Altaribus in Eucharistię Sacramento indivisibiliter existente: ergo etiam potest simul idem numero corpus in duplici loco divisibiliter constitui. Hæc est potissima ratio ostensiva conclusionis, quam pluribus evertere intendunt adversarii assignando disparitatem. Igitur

3 Respondent 1. disparitatem stare in hoc, quòd ut corpus sit in uno loco circumscriptivè, & in alio Sacramentaliter, non requiritur duplex extensio localis, sed sufficit, quòd in uno loco sit quantitas cum sua locali extensione, & in alio sit, non per localem extensionem, sed per conversionem substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, quòd non est inconveniens: at verò, ut corpus sit in duplici loco circumscriptivè, requiritur, quòd multiplicetur extensio localis, quin multiplicetur quantitas, quæ est forma tribuens talem extensionem, quod repugnat; impossibile enim est, multiplicari effectum formalem, non multiplicata forma.

4 Sed contra est primò: quia conversio sub-

stantiæ panis in substantiam Corporis Christi non est ratio formalis, qua Corpus Christi est hic; nam transacta conversione manet hic Corpus Christi: ergo sine tali conversione potest alicui tribui esse hic: ergo ratio formalis, qua Corpus Christi est in pluribus locis definitivè, debet esse quid distinctum ab ipsa conversione.

5 Neque dicas, talem rationem formalem esse species panis consecrati; & sic Corpus Christi est in Cœlo circumscriptivè per proprias dimensiones, & in Sacramento per dimensiones alienas, scilicet per dimensiones Hostiæ consecratæ. Nam contra est: quia prædictæ species non sunt formaliter in Corpore Christi: ergo non sunt ratio formalis, qua Corpus Christi est formaliter hic, sed Corpus Christi est formaliter præsens huic loco; ergo per aliquid aliud distinctpm, tam à conversione, quàm à prædictis speciebus. Deinde quia si dimensio prædictarum specierum esset ratio formalis, qua Corpus Christi est in Sacramento, esset in illo modo extenso: nam extensa dimensio, quam habent prædictæ species, nequit esse ratio formalis essendi in toto indivisibiliter, & inextensè, quo modo est Corpus Christi in Sacramento: ergo tales species nullatenus possunt esse ratio formalis, qua corpus sit præsentialiter in Sacramento.

6 Contra 2. quia ut Corpus constitueretur in duplici loco circumscriptivè, non esset necessarium multiplicare extensionem: ergo non rectè adducitur repugnantia ex hoc capite. Prob. antec. quia ut aliquid multiplicetur, sufficit, quòd multiplicetur ratio formalis illius, quin ratio materialis multiplicetur: sed ratio formalis, qua corpus est in loco, est præsentia localis, seu *ubi*; extensio verò tantùm est ratio materialis, seu fundamentum talis præsentiæ: ergo, ut corpus sit in duplici loco, sufficit,

ficit, quòd multiplicetur præsentia localis, seu *ubi* quin quantitas, seu extensio quantitativa multiplicetur. Major patet à paritate; quia ex eo quòd albedo, v. gr. non sit ratio formalis, sed tantùm materialis, seu fundamentalis assimilandi, & ratio formalis assimilandi, sit relatio similitudinis, potest unum album esse simile pluribus, per solam multiplicationem relationis similitudinis, albedine immultiplicata: ergo ut aliquid multiplicetur, sufficit, quòd multiplicetur ratio formalis illius, quin ratio materialis multiplicetur, Minor etiam patet; quia sicut se habet albedo, v. gr. ad fundandam relationem similitudinis, ita se habet extensio quantitativa ad fundandam relationem præsentialitatis localis, seu *ubi* circumscriptivum: ergo sicut ibi albedo tantùm est ratio materialis, seu fundamentalis, ita & hic quantitas, seu extensio quantitativa.

7 Secundò respondent, disparitatem stare in hoc, quòd præsentia quantitativa, & extensa convenit Corpori Christi Domini ratione suæ quantitatis; præsentia verò Sacramentalis ratione suæ substantiæ, ita ut conversio sit ratio causalis, substantia verò ratio formalis talis præsentiæ; quæ rationes valdè diversæ sunt: at verò, ut corpus esset simul in duplici loco circumscriptivè, ratio formalis esset extensio quantitativa, quæ cùm sit unica, & eadem, repugnat, quòd sit ratio duplicis præsentiæ. Sed præterquam quod falsum est, extensionem quantitativam esse rationem formalem præsentiæ, seu essendi in loco, ut supra dictum est.

8 Contra est: quia in Sacramento, licèt non ex vi conversionis, tamen concomitanter, adest quantitas Corporis Christi Domini simul cum substantia: ergo si substantia quanta Corporis Christi potest recipere præsentiam indivisibilem, præter præsentiam divisibilem,

quam habet in Cœlo, medius poterit recipere aliam præsentiam divisibilem. Prob. conseq. quia ubicumque ponitur aliqua forma aptiùs ponitur modo sibi connaturali, quam modo opposito: sed modus connaturalis substantiæ quantæ est existere in loco divisibiliter: ergo ubicumque potest substantia quanta constitui, aptiùs erit modo indivisibili, quàm indivisibili: sed quòd ponatur indivisibili modo ab omnibus admittitur: ergo non debet negari, quòd possit poni modo divisibili; eò vel maximè; quia in constituendo corpus in duplici loco divisibiliter, unum tantùm intercedit miraculum; in constituendo verò indivisibiliter, duplex miraculum intercedit; alterum quo ponitur in duplici loco, & alterum, quo impeditur extensio sibi naturaliter debita.

9 Respondent, quod licèt absolutè loquendo sit miraculum impedire extensionem quantitatis; non tamen ex suppositione, quod sit in aliquo loco extensivè, ut contingit in Corpore quanto Christi Domini, quod ex suppositione, quod sit in Cœlo divisibiliter, necessariò ponitur in Sacramento indivisibiliter; unde non est miraculum, quod in Sacramento non ponatur divisibiliter, cum talis positio, ex hypothesi, repugnet. Cujus ratio, inquiunt, est quia locus circumscriptive adæquatus importat æqualitatem cum corpore in linea circumscriptiva; & consequenter dicit negationem excessus; unde nequit corpus excedere locum prædicto modo adæquatum, & in altero circumscriptivè collocari, benè tamen indivisibiliter; quia in hoc genere non erat corpus cum primo loco adæquatum.

10 Sed contra est primò: quia potest Deus convertere substantiam panis in substantiam Angeli, Angelo in Cœlo remanente, quod non videtur posse negari potentiæ divinæ, supposito miraculo Sacramenti Eucharistiæ. Nunc in-

Inquiro; an esset Angelus sub accidentibus panis modo definitivo, vel circumscriptivo? Si primum; ergo etiam Corpus Christi Domini poterit esse in Sacramento circumscriptivè; ac per consequens idem corpus in duplici loco circumscriptivè. Prob. conseq. quia sicut præsentia circumscriptiva importat æqualitatem cum corpore in linea circumscriptiva, ita præsentia definitiva suo modo potest dici importare æqualitatem cum Angelo in linea definitiva; ergo sicut, hoc non obstante, potest Angelus poni sub speciebus panis modo definitivo, conservando suam præsentiam definitivam in Cœlo; ita poterit Corpus Christi poni in Sacramento modo circumscrpto, conservando suam præsentiam circumscriptivam in Cœlo. Si secundum; quis negabit, hoc esse majus miraculum, quàm si poneretur modo definitivo, eò vel maximè, quod hic modus essendi in loco est Angelo connaturalis, & modus existendi circumscriptivè opponitur tali modo connaturali; ergo idem dicendum est de Corpore Christi, scilicet, quod est majus miraculum esse in Eucharistia modo definitivo, conservando præsentiam circumscriptivam in Cœlo, quàm esse modo circumscriptivo; eò vel maximè, quia hic modus essendi in loco est corpori connaturalis, & modus essendi definitivè opponitur tali modo connaturali.

11 Et potest confirmari; quia ita Corpus Christi adæquatur cum hac numero Hostia Sacramentaliter, sicut adæquatur cum hoc numero loco circumscriptivè, sed prima adæquatio non obstat, quod Corpus Christi sit simul adæquatum cum altera Hostia, ergo neque secunda adæquatio obstabit, quod sit simul adæquatum cum alio numero loco circumscriptivè. Prob. maj. quia ex eo corpus adæquatur cum uno loco circumscriptivè, quia totum corpus continetur in illo, ita ut nihil aliud conti-

neatur, & locus continet corpus, ita ut nihil aliud contineat circumscriptivè: sed totum Corpus Christi continetur in una Hostia, ita ut nihil aliud contineatur, & illa Hostia continet Corpus Christi, ita ut nihil aliud contineat Sacramentaliter; ergo sicut adæquatur corpus cum uno loco circumscriptivè, ita cum una Hostia Sacramentaliter. Aliæ responsiones impugnantur ex dictis, & amplius ex solutione argumentorum.

12 Probatur secundò conclusio; quia duo corpora quantitativè extensa possunt supernaturaliter esse simul in eodem loco circumscriptivè; ergo similiter idem numero corpus quantitativè extensum potest supernaturaliter simul esse in duplici loco circumscriptivè.

13 Respondent negando paritatem; quia de ratione unius est esse indivisum in se, si autem esset in duplici loco, jam esset divisum, esse autem divisum ab alio, non est ita de ratione formali unius; & ita benè possunt duo corpora esse simul in eodem loco; hoc enim solùm facit, quod unum non sit divisum ab alio.

14 Sed contra est; quia non minùs est de ratione unius esse indivisum in se, quam esse divisum à quolibet alio; ergo æqualiter repugnat, vel non repugnat uni non esse divisum ab alio, quam esse divisum in se; ergo paritas manet in sua vi. Prob. antec. quia, vel indivisio in se, & divisio à quolibet alio accipiuntur entitativè, vel localiter? Si entitativè, sicut est impossibile, quod unum sit in se divisum entitativè, quia esset unum, & non esset unum entitativè, ita est impossibile, quod unum non sit divisum à quolibet alio entitativè; quia esset unum, & plura; distinctum, & indistinctum. Si localiter, sicut non est impossibile, quod plura entitativè sint unum localiter, seu quod unum entitativè non sit divisum à quolibet alio localiter, ita non est impossibile, quod unum

unum entitativè sit plura, seu non sit unum localiter.

15 Confirmatur hoc; quia benè stat, quod unum sit divisum ab alio entitativè, & indivisum ab illo localiter; ergo benè stat, quod unum sit indivisum in se entitativè, & divisum localiter. Patet consequentia; quia ideò potest unum esse divisum ab alio entitativè, & indivisum ab illo localiter, quia locus est quid extrinsecum respectu illius: sed etiam locus est quid extrinsecum respectu illius, quod est indivisum in se entitativè: ergo quod est indivisum in se entitativè, potest esse divisum localiter.

16 Respondent, negat. consequent. & paritate, quia inquiunt, divisio corporis per ordinem ad extrinseca loca circumscriptiva, infert necessariò divisionem intrinsecam, & entitativam; quia tale corpus esset discontinuum per corpora mediantia non continua cum illo; at vero indivisio duorum corporum in loco extrinseco solum infert, quod prædicta corpora in ordine ad talem locum non se tangat secundum extremitates, quod benè compatitur cum illorum intrinseca, & entitativa divisione.

17 Contra; inter Corpus Christi, ut existens in Cœlo, & ipsum, ut in Eucharistia mediant plura corpora discontinua: sed hoc non facit, quod Corpus Christi sit discontinuum, & divisum à se ipso entitativè; sed tantum, quod prædicta loca sint discontinua, & Corpus Christi localiter, & extrinsecè divisum; ergo licet corpus esset circumscriptivè in pluribus locis, inter quæ intercedant plura corpora discontinua, non faciet, quod corpus sit in se discontinuum, & entitativè distinctum; sed tantùm, quod prædicta loca sint discontinua, & corpus localiter, & extrinsecè distinctum.

18 Aliter prob. concl, ex aliquibus apparitioni-

nibus Christi Domini, & tamen Christus semper est in Cœlo, & ex aliquibus miraculis deductis ex Historiis Ecclesiasticis dicentibus, aliquos Sanctos in pluribus locis simul extitisse; in hoc autem non immoramur; videantur apud Authores, præcipuè apud nostros Mastrium, & Pontium hic.

19 Præcipua tamen probatio conclusionis, quam adducit Scotus loco citat. desumitur à non repugnantia; omne enim, quod non repugnat, cadit sub divinam potentiam; quod autem nostra conclusio non repugnet; non melius ostendi potest; quam ex argumentorum solutione.

20 Argum. igitur: si idem numero corpus quantum esset circumscriptivè in duplici loco, non esset indivisum in se: hoc repugnat: ergo nequit idem corpus esse in duplici loco circumscriptivè. Prob. maj. primò: quia quantitas, ratione cujus esset in uno loco, non esset continua cum quantitate, ratione cujus esset in alio: ergo illæ quantitates essent divisæ; & consequenter corpus esset divisum; nequit enim quantitas alicujus corporis esse divisa, quin ipsum corpus divisum sit. Antecedens patet: quia inter quantitatem, qua esset in uno loco, & quantitatem, qua esset in alio, mediarent aliqua corpora non continua cum prædictis quantitatibus, quo nullum majus signum discontinuationis.

21 Secundò probatur eadem major: quia corpus existens in duplici loco, non terminaretur eadem superficie: ergo quantitas illius esset divisa; nam corpus quantitativè indivisum tantùm unica superficie terminatur. Prob. antec. quia illud corpus posset esse sibi localiter contiguum, sicut & ipsa loca possent esse contigua, & immediata: ergo posset habere verum contactum ad se, sicut illum haberent duo corpora in locis immediatis existentia; sed talis

lis contactus necessario requirit duplicem superficiem, seu duas extremitates, quæ sint simul; illa enim se tangunt, vel sunt continua, quorum extremitates, seu ultimæ superficies sunt simul: ergo corpus existens in duplici loco, non unica, sed duplici superficie terminaretur.

22 Tertiò probatur eadem major: quia extensio partium corporis in ordine ad locum, non continua, sed divisa, necessariò provenit à quantitate non continua, sed divisa: sed corpus existens in duplici loco, haberet extensionem suarum partium in loco, non continuam, sed divisam: ergo corpus existens in duplici loco, esset divisum in quantitate: ac per consequens, &c.

23 Resp. neg. mai. & disting. anteced. primæ prob. quantitas qua esset, in uno loco, non esset continua cum quantitate, qua esset in alio, entitativè, nego; esset enim eadem numero quantitas entitativè, sicut idem numero entitativè corpus, & circa hoc versatur difficultas: non esset continua localiter, concedo: hoc enim nihil aliud est, quàm dicere, quod illa duo loca non essent continua. Similiter distinguuntur consequentia. Deinde videantur quæ diximus pro 2. probatione conclusionis à num. 14.

24 Ad 2. probationem mai. resp. neg. antec. & antecedens probationis: unica enim superficie terminaretur corpus in duplici loco, & sic nullum posset habere contactum ad se ipsum; licèt appareret sensui, quod ibi essent duæ superficies se tangentes, sicut si esset duplex corpus; falleretur tamen sensus, quia in re nullus esset contactus corporis locati, licèt esset contactus corporum locantium. Unde similiter est dicendum, quòd illud corpus, in duplici loco existens, non diceretur, impenetratum cum se ipso entitativè; quia ad hoc erat necessarium, quod

quòd esset entitativè distinctum in illis locis: diceretur tamen localiter impenetratum; quia hoc idem est, ac dicere, quòd esset in duplici loco impenetrato quod nullum est inconveniens.

25 Ad 3. probationem mai. resp. disting: mai. extensio partium corporis, in ordine ad locum, non continua, sed divisa, entitativè, provenit à quantitate non continua, sed divisa entitativè, & similiter extensio non continua, sed divisa localiter, provenit à quantitate, non continua, sed divisa localiter, concedo; extensio non continua, sed divisa localiter, provenit à quantitate non continua, sed divisa entitativè, nego. Disting. etiam min. corpus existens in duplici loco habere extensionem suarum partium in loco, non continuam, sed divisam entitativè, nego: localiter, conc. & neg. conseq. Hæc solutio patet ex dictis. Et deindè, quia extensio partium, quæ provenit à quantitate tamquam effectus illius, est unica, sicut est unica quantitas, quin talis extensio multiplicetur, ut corpus sit in duplici loco; cujus ratio est, quia extensio non est ratio formalis essendi in loco circumscriptivè, sed tantùm ratio fundamentalis; in tali enim extensione fundatur relatio præsentialitatis, seu *ubi* passivum, quæ relatio est ratio formalis essendi in loco, & cùm possit respectus, qui est posterior, multiplicari, quin multiplicetur fundamentum, quod est prius, hinc est, quòd sine multiplicatione extensionis quantitativæ possint multiplicari præsentiæ locales. Quando autem Arist. cap. de Vacuo text. 76. dicit, quòd quantitas est ratio formalis essendi in loco, intelligitur, ut notavit Scotus in 4. dist. 10. quæst. 3. §. *ad primum*, *vers. ad secundum*, litt. C. de ratione formali non proxima, sed remota, & fundamentali; sicut albedo fundamentaliter dicitur ratio formalis essendi simile.

26 Arg.

26 Arg. 2. si corpus esset in duplici adæquato loco circumscriptivè, quilibet locus esset adæquatus, ut supponitur, & non esset adæquatus: hoc implicat: ergo. Prob. 2. pars mai. quia locus adæquatus dicitur, quem locus non excedit; sed in hypothesi corpus excederet quemcumque locum; ergo locus non esset adæquatus. Min. prob. quia tunc corpus esset extra illum locum, quippè non solùm repleret illum, sed etiam alium; ergo excederet corpus quemlibet locum; ac per consequens, &c.

27. Resp. neg. mai. quoad secundam partem, & min. prob. & disting. antec. prob. tunc corpus esset extra illum locum, ita ut simul totum corpus quoad omnes suas partes in illo loco includeretur, concedo; esset extra illum locum, ita ut totum corpus, seu aliqua pars illius non simul includeretur in illo, nego, & nego conseq. Etenim, ut corpus dicatur excedere locum necessariò requiritur, quòd non contineatur totum corpus quoad omnes suas partes in tali loco, quòd nullatenus eveniret in nostro casu; totum enim corpus secundùm omnes suas partes ita includeretur in quolibet loco, ut nulla pars illius daretur, quæ in tali loco non includeretur & quilibet locus nihil aliud contineret præter corpus quoad omnes suas partes, quòd solùm requiritur; ut quilibet locus dicatur adæquatus corpori.

28 Dices contra; esse in loco adæquato circumscriptivè dicit ita à loco circumscribi, ut corpus locatum dicat negationem existendi extra talem locum: sed si corpus esset in duplici loco, necessariò existeret extra quemlibet: ergo nequit idem corpus in duplici loco circumscriptivè constitui. Resp. neg. mai. de ratione enim essendi in loco circumscriptivè solùm est esse in illo divisibiliter, ita ut totum corpus sit in toto loco, & pars corporis in parte loci, per quod differt à modo essendi in loco de-

definitivè. Prædicta autem negatio existendi extra locum adæquatum, est quid consequens naturaliter quemlibet modum essendi in loco, sive circumscriptivè sive definitivè quę quidem negatio non est repugnantia, aliàs corpus existens in uno loco adæquato circumscriptivè, nullatenus posset esse simul in alio loco; tota enim entitas corporis esset intra, & extra quemlibet locum, quod apertè militat contra Mysterium Eucharistiæ. Ex quo solum convincitur, quo naturalitr nequeat unum corpus esse in duplici loco vel circumscriptivè, vel definitivè; non autem convincitur, quod nequeat esse simul supernaturaliter quomodocumque.

29 Arg. 3. si idem corpus posset esse simul in duplici loco, posset etiam esse in infinitis, si darentur: sed hoc arguit infinitam virtutem in corpore locabili, seu immensitatem, quæ nequit alicui creaturæ concedi: ergo. Resp. primò, quòd si constitui in infinitis locis arguit infinitam virtutem, & immensitatem in corpore, non posset idem corpus constitui in locis infinitis, licèt posset in duobus, vel pluribus constitui: neque oppositum facilè probabitur. Respond. 2. neg. min. quia immensitas consistit in hoc, quòd à nullo loco possit circumscribi id, quod est immensum; & etiam in hoc, quòd per unicam præsentiam sit necessariò in omnibus locis, etiam infinitis, si darentur, ita ut hoc exigat ex sua extrinseca natura; in hoc sensu solus Deus dicitur immensus: si autem unum corpus in infinitis locis constitueretur, à quolibet illorum circumscriberetur per presentiam illi correspondentem, & non esset in omnibus per unicam præsentiam; neque exigeret ex sua natura simul esse in illis; unde nullam virtutem infinitam haberet, neque majorem, quàm illa, quæ requiritur ad esse in uno loco, eò vel maximè, quia corpus nihil agit in esse in loco,

sed

sed merè passivè se habet, fundando relationem præsentiæ & illam in se recipiendo; sicut albedo se habet in fundando, & recipiendo relationem similitudinis; unde, sicut non arguit infinitam virtutem in albedine fundare, & recipere infinitas relationes, si darentur infinitæ albedines, ad quas terminaretur; neque majorem virtutem, quàm illa, quæ requiritur ad unam relationem fundandam, & recipiendam; ita non argueret infinitam virtutem, neque majorem, quàm illa, quæ requiritur ad recipiendum unum locum, in corpore, si simul repleret infinita loca, si darentur. Hoc argumentum videtur æquè militare contra existentiam Corporis Christi in pluribus Hostiis Sacramentaliter, seu definitivè: & disparitates, quæ assignantur à contrariis, supra manent impugnatæ.

30 Arg. 4. si corpus esset supernaturaliter in duplici loco, etiam posset esse naturaliter: hoc est impossibile: ergo illud. Prob. seq. quia tunc corpus in quolibet loco posset, sua virtute naturali moveri, & sic acquirere, sua naturali virtute, duas novas præsentias: ergo. Resp. quòd supposito primo miraculo, nullum esset inconveniens, quòd idem corpus se movendo sua naturali virtute acquireret duas novas præsentias; esset tamen inconveniens, quod nullo supposito miraculo, hoc posset naturaliter evenire. Ubi observandum est, quòd licèt duæ præsentiæ de novo acquisitæ non dicerentur acquisitæ miraculosè, semper tamen perseveraret miraculum de conservatione corporis in duplici loco, & hoc miraculo cessante, deficeret una ex illius presentiis naturali virtute corporis acquisitis.

31 Arg. 5. si idem corpus esset circumscriptivè in duplici loco, posset moveri ab uno loco in alium, & ab uno ad alium accedere. Nunc sic: vel expellere se ipsum ab illo loco, ad quem

ac-

accederet vel non? Si primum; ergo esset incompossibile sibi ipsi, quod videtur absurdum. Si secundum: ergo propria virtute amitteret unum ex illis locis, in quibus erat per virtutem supernaturalem, quod similiter absurdum videtur: ergo dicendum est, nullatenus posse idem corpus in duplici loco constitui. Resp. ex Scoto citato pro conclusione, lit. R, quòd in tali casu corpus expelleret se ipsum à loco, ad quem accedit, perseverante virtute conservativa illius in duplici loco: & sic esset incompossibile sibi ipsi localiter non ratione sui, sed ratione plurium locorum sibi incompossibilium. Si autem cessaret virtus conservativa illius in duplici loco, non expelleret se ipsum, sed acquirendo illum locum, ad quem accederet, illum tantùm haberet: vel aliter eveniret juxta dispositionem divinam, quorum neutrum aliquod inconveniens involvit.

32 Arg. 6. nequit aliquid esse simul in pluribus temporibus: ergo neque idem corpus in duplici loco simul. Resp. neg. conseq & paritatem; quia plura tempora, cùm sint essentialiter successivà, nequeunt esse simul: & sic nec aliquid ipsis simul coexistere: at verò plura loca possunt simul coexistere, & sic idem corpus simul illis esse præsens; si autem plura tempora possent simul esse, non solum posset aliquid simul illis coexistere, sed si uni coexisteret, necessariò coexisteret alteri. Hoc argumentum, & alia similia videntur etiam militare contra præsentiam Sacramentalem Christi Domini: unde etiam ab adversariis debent solvi. Pro aliquibus inconvenientibus, quæ solent adduci, & pro majori claritate, venit examinanda sequens

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quomodo formæ convenirent corpori existenti in duplici loco.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum, est, quòd accidentia quoad præsens institutum possunt esse in duplici differentia. Alia sunt essentialiter priora ipso *ubi*, seu præsentia locali, id est, nullatenus à tali præsentia dependentia; & hoc sive producantur per motum in loco determinato; hujusmodi sunt calor, frigus, scientia, ignorantia, mors, vita, & alia similia. Alia sunt vel simul natura cum ipso *ubi*, vel essentialiter posteriora ipsa, id est, in suo esse dependentia à præsentia locali. Hujusmodi sunt, sedere, ambulare, esse sursum, deorsum, distans, propinquum, calefieri, videre, percuti, & alia similia. Nunc Scotus quæst. 2. cit. à lit. H. per tres propositiones nostram quæstionem resolvit.

2 Prima propositio Scoti: *Quæcumque sunt priora essentialiter ipso* ubi, *uniformiter insunt corpori, quamvis habenti diversa* ubi: *nec variabuntur variato ipso* ubi. *Quæ verò essentialiter posteriora sunt ipso* ubi, *vel simul natura cum ipso, variabuntur secundùm varietatem ipsius* ubi. *Hoc patet; quia prius essentialiter non variatur propter variationem posterioris; sed posterius essentialiter benè variatur ad variationem prioris. Quæ etiam sunt simul natura cum alio, variantur cum illo.*

3 Hæc propositio ab omnibus admittitur, quoad secundam partem, scilicet quòd variantur accidentia posteriora *ubi*, vel simul natura cum illo, ad variationem ipsius *ubi*. Unde secundum istam regulam dicendum est, corpus in duplici loco existens posse habere aliquod accidens in uno loco, & non in alio, & similiter in uno loco unum accidens, & in alio aliud accidens oppositum.

4 Quoad

4 Quoad primam verò partem non ab omnibus admittitur supradicta propositio. Probatur tamen ex Scoto; corpus existens in duplici loco est idem numero; ergo omnia, quæ ei conveniunt absolutè, & independenter à loco, debent illi convenire ubicumque sit. Patet consequentia; quia implicatio est, quod aliquid absolutè conveniat alicui, & absolutè non conveniat; ergo omnia, quæ corpori conveniunt absolutè; & independenter à loco, debent illi, ubicumque sit, convenire; aliàs admitteretur implicatio.

5 Confirmatur 1. quia nequit salvari hæc contradictio; *Petrus est albus*: *Petrus non est albus* per hoc, quod Petrus sit Logicus, vel non; ergo nequit salvari contradictio in corpore circa formas, quæ non dependent à loco per hoc, quod corpus sit in hoc, & in illo loco. Prob. conseq. quia ex eo nequit salvari prima contradictio, quia albedo convenit Petro independenter ab eo, quod sit, vel non sit Logicus; sed formæ, quæ conveniunt corpori independenter à loco, conveniunt illi independenter ab eo quod sit in hoc, & illo loco; ergo in corpore circa prædictas formas nequit salvari contradictio per hoc, quod sit in hoc, & illo loco; eo vel maximè, quia ratio recipiendi prædictas formas non est locus, *ubi* seu præsentia localis, sed est ipsa capacitas corporis secundum suum esse absolutum ab *ubi*, seu præsentia locali omninò independens; quæ capacitas eodem modo, & invariata permanet in omnibus locis; ergo si variato loco, variarentur prædictæ formæ, daretur oppositio, seu contradictio secundum eamdem rationem, quòd non est dicendum.

6 Confirmatur 2. & hæc confirmatio stat etiam pro prima parte propositionis; quia licèt possint salvari propositiones contingentes contradictoriæ, v. gr. *Petrus currit*: *Petrus non currit*

rit pro diversis temporibus, nequeunt tamen salvari propositiones necessariò contradictoriæ, v. gr. *Homo est rationalis*: *Homo non est rationalis* pro diversis temporibus: ergo licèt possit salvari contradictio in corpore circa formas dependentes à loco pro diversis locis; non tamen poterit salvari contradictio in corpore circa formas independentes à loco pro diversis locis. Prob. conseq. quia ideò possunt salvari propositiones contradictoriæ contingentes pro diversis temporibus, non tamen propositiones necessariæ contradictoriæ; quia contingentes dependent à tempore, non verò necessariæ: ergo similiter, &c. Hæc ratio, & confirmationes illius evidenter ostendunt; corpus in duplici loco existens, in quocumque necessariò habere omnes formas à loco independentes, seu quod idem est, essentialiter priores *ubi*, quas haberet in alio.

7. Arg. tamen contra 1. humanitas Christi Domini est unita Verbo Divino, tam independenter à loco, quàm quælibet alia forma absoluta est unita subjecto: sed humanitas Christi non est ubicumque est Verbum: ergo non necessariò forma unita corpori independenter à loco est ubicumque est corpus. Resp. disting. maj. humanitas est unita Verbo Divino adæquatè, nego; inadæquatè, concedo; & concessa minori, neg conseq. Etenim natura humana unitur Verbo Divino, non unione adæquata ipsi Verbo Divino, sed inadæquata, eò quod Verbum Divinum est illimitatum, & immensum; at verò formæ absolutæ independentes à loco uniuntur corpori unione adæquata: illud autem; *Ubi est unum, necesse est & alterum*, solum valet quando unio est adæquata, non verò quando est inadæquata.

8 Sed replicant; sicut Verbum Divinum est naturaliter illimitatum, ita corpus quoad esse in loco est illimitatum supernaturaliter; sed pro-

propter illimitationem Verbi naturalem non est necessarium, quòd humanitas illi unita, sit ubicumque sit Verbum: ergo propter illimitationem corporis supernaturalem non est necessarium, quod prædictæ formæ sint ubicumque sit corpus. Resp. neg. conseq. & paritatem, & omissis aliquibus rationibus disparitatis, quæ adduci possunt, hanc unicam proponimus, ad quam omnes aliæ ultimatè debent reduci, & quæ totaliter vim argumenti confringit. Etenim illimitatio Verbi Divini, seu quod idem est immensitas illius necessariò præsupponitur ad unionem naturæ humanæ, & ita talis unio est essentialiter posterior illimitatione, seu immensitate Verbi, qua Verbum est ubique, seu omnem locum necessariò occupat; quapropter talis unio, respectu Verbi, se habet ad modum, quo se habent formæ posteriores *ubi*, respectu corporis, quæ propter hanc posterioritatem, possunt in uno loco, & non in alio inesse corpori; at verò illimitatio supernaturalis corporis, seu quod supernaturaliter sint in pluribus locis, non præsupponitur ad formas, quæ non dependent à loco, seu quæ sunt priores *ubi*, aliàs non priores, sed posteriores *ubi* dicerentur. Unde fit, quod unio humanitatis Verbo Divino dicatur inadæquata; quia respicit Verbum, ut illimitatum, & immensum; unio verò cujuslibet formæ independentis à loco dicatur adæquata respectu corporis, adhuc supernaturaliter illimitati, seu in pluribus locis existentis; quia non respicit corpus, ut illimitatum, sed ut dicit suam entitatem, cui totaliter, & adæquatè unitur forma.

9 Argum. 2. Anima unitur Corpori independenter à loco: sed non necessariò ponitur Anima ubicumque ponitur Corpus: ergo. Prob. min. quia juxta Concilium Trid. sess. 13. cap. 4. Anima Christi Domini non ponitur in Sacramen-

mento ex vi verborum, sed tantùm per concomitantiam: sed hoc denotat, quòd non necessariò, sed tantùm ex convenienti dispositione divina ponitur Anima Christi in Sacramento: ergo non necessariò ponitur Anima ubicumque ponitur Corpus. Confirmaretur: quia Corpus Christi habet extensionem quantitativam in Cœlo, non verò in Sacramento: sed talis extensio non dependet à loco: ergo. Resp. ad argumentum neg. min. & min. prob. quia Concilium non intelligit, hoc solùm provenire ex dispositione divina propter aliquam congruentiam, sed intelligit, talem concomitantiam esse necessariam, licèt non ex vi verborum, ex vi tamen naturalis connexionis, quam habet Corpus cum Anima sibi realiter unita. Ad confirmat. resp. neg. min. extensio enim entitativa est accidens in suo esse dependens à loco; imò sumpta rigorosè, & formaliter prædicta extensio, seu commensuratio localis, est ipsum *ubi*; materialiter autem sumpta, est fundamentum proximum actualiter fundans ipsum *ubi*, & necessariò ipsum concomitans. Unde nihil mirum, quòd varietur ad variationem *ubi*, seu quòd *ubi* varietur ad variationem illius.

10 Arg. 3. Si idem numero corpus supernaturaliter esset Matriti, & Romæ, & Matriti applicaretur ei ignis; v. gr. calor ab igne productus solùm Matriti inhærere prædictos corpori: ergo forma independens à loco, ut est calor, non necessariò ponitur ubicumque ponitur corpus. Antecedens patet; quia agens naturale nequit agere ultra sphæram suæ activitatis: sed sphæra activitatis ignis existentis Matriti est locus Matriti, non verò locus Romæ: ergo calor productus ab illo Matriti, non inhæreret corpori Romæ. Confirmatur: quia nequirit aliquid virtute agentis naturalis habere duas præsentias: ergo calor pro-

ductus ab igne Matriti, nequit habere simul præsentiam Romæ.

11 Respondetur ad argumentum neg. antec. & ad probationem neg. conseq. verum enim est, agens naturale non posse agere ultra sphæram suæ activitatis; & consequenter est verum, ignem non agere, seu non producere calorem, nisi ubi applicatur; & sic in hypothesi ille ignis, qui applicaretur corpori Matriti, solùm Matriti, & non Romæ produceret calorem; tamen ille calor inhæreret corpori Romæ, & Matriti, non virtute agentis naturalis, sed ratione necessariæ concomitantiæ, quam habet calor cùm corpore, cui inhæret; & sic ex vi prioris miraculi de constitutione corporis in duplici loco, perseverante tali miraculo, tenetur Deus replicare præsentiam caloris, sicut est replicata præsentia corporis; cum enim calor sit forma conveniens corpori independenter ab *ubi*, seu quòd idem est, si forma essentialiter prior *ubi*, esset absolutè contradictio, quòd in uno loco inhæreret corpori, & non in alio, ut patet ex nostra ratione, & ex illius confirmationibus: contradictio autem absoluta, nec supernaturaliter potest salvari; quapropter tenetur Deus ex vi prioris miraculi præsentiam caloris replicare.

12 Secunda propositio Scoti: *Sicut passum existens in uno* ubi *reciperet formam à duobus agentibus sibi ibidem approximatis; sic ipsum in duobus locis existens patietur ab eisdem sibi in illis duobus* ubi *approximatis. Et hoc intelligo de passione, quæ est ad formam absolutam* Hæc propositio probatur ab Scoto: quia, ut aliquod subjectum patiatur ab agente recipiendo istam formam, solùm requiritur, quod sit in potentia passiva, & agens habeat formam activam, & fiat debitè approximata, sive in hoc ubi, sive in illo sit approximatio; hoc enim nullam affert differentiam quantum ad actionem, quæ est ad formam

mam absolutam: sed passum positum in duobus *ubi* habet eamdem potentiam passivam ad formam absolutam, & agens habet eamdem potentiam activam, & eodem modo potest esse approximatio, ut est in isto *ubi* sicut in alio: ergo eodem modo pateretur quantum ad omnem formam absolutam à quocumque agente sibi approximato, sive in isto *ubi*, sive in alio, sicut si tantùm esset in uno *ubi*, & ibi esset agens sibi approximatum.

13 Addit tamen Scotus: *Secundùm formam absolutam*; quia duplex potest distingui passio. Alia secundùm formam absolutam, ut quando subjectum recipit calorem, frigiditatem, &c. Alia secundùm formam respectivam, v. gr. si ego sum stans, & deindè sedens, fiet mutatio secundùm formam respectivam; quia magis distat caput à pedibus stando, quàm sedendo. De prima ergo passione loquitur Scotus, non autem de secunda. Advertendum tamen est, quod hoc debet intelligi de formis respectivis à loco dependentibus, seu posterioribus *ubi*, non tamen de formis respectivis, quæ conveniunt subjecto ratione alicujus formæ absolutæ, modo à loco independenti, ut relatio similitudinis, quæ fundatur in subjecto ratione formæ absolutæ caloris, v. gr. de hac enim forma respectiva, & aliis similibus idem videtur dicendum, ac de ipsis formis absolutis.

24 Tertia propositio Scoti: *Sicut corpus in uno* ubi *existens se haberet in ratione activi ad diversa sibi approximata in illo* ubi, *sic ipsum, ut existens in duobus* ubi *se haberet ad eadem sibi in illis* ubi *approximata*. Hæc propositio potest probari sicut præcedens; eadem enim est ratio de potentia activa, ac de passiva, proportionaliter. His propositionibus suppositis, quarum intelligentia valdè ad quæstionis antecedentis intelligentiam conducunt, aliqua quæ contra ibi dicta, tanquam inconvenientia obji-

X 2 ciun-

ciuntur, haud difficili via profligantur:

15 Arguunt igitur: Si idem numero corpus posset simul esse in duplici loco circumscriptivè, sequeretur primò, posse simul esse sursum, & deorsum. Secundò; posse simul ambulare, & quiescere. Tertiò, in uno loco infirmari propter aeris intemperiem, & in alio habere sanitatem. Quartò, in uno loco occidi, & sic esse mortuum, & in alio non occidi, & sic esse vivum. Quinto, in uno loco intensè calefieri ab igne approximato, & in alio intense frigefieri à nive approximata. Sexto, in uno loco videre, quia adesset objectum præsens, & in alio non videre, quia non adesset tale objectum, & si objectum esset turpe, posset peccare in illo loco, & in alio non peccare, & sic esse simul in peccato mortali, & in gratia Dei. Septimò, posse parvum ignem mille ligna simul comburere, si poneretur in mille locis, & in quolibet unum lignum applicaretur. Octavò, posse eumdem hominem constituere unum exercitum, si in pluribus locis ordine militari poneretur. Nonò, posse eumdem hominem loqui, & tacere simul. Decimò, posse simul disputare, & non disputare. Undecimò, posse eumdem numero panem in uno loco manducari ab homine, & in alio à cane, & si eadem materia panis informaretur simul forma hominis, & forma canis, quippe tam homo, quàm canis posset convertere illum panem in suam substantiam: hæc omnia, & alia quamplura similia sunt absurda, imò aliqua contradictoria: ergo nequit idem corpus simul in duplici, aut pluribus locis supernaturaliter constitui.

16 Resp. ad 1. concedendo, corpus posse esse sursum in uno loco, & deorsum in alio, juxta secundam partem secundæ propositionis; nam esse sursum, & deorsum sunt accidentia essentialiter posteriora *ubi*; quæ ad variationem *ubi* variari possunt. Propter eandem ratio-

tionem similiter respondetur ad 2. posse simul ambulare, & quiescere in diversis locis. Ad 3. resp. quòd in tali casu intemperies, & temperies utriusque aeris idem causarent in corpore existente in pluribus locis, quod causarent in illo existente in uno loco, si simul illi applicarentur, juxta secundam, & tertiam propositionem Scoti.

17 Ad 4. resp. quòd occisio dupliciter potest sumi; vel pro vulneratione, seu actione vulnerativa, vel pro effectu ex ea secuto, scilicet pro vulnere, quod consistit in discontinuatione partium; vel pro morte, quæ consistit in separatione animæ à corpore. In primo sensu benè posset idem corpus in uno loco vulnerari, & non in alio, juxta primæ propositionis secundam partem; actio enim vulnerativa est accidens essentialiter posterius *ubi*; in primo verò sensu; quatenus, scilicet, occisio dicit vulnus, seu mortem, in quocumque loco necessariò inveniretur occisio, juxta primam partem primæ propositionis, ut sic enim est essentialiter prior *ubi*, & ab illo totaliter independens.

18 Ad 5. resp. quòd in tali casu eodem modo se haberet corpus in duplici loco, ac si in uno loco simul ignis, & nix illi applicarentur, juxta secundam propositionem; tunc enim aliquid frigoris, & aliquid caloris reciperet, non tamen calorem, & frigus in gradibus intensis; quia ignis, & nix ad invicem impedirentur in suis actionibus circa idem subjectum.

16 Ad 6. resp. posse eumdem hominem in uno loco videre, & non in altero; quia cùm visio sit intuitiva, necessariò dependet à loco ubi est præsens objectum. Ad illud de objecto turpi respond. neg. posse in uno loco peccare, & non in alio; peccatum enim proveniens ab objecto turpi est consensus in delectatione, qui consensus, cùm sit actus voluntatis, est essentialiter prior *ubi*, & totaliter in suo esse à loco

independens; & sic vel in utroque, vel in nullo loco peccaret, licèt motivum ad peccatum tantùm esset in uno loco. Ad 7. resp. quòd in hypothesi idem contingeret, ac si omnia prædicta ligna penetrata applicarentur igni in eodem loco existenti, quod omnes concedunt esse possibile; sicut enim tunc vel non combureret omnia, sed aliquod illorum, vel omnia remissè calefaceret propter omnium resistentiam, & ejus modicam virtutem, idem eveniret in casu argumenti, juxta tertiam propositionem; quippe non augeretur virtus ignis ex eo, quòd constitueretur in pluribus locis.

20 Ad 8. resp. concedendo, quòd idem homo posset exercitum constituere modo ibi dicto; sed tunc, cùm non haberet majorem virtutem activam, juxta tertiam propositionem, non majori fortitudine, quàm si in uno tantùm loco esset, pugnaret. Ad 9. resp. quòd loqui, vel accipitur mentaliter pro formatione conceptus, vel vocaliter pro motu linguæ in aere formato. In primo sensu non posset idem homo in uno loco tacere, & in alio loqui, benè tamen in secundo sensu; locutio enim in primo sensu non dependet, loco, dependet tamen in secundo. Similiter resp. ad 10. eadem enim est ratio, juxta primam propositionem.

21 Ad 11. resp. quòd in hypothesi idem contingeret, ac si homo, & canis penetrarentur, & illum panem manducarent; sicut enim tunc dicendum esset, vel quòd totus panis converteretur in substantiam unius, vel alterius; vel quòd aliqua pars illius panis, major, vel minor, converteretur in substantiam unius, & altera pars, major, vel minor, in substantiam alterius, juxta majorem, vel minorem activitatem unius, & alterius agentis, ita similiter in nostro casu eveniret; non enim est major, vel minor virtus activa, vel passiva alicujus, per hoc, quòd sit in uno, vel in pluribus locis, juxta se-

secundam, & tertiam propositionem. En quo modo nullum sequitur inconveniens ex eo, quòd unum corpus in pluribus locis circumscriptivè constituatur: licèt enim prædicta contradictoria nequeant de eodem secundùm eamdem rationem verificari, benè tamen secundùm diversas rationes; & hoc contingit iu formis posterioribus *ubi*, seu à loco dependentibus. Alia similia inconvenientia solent adduci, quæ eodem modo, ac præcedentes, ex supposita doctrina facilis sunt solutionis.

22 Hic solet dubitari, per quam actionem corpus existens in uno loco simul poneretur in alio? Hoc dubium latè exagitatur in Theologia loquendo de Eucharistiæ Sacramento. Nunc tamen breviter respondetur, hoc non fieri à Deo per actionem reproductivam ipsius corporis, ut aliqui voluerunt, sed per actionem adductivam, quæ est productiva *ubi* de novo, ut communius tenent Theologi, & Philosophi. Probatur: quia nequit aliquid, quod est productum iterum reproduci, quin prius destruatur: ergo nequit corpus realiter existens in uno loco, simul in altero reproduci. Prob. anteced. quia productio rei, cùm sit positio illius in esse, & existentia, necessariò supponit suum non esse immediatum, seu suum non existere: sed quod est productum, non dicit non esse, seu non existere, quin destruatur: ergo neque potest iterum produci, quin destruatur prius: sed ut ponatur in secundo loco non destruitur in priori: ergo non ponitur in secundo loco per actionem productivam ipsius: ergo per aliam actionem; hæc nequit esse alia, nisi actio adductiva, seu productiva ipsius secundi *ubi*, seu præsentiæ localis; ergo per istam ponitur. Aliquæ responsiones ad hanc rationem, & aliqua argumenta contra illam adducunt adversarii, quæ loquendo de Eucharistia in Theologia, examinantur, & quas in præsenti non pro-

ponimus, quia non licet in omnibus immorari: videantur, si placet apud Mastrium in Physica disp. 11. q. 9. & Poncium in Physica disp. 15. quæst. 5.

DISP. II.

De Vacuo.

VAcuum opponitur loco, ideòque ad majorem loci intelligentiam, aliqua de vacuo breviter attingemus.

QUÆSTIO I.

An detur, vel possit dari vacuum per aliquam potentiam?

1 DUpliciter potest intelligi vacuum, negativè scilicet, & privativè. Negativè dicitur vacuum, quod neque continet, neque potest continere aliquod corpus, quia est purum nihil. In hoc sensu dicitur vacuum spatium imaginariū, quod apprehendimus, seu imaginamur esse suprà Cœlum, cùm ibi nihil sit. Privativè dicitur vacuum, quòd licèt actualiter aliquod corpus non contineat, potest tamen illud continere; in quo sensu illud definivit Arist. cap. 8. hujus lib. his verbis: *Est locus non repletus corpore, aptus tamen repleri*, in qua ly *locus* ponitur loco generis, in quo convenit vacuum cum aliis locis; differt tamen per hoc à vacuo negativo, quod cùm sit purum nihil, non dicit aliquid positivum aptum continere aliud sicut dicit vacuum privativum. Cæteræ particulæ ponuntur loco differentiæ; differt enim per illas à loco actualiter repleto.

4 Hic est advertendum (ut in simili diximus de loco) quòd vacuum est quoddam concretum accidentale dicens pro materiali ultimam su-

per-

perficiem corporis apti continere corpus, & pro formali privationem talis continentiæ. Unde illa definitio Arist. datur per materiale, scilicet pro loco, qui est subjectum in tali concreto; communiter enim concreta accidentalia per subjecta definiuntur; per formam autem sic potest vacuum definiri: *Est carentia continentiæ in loco apto continere corpus*. Quæ definitio ex ipsis verbis constat. Nunc-

3 Dicimus 1. neque naturaliter datur vacuum privativum, nec potest dari per aliquam virtutem creatam, sive corpoream, sive spiritualem. Conclusio est communis, & probatur. Tum aliquibus mirabilibus experientiis; quæ communiter contingunt in rerum natura ad vitandum vacuum; si enim latera folium sint complicata, & orificium occlusum, nisi tale orificium aperiatur, ut ingrediatur aer ad replendum vacuum, quod daretur inter folium latera, si non ingrederetur, nullatenus aliqua vi naturali elevari posſunt. Deinde, pluries videmus aquam surſum aſcendere contra suam peculiarem naturalem inclinationem ad replendum spatium, quod aer sibi contiguus occupabat, cùm à fistula attrahitur, ne tale spatium vacuum remaneat. Hæc & similes experientiæ sufficienter denotant, non solùm non dari vacuum in rerum natura, sed etiam nullatenus juxta rerum naturalium ordinem posse dari.

4 Ratio autem desumitur ex eo, quod juxta rerum ordinem omnia corpora ad sui conservationem exigunt contiguitatem inter se: sed nequit dari aliquod particulare, quod possit ordinem communem invertere; ergo per nullam naturalem potentiam potest vacuum in rerum natura induci. Confirmatur; quia universum solùm potest immutari ab illo, cui est subjectum; sed universum non est subjectum agentibus creatis, adhuc spiritualibus, ut patet

ex illo ad Hæbreos 2. *Angelis non subjecit Deus orbem terræ*; ergo per nullam virtutem creatam, adhuc spiritualem, potest universum inverti; & consequenter neque dari vacuum in rerum natura.

5 Pro majori claritate aliqua veniunt advertenda. Primò, quod motus, quo aqua ascendit sursum ad replendum vacuum, & potest dici illi violentus, quia est contra naturalem inclinationem descendendi, quam habet secundum propriam naturam; & potest dici illi naturalis, quatenus, ut est pars universi, inclinatur in bonum commune, quod sequitur ex tali assensu ad replendum spatium, ne detur vacuum; ex quo, ut advertit Scotus in 4. dist. 49. quæst. 14. § *ad illud quod obiicitur*, *vers. Ad primum dico*, ante litt. L. dicendum est, prædictum motum esse simpliciter naturalem aquæ, & tantùm secundùm quid violentum; nam quando in aliquo sunt duæ potentiæ ordinatæ, naturalitas potentiæ superioris magis debet attendi, quàm naturalitas potentiæ inferioris; & superior est potentia, quàm dicit aqua, ut est pars universi, ad sursum ascendere, ne detur vacuum; hæc enim potentia respicit bonum commune, quàm potentia, quàm dicit ex sua peculiari natura ad descendere deorsum; hæc enim potentia tantùm respicit bonum particulare.

6 Secundò, prædictum motum habere duplicem causam efficientem subordinatam, quarum una dicitur proxima, altera remota. Proxima est totum universum, seu virtus regitiva, quam habet, & qua naturaliter inclinatur ad conservandam contiguitatem suarum partium, tanquam in proprium bonum, licèt sit contra naturalem inclinationem particularem alicujus partis. Remota est agens, quod extrahit primum corpus à suo loco; ut cùm aliquis absorbet aerem fistulæ attingentis per oppositum ori-

orificium aquam, & sic aqua per fistulam ascendit; tunc absovens aerem dicitur causa remota ascensu aquæ; quia dum immediatè attrahit aerem (supposita conservatione contiguitatis aeris cum aqua ab universo, seu à virtute regitiva illius, tanquam à causa proxima, proveniente) mediatè attrahit aquam; sicut qui immediatè attrahit unam partem continui, mediatè saltim attrahit alias ratione continuitatis.

7 Arg. 1. aliquibus experientiis: si ponatur vas plenum aqua ex omni parte occlusum!, & congeletur aqua, necessario in medio vasis remanebit aliquod vacuum, cùm non possit ingredi aer ad illud replendum. Deindè, si ponantur duæ tabulæ, perfectè planæ, perfectè conjunctæ, & æqualiter una ab alia separetur, necessariò pro aliquo instanti dabitur vacuum in aliquo spatio mediante inter illas, cùm nequeat aer in eodem instanti occupare totum illud spatium: ergo jam potest naturaliter dari vacuum.

8. Resp. ad 1. prædictum vas necessario esset rumpendum, vel per debiliorem partem, vel si partes sint æquales in fortitudine, per aliquam partem determinatam ab Authore naturæ ne detur vacuum in rerum natura, & hoc potiùs quam oppositum, constat experientia. Ad 2. resp. non posse prædictas tabulas naturaliter simul secundùm omnes partes separari, sed tantùm successivè secundum aliam, & aliam partem, ut etiam successivè aer ingredi possit ad replendum spatium, ne detur vacuum.

9 Arg. 2. si non daretur vacuum, non possent corpora moveri, quin penetrarentur, quod naturaliter evenire nequit, ergo datur vacuum. Resp. neg. primam partem antecedentis: sufficit enim, ut corpora possint moveri, quod partes aeris, propter suam nimiam raritatem, cedant aliis corporibus; & ut plura corpora de

novo adveniant, & moveantur, etiam sufficit, quod partes aeris condensentur; possunt enim plurimum condensari, eò quod rarissimæ sint.

10 Argum. 3. virtus Angeli sufficit ad impediendum motum aquæ ascendentis ad replendum vacuum: ergo per virtutem Angelicam potest dari vacuum. Prob. antec. quia corpora subiiciuntur Angelis in ordine ad motus locales: ergo. Respon. neg. antec. & disting. antec: prob. corpora subiiciuntur Angelis in ordine ad motus locales tendentes in bonum particulare, concedo; tendentes in bonum universi, nego, juxta superius dicta, & neg. conseq.

11 Dicimus 2. supernaturaliter potest dari vacuum. Conclusio etiam est communis, & patet ex eo, quod nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus possit destruere aliquod elementum absque eo, quod in spatio illius aliud corpus constituat; & similiter non apparet repugnantia in eo, quod Deus possit destruere omnia corpora sublunaria; in quocumque enim casu daretur vacuum privativum, de quo loquimur. Et quæcumque alia, ex quibus sequeretur vacuum: possunt à Deo, ut supernaturali agente; cui omnia non repugnantia subiiciuntur efficere.

12 Dubitabis; an possit creari aliqua virtus potens causare vacuum. Resp. affirmativè; quia virtus universi ad conservanda corpora contigua, est finita, & limitata: sed non repugnat, posse à Deo creari aliquam majorem virtutem; ergo. Neque apparet, quid contra hoc possit obiici. Unde videtur dicendum, non constare evidenter, quod Angeli non habeant prædictam virtutem; nam illud Pauli solum denotat, Deum non subjecisse Angelis orbem terræ, ad quod est sufficiens (licèt habeant virtutem supradictam) quod talis virtus quoad hoc sit à Deo impedita. Si autem Angelis inesset ta-

lis virtus, & permitteret Deus, quod aliquando in executione poneretur, tunc talis executio esset miraculosa, & quia non esset asſueta, & quia esset extra communem, & ordinariam dispoſinem Authoris naturæ.

QUÆSTIO II.

An; & quomodo moverentur corpora per vacuum, si daretur?

1 PRo primo, quod inquirit quæstio, dicimus primò: per vacuum negativum licèt motu progreſſivo poſsent animalia à principio intrinſeco moveri; & ſimiliter projecta motu neutro; tamen gravia, & levia non poſſent moveri motu naturali ſurſum, vel deorſum, juxta ſuas naturas. Concluſio ferè ab omnibus admittitur. Quoad motum progreſſivum animalis patet; quia, licet in illo vacuo, cùm ſit purum nihil, non ſint aliquæ differentiæ ſurſum, & deorſum, hoc non obſtat motui progreſſivo animalium; talis enim motus non determinatur à tali poſitione, ſed à ſuo appetitu, & imaginatione, ſicut ſimiliter determinatur, dum moventur in pleno. Advertendum tamen eſt, quod in hypotheſi, animalia nihilo niterentur, quod non obſtat, quia ſolùm indigent aliquo niti, dum exercent motum progreſſivum; quando ſunt capacia motus deorſum, in quem, propter ſuam gravitatem, inclinantur; at in noſtro caſu non eſsent capacia talis motus, ut dicetur infrà.

2 Quod autem projecta moverentur patet; quia verè poſsent recipere impulſum à proiiciente; eſset tamen talis motus neuter; quia in tali vacuo non eſset ſurſum, vel deorſum, in quæ naturaliter poſsent moveri. Ex hoc patet, quod gravia, & levia non poſsent moveri motu naturali, & debito naturæ ipſorum, gravia enim na-

naturaliter petunt deorſum, & levia ſurſum; ſurſum autem, & deorſum non eſſent in tali vacuo.

3 Ubi advertendum eſt, quod motus per tale vacuum non eſſet acquiſitivus alicujus *ubi*, ſeu præſentiæ localis, nec proxime; quia non adeſſet aliquod corpus proximè continens id, quod moveretur; nec remotè; quia nulla daretur diſtantia ad aliquos polos fixos, nec approximatio, cùm tales poli non adeſſent; ſolùm enim poteſt dici, quod eſſet acquiſitivus alicujus *ubi* imaginarii, quod in re nihil eſſet; quapropter aliqui dixerunt, talem motum non eſſe dicendum localem poſitivum, ſed tantùm negativum, licèt in re verè eſſet motus, & ex parte moventis æquivaleret motui locali poſitivo.

4 Dicimus 2. per vacuum privativum non ſolùm poſſent moveri animalia motu progreſſivo, & projecta, ſed etiam gravia, & levia ſuis motibus naturalibus; Concluſio etiam ferè ab omnibus admittitur; & quoad primam, & ſecundam partem patet ex dictis; quoad tertiam verò etiam patet ex eo, quod in tali vacuo verè eſſent centrum, ſurſum, & deorſum, quæ ad motum naturalem gravium, & levium prærequiruntur.

5 Advertendum tamen eſt, quod motus projectorum per prædictum vacuum non eſſet neuter, ſed naturalis, vel violentus, ſicut modo eſt, quando moventur per plenum; tunc enim ſicut nunc, eſſet ſurſum, & deorſum. Similiter eſt advertendum, quod ut animalia in prædicto vacuo motu progreſſivo moverentur, deberent naturaliter niſi ſuperficie terræ, aliàs deorſum deſcenderent, cum eſſent gravia, ſicut modo; ſi autem conſtituerentur à Deo in medio vacui, ut poſſent motum progreſſivum exercere, neceſſarium eſſet, quod Deus ſupernaturaliter impediret motum deorſum,

in

in quem sua naturali gravitate inclinarentur.

6 Advertendum est etiam, quod si daretur tale vacuum ex, eo quod Deus destrueret aliquod elementum, omnia alia corpora sublunaria naturaliter moverentur versus Cœlum, quia cùm ad suam conservationem naturaliter indigeant cœlestibus influentiis, quas naturaliter nequeunt recipere, nisi supposita contiguitate omnium corporum inter se; & cum Cœlo, naturaliter peterent istam contiguitatem. Ultimò est advertendum, quod licet illa, quæ moverentur, non acquirerent per motum aliquod *ubi*, seu præsentiam localem proximam, eò quod non esset aliquod corpus proximè illa continens; acquirerent tamen aliquod *ubi*, seu præsentiam localem remotam, quæ consisteret in relatione distantiæ, vel approximationis ad polos fixos, quos supponimus dari in tali vacuo; quapropter dixerunt aliqui, talem motum posse dici positivè localem, eò quod per illum dependeretur aliqua relatio talis approximationis, vel distantiæ, & aliqua de novo acquireretur.

7 Oppositum tenet Pererius, & sic arguit. Primò: motus sublunaris dependet à cœlestibus influentiis: sed influentiæ cœlestes nequeunt transmitti per vacuum: ergo. Secundò: motus localis est transitus de uno loco in alium: in vacuo non est locus: ergo nec motus localis. Sed facilè respond. ad primum disting. maj. est enim vera juxta ordinem naturæ; falsa autem ex suppositione miraculi de conservando corpus in vacuo; tunc enim, cùm in corpore sit natura, & inclinatio intrinseca ad motum sursum, vel deorsum, non est cur non possit moveri: Ad secundum resp. disting. maj. motus localis per plenum est transitus de uno loco in alium, concedo; motus localis per vacuum privativum (de hoc loquitur Pererius) est transitus

de

de uno loco proximo in alium proximum, nego; de uno loco in alium æquivalenter, & remotè, juxta superiùs dicta, concedo. Disting. etiam min. in vacuo non est locus proximus concedo; remotus; nego, & nego consequentiam, ut constat ex num. antec.

8 Dicimus 3. motus per vacuum esset successivum. Conclusio est communis inter Scotistas, & Thomistas citantes suos Angelicum, & Marianum Præceptores. Probatur: quia causæ successionis motus, non solùm sunt corpora media resistentia, sed etiam ipsa distantia medii: sed in vacuo, licèt non adessent corpora media resistentia, adesset tamen distantia: ergo esset motus successivus ex hoc capite.

9 Et confirmatur communiter hoc exemplo: quia si in vacuo constitueretur à Deo magna columna, & corpus palmare, v. g. moveretur à principio illius usque ad finem, talis motus esset successivus: quia prius esset juxta aliquas partes columnæ, & posterius juxta alias; impossibile enim apparet, simul esse juxta omnes partes columnæ; nisi hoc supernaturaliter eveniret, de quo non est sermo: ergo motus per vacuum esset successivus.

10 Aliqui oppositum tenentes, arguunt 1. Si motus corporis per vacuum esset successivus, posset dari motus per plenum, qui non majus tempus consumeret, quàm motus per vacuum: hoc non est dicendum: ergo. Major probatur; quia motus per plenum plus, vel minus temporis consumit, juxta grossitiem, vel subtilitatem corporis medii: sed corpus medium potest esse ita subtile, ut corpus possit moveri, tam brevi tempore, quàm per vacuum: ergo. Respond. neg. maj. & min. prob. Etenim, cùm successio motus non solùm desumatur à corpore medio resistente, sed etiam à distantia, semper motus esset successivus; sed posito in medio quocumque corpore, quamvis subtilissimo, plus

plus temporis consumeret motus, quàm si fieret per vacuum; quia aliquid, licèt parum, resisteret corpus subtile, & sic magis retardaret motum illa virtus resistiva, quæ in vacuo deficeret, & ita motus esset velocior.

11 Arg. 2. In vacuo nulla datur distantia positiva: ergo nequit retardare motum. Confirmatur: quia lux Solis in instanti diffunditur per longam distantiam, eò quòd nullam invenit positivam resistentiam: ergo per vacuum fiet motus in instanti, eò quòd nullam resistentiam positivam inveniat.

12 Resp. neg. conseq. quia ut motus sit successivus ratione distantiæ extremorum, nihil facit, quòd illa distantia sit positiva, vel privativa; maximè, cùm distantia non dicatur retardare motum positivè, seu per positivam resistentiam, sed solùm privativè, quatenus, scilicet, cùm major sit distantia, quàm mobile, nequit mobile simul occupare totam illam distantiam, sed successivè, nunc occupando partem distantiæ sibi correspondentem, & postea aliam. Unde nequit distantia dici causa realiter efficiens prædictam successionem motus, sed tantùm id, cui nequit mobile, nisi successivè commensurari; quapropter nequit motus fieri à sua causa effectiva, nisi successivè. Quòd idem contingit in motu, qui fit per plenum, in quo; licèt successio, quæ provenit à corpore medio, dicatur provenire à virtute positiva resistente; tamen successio, quæ provenit à distantia, solùm dicitur provenire à repugnantia simultaneæ commensurationis corporis mobilis cum omnibus partibus distantiæ.

13 Ad confirmationem respond. neg. conseq. & paritatem quia retardatio lucis solùm posset provenire à qualitate contraria resistente, & cùm lux nullam habeat qualitatem contrariam, benè potest in unico instanti

ti per longam distantiam diffundi; at verò retardatio motus non solùm provenit à positiva resistentia corporis medii, sed etiam à distantia, ut dictum est; unde adhuc motus retardabitur ratione distantiæ, licèt resistentia positiva corporis medii deficiat.

DISP. III.

De Tempore.

A Decimo cap. hujus lib. egit Arist. de tempore, quod est mensura motus; & licèt nihil notiùs, quàm tempus existere sit; nihil etiam est difficiliùs explicari; ut benè notavit D.Aug. lib. 11. confessionum cap. 14. his verbis: *Nihil notiùs, quàm tempus esse; nihil verò cognitu difficilius, quàm quid sit?* Et prosequitur; *Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicari velim, nescio.* Magnam ergo difficultatem involvit temporis naturam penitùs explicare; quapropter brevitate possibili, aliquam temporis notitiam pro nostro captu communiorem doctrinam sectantes, proponemus.

QUÆSTIO I.

Quid sit tempus? Et quomodo distinguatur à motu?

1 ARist. hìc his verbis tempus definivit: *Tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius.* Quæ definitio ab omnibus Philosophis admittitur, & stat pro prima parte conclusionis. Ad cujus explicationem aliqua prænotanda sunt. Primò, primam particulam illius, scilicet, *numerus* esse æquivocam, eò quòd numerus, vel sumitur activè, pro illo, scilicet, quo numeramus, & dicitur numerus nu-

numerans; hujusmodi est, formaliter loquendo, actus intellectus, quo aliquid numeramus; materialiter verò est numerus vinarius, vel denarius, &c. quem apprehendimus abstractum à rebus, & quem rebus quas intendimus numerare, applicamus. Vel sumitur passivè, pro illo, scilicet, quod numeramus, & dicitur numerus numeratus, in hoc sensu ipsæ res, quas numeramus, dicuntur numerus. Hinc ortum est dubium inter Authores, in quo sensu intelligatur numerus in definitione temporis? Eò quòd Arist. jam videtur loqui in primo, jam in secundo sensu; quod dubium haud difficilè resolvitur.

2 Prænotando 2. cum Scoto hic quæst. 17. numerum, vel esse purè numerantem, ut est formaliter actus intellectus, & materialiter numerus præscindens à qualibet re, & solùm habens esse objectivè in tali actu intellectus, ut numerus vinarius, denarius, &c. præcisè ab intellectu conceptus. Vel esse purè numeratum, ut sunt plures res numeratæ, & amplius ad aliquid numerandum non deservientes. Vel esse mixtum, hoc est, neque purè numerans, neque purè numeratus, ita ut non solùm numeretur, sed ampliùs deserviat ad aliquid aliud numerandum; ut est numerus fabarum, v. g. qui non solùm numeratur, sed etiam deservit ad suffragia numeranda.

3 Nunc, dicit Scotus cit. quòd ly *numerus* non intelligitur in definitione temporis de numero purè numerante, neque de numero purè numerato, benè tamen de numero mixto. Cumquo facilè aliquæ authoritates Arist. conciliantur. Sed adhuc pro majori claritate

4 Prænotandum est 3. Numerum in præsenti accipi ab Aristot. pro mensura, quæ rigorosè loquendo non est numerus; hic enim est quantitas discreta, illa verò quantitas continua; dicitur autem tempus, qui est mensura motus,

nu-

numerus, potiùs, quàm quælibet alia mensura; quia communiter cæteræ mensuræ non multiplicantur, per unicam enim ulnam pluries repetitam, v.g. certificamur de magnitudine padni; at verò mensura motus, ut est tempus, multiplicatur, non enim per unam horam, v.g. pluries repetitam, certificamur de duratione, seu magnitudine motus, sed per plures horas; quasi enim discatur tempus in plures horas, & quasi discontinuatur tempus in plures horas, ut de magnitudine, seu duratione motus certificemur. Unde horæ, ut numerantur, dicuntur numerus numeratus, & quatenus deserviunt ad numerandas partes motus, dicuntur numerus numerans.

5 Prænotandum est 4. quòd illa particula *motus* debet primariò, & per se intelligi de motu formaliter sumpto, quatenus, scilicet, dicit illam moram, seu durationem succesivam, quæ in fieri alicujus rei consumitur; secundariò verò, & quasi per accidens etiam potest intelligi de motu materialiter sumpto, quatenus scilicet, dicit ipsam formam, quæ in suo fieri dicitur, seu denominatur fluens ab ipso motu formaliter sumpto. Quòd patet à simili; quantitas enim permanens mensuratur per se, & primario mensura permanenti; secundariò autem, & quasi per accidens mensuratur substantia, quatenus est subjectum talis quantitatis permanentis: sic similiter motus formaliter, qui est species quantitatis succesivæ primo, & per se mensuratur tempore, quòd est mensura succesiva; secundariò verò, & quasi per accidens mensuratur motus materialiter semptus, quatenus est subjectum ipsius motus formaliter sumpti.

6 Prænotandum est 5. quòd illa particula *secundùm prius, & posterius* ponitur ad denotandum quòd non omnis mensura, seu numerus motus est tempus, sed tantùm illa mensura, seu numerus, quæ mensurat, seu numerat mo-

motum, ut habet partes priores, & posteriores; si enim aliter motus numeretur, v.gr. *Motus sunt duo: partes motus sunt tres, &c.* Talis numerus non dicitur tempus.

7 Nunc non erit difficile, supradictam definitionem intelligere. Dicitur enim *numerus*, in quo quatenus idem est, ac mensura, cùm aliis mensuris convenit, & ponitur loco generis; ut autem dicit mensuram, quæ est numerus modo dicto n. 4. differt à cæteris mensuris. Dicitur *motus*, & intelligitur modo dict. num. 5. per quòd differt tempus à mensura, quæ licèt sit numerus modo dicto de tempore, non mensurat aliquid successivum, ut est motus, sed aliquid permanens; hujusmodi mensura est numerus gradium Cœli, quo leucæ, quæ sunt in spatio terræ, vel maris mensurantur. Dicitur *secundùm prius, & posterius*, per quod differt à mensura, qua non mensurantur partes motus, ut successivæ sunt, sed tantùm mensuratur motus dicendo, v.g. *Hi sunt duo motus; tres motus, &c. Sunt duæ partes motus; tres partes, &c.* Constat ergo bonitas definitionis; sic enim explicata communiter admittitur.

8 Est tamen dubium inter Authores, an prædicta definitio sit essentialis, vel descriptiva? Cujus resolutio pendet ex alterius dubii resolutione; quid scilicet dicat tempus pro formali? Qui enim dicunt, tempus pro formali dicere rationem durationis successivæ, rationem verò mensuræ dicere secundariò, seu tamquam propriam passionem, consequenter asserunt, prædictam definitionem traditam per numerum, seu mensuram esse descriptivam. Nos autem, qui cum Scoto in 4. dist. 48. quæst. 2. §. *Ad quæstionem, vers. Ad primum*, litt. H. asserimus, rationem formalem, seu essentialem temporis stare in ratione mensuræ, seu numeri; durationem verò successivam tantùm esse rationem materialem temporis; consequenter

tenemus, prædictam definitionem esse quidditativam, & essentialem. Quod deducitur etiam ex Arist. qui tempus non per rationem durationis successivæ, sed per rationem numeri, seu mensuræ definivit; quod non faceret, si sentiret, durationem successivam esse essentiam, seu rationem formalem temporis; nam talem successionem cognovit Arist. & quando essentia rei cognoscitur, per essentiam, & non per passionem, res definitur. Deindè, secundùm ipsum Arist. hoc tempus non est idem essentialiter cum motu; & certum est, ut omnes fatentur, motum formaliter sumptum dicere prædictam successivam durationem; & sic tempus nequit in illa formaliter, & essentialit consistere, sed in alio extra essentiam, seu rationem formalem talis durationis; quod nihil aliud potest esse, nisi ratio mensuræ, seu numeri: stat ergo in tali mensura, seu numero, ratio formalis, & essentialis temporis: ac per consequens est essentialis; & quidditativa prædicta definitio.

9 Notandum tamen est, quod numerus, vel mensura potest dupliciter sumi; vel actualiter, quatenus actu mensurat motum, & in hoc sensu consistit in denominatione extrinseca proveniente ab actu intellectus numerante; & ut sic erit tempus ens reale intentionale: vel aptitudinaliter, quatenus ipsi successiva duratio motus apta est assumi ab intellectu ut numerus mensurans motum; & ut sic est tempus ens reale absolutè, ut ex se patet cum quo respondetur ad quoddam dubium, an scilicet, tempus sit ens reale? Hoc notato, scire oportet, quod tempus pro formali non dicit actualem numerum, seu mensuram, sed tantùm aptitudinalem, daretur enim tempus, data suceessiva duratione apta motum mensurare, licèt nullus esset motus actualiter numeratus.

10 Hic dubitatur, in quo motu tempus inveniа-

niatur? Quod idem est; ac inquirere, qui motus propter suam successivam durationem sit aptus assumi ab intellectu tanquam numerus ad alios motus numerandos; Communiter respondetur, hoc inveniri, & in motu primi mobilis, ratione cujus Sol facit dies, & noctes; & in motu proprio ipsius Solis, ratione cujus Sol constituit annos; & in motu Lunæ, ratione cujus Luna constituit menses; quibus motibus communiter utimur ad motus sublunares mensurandos. Ratio est, quia ut aliquid accipiatur pro mensura, debet esse notior mensurato: sed certum est, prædictos motus, propter suam regularem uniformitatem, esse notiores motibus sublunaribus: ergo prædicti motus habent in se rationem mensuræ respectu sublunarium: & consequenter rationem temporis.

11 Potest etiam responderi, quòd etiam aliqui motus sublunares possunt assumi ut mensura ad alios motus mensurandos, si duratio illorum sit benè nota: ut patet in motu horologii, qui communiter assumitur ad alios motus mensurandos; quod idem contingere potest in aliis regularibus motibus; & sic possunt motus sublunares rationem temporis habere. Ubi advertendum est, quòd ratio mensuræ, & temporis primò, & per se convenit motibus cœlestibus supradictis motibus verò sublunaribus tantùm secundariò, & ratione motuum cœlestium; quod ex eo patet, quia non assumitur aliquis motus sublunaris ad alios sublunares mensurandos, quin prius talis motus per motum Cœli sit mensuratus: ergo non mensurat motus sublunaris ratione ipsius: sed in virtute motus cœlestis, & quatenus motus cœlestis durationem tanquam signum notificat; & consequenter primariò convenit ratio mensuræ, & temporis motibus cœlestibus; secundariò vero, & ratione illorum motibus sublunaribus.

12 Neque obstat, quòd aliquando videamur uti

uti motibus sublunaribus ad mensurandam durationem motus cœlestis; quia non verè illis utimur, ut mensuris, sed ut signis nobis propinquioribus ad cognoscendum quot partes motus cœlestis defluxerint, ut sic prædictis partibus uti possimus, tanquam mensura ad nostras operationes mensurandas; ut evidenter patet in motu horologii.

13 Pro secundo, quod inquirit quæstio notandum est primò, motum: ut sæpè dictum est, posse accipi materialiter, id est, pro forma, quæ fluit, seu fit per motum; & formaliter, id est, pro ipso fluxu, seu duratione, quæ consumitur in fieri talis formæ. Secundò, quòd tempus, & dicitur extrinsecum, ut est motus Cœli respectu aliorum motuum, seu motus alicujus sublunaris respectu alterius, quatenus ad ipsum mensurandum est aptus; & dicitur intrinsecus, ut est ipsa duratio alicujus motus respectu ipsius, ut est apta mensurare alios motus, vel ab aliis motibus mensurari. Certum tamen est, tempus extrinsecum realiter distingui à motu mensurato, sicut est certum unum motum ab alio realiter distingui. Difficultas solùm est de tempore intrinseco. Pro quo

14 Dicimus 1. motus formaliter sumptus non distinguitur realiter à tempore intrinseco, sed tantum formaliter. Conclusio deducitur ex Scoto in 4. dist. 48. q. 2. §. *ad, quæstionem, vers. Ad primum*, litt. H. & probatur; quia tempus pro materiali tantùm dicit durationem successivam, seu habentem partes priores, & posteriores, à qua forma, quæ fit, seu fluit, fluens denominatur, seu successivè durans, quod ipsum dicit motus formaliter sumptus: & pro formali dicit tempus rationem mensuræ, vel activæ, vel passivæ, tanquam propriam passionem ipsius successivæ durationis, seu fluxus: sed propria passio in Scoti sententia solùm formaliter distinguitur à re, cuius est passio: ergo tempus

non

non realiter, sed tantùm formaliter distinguitur à motu formaliter sumpto.

15 Dicimus 2. tempus realiter distinguitur à motu materialiter sumpto. Conclusio etiam deducitur ex Scoto in 2. dist. 2. quæst. 2. §. *istam sententiam*, *vers. respondeo*, litt. E. prob. quia motus materialiter sumptus potest fieri in maiori, vel minori tempore: ergo motus materialiter sumptus realiter à tempore distinguitur. Patet conseq. quia diminutio, & multiplicatio in uno, & non in altero infert realem distinctionem inter illa. Antec. est certum, quia experientia constat, quòd motus materialiter sumptus est tardior, si fiat in maiori tempore; & velocior, si fiat in minori.

16 Sed contra potest argui primò; duratio intrinseca Angeli non distinguitur ab existentia Angeli: ergo neque duratio intrinseca motus distinguitur realiter à motu. Resp. ex Scoto citato neg. conseq. & paritatem; quia duratio intrinseca Angeli non est divisibilis, & extensa in partes priores, & posteriores, & sic non habet rationem quantitatis successivæ respectu existentiæ actualis Angeli; neque potest minui, vel augeri, non aucta, vel minuta existentia actuali Angeli; at verò duratio intrinseca motus est divisibilis, & extensa in partes priores, & posteriores ex se impenetrabiles; & sic habet rationem quantitatis successivæ respectu existentiæ actualis motus materialiter sumpti; & potest augeri, & minui, non aucta, vel minuta existentia actuali motus; quapropter ex eo, quòd duratio intrinseca Angeli non distinguatur realiter ab actuali existentia ipsius Angeli, non sequitur, durationem intrinsecam motus non distingui realiter ab ipsa actuali existentia motus materialiter sumpti.

17 Secundò potest argui: tempus est numerus numeratus, ita ut supra motum tantùm addat aptitudinem adnumerari per intellectum,

ergo tempus nihil aliud est, quàm motus aptus numerari; & consequēter non distinguitur realiter à motu. Resp. hoc argumentum benè probare, tempus non distingui realiter à motu formaliter sumpto; quia tantùm dicit supra motum formaliter sumptum prædictam aptitudinem adnumerari; quæ quidem aptitudo tantùm formaliter distinguitur à motu: non tamen probare, tempus non distingui realiter à motu materialiter sumpto; ut sic enim dicit motus formam fluentem, seu quæ fit per motum, & se habet tanquam subjectum ipsius motus, qui est quantitas successivè extendens in suo fieri prædictam formam; sicut quantitas permanens extendit partes subjecti, quod afficit, & à quo realiter distinguitur.

QUÆSTIO II.

Quibus rebus conveniat esse in tempore?

1 PLura circa hanc difficultatem reducuntur ad quæstionem de nomine, si benè percipiantur, licèt ab aliquibus latè exagitentur; pro illis tamen potest videri Merinerus in hoc libro disp. 3. quæst. 4. quæ quia non licèt in omnibus immorari, tamquam prævia ad quęstionis resolutionem, brevitate possibili, prænotabimus. Igitur.

2 Prænotandum est 1. quòd duratio nihil aliud est, quàm permanentia in esse, seu in existentia; & dividitur in permanentem, & successivam. Duratio permanens dicitur illa, qua res permanet in sua existentia secundùm totum suum esse simul, & non ita ut aliquam partem sui esse recipiat priùs, & aliam posterius, sed cùm omnibus suis partibus (si habeat partes) simul receptus, seu cum toto suo esse simul recepto coexistat partibus prioribus, & posterioribus temporis; & etiam quando coexistit prædi-

dictis partibus secundùm totum suum esse, postquam illud recepit, sive receperit illud totum simul, sive partem post partem. Hæc duratio permanens communiter dividitur in æternitatem, & ævum. *Æternitas*, secundùm Boetium lib. 1. de consolatione, *est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*; idem, ut communiter explicatur: *Est duratio simultanea, & perfecta rei permanentis, & omninò indefectibilis*. Ævum autem sic communiter definitur: *Est mensura entis permanentis, & uniformiter se habentis, potentis tamen deficere*. Duratio verò successiva dicitur illa, quà perseverat in sua existentia res, quæ habet partes priores, & posteriores, & non existit simul per totas suas partes, sed per partem post partem; & sic coexistit tempori, ita ut una pars ejus sit in priori parte temporis, & alia in posteriori.

3 Prænotandum est 2. quòd æternitas, ævum, & tempus differunt in hoc, quòd æternitas est duratio rei permanentis, indeficientis, & indefectibilis; cujusmodi est solus Deus: ævum est duratio rei permanentis, & licèt non actu deficientis in suo esse, imò in illo perseverantis, potentis tamen deficere; cujusmodi sunt Angeli, & Anima rationalis, & quælibet alia entia permanentia, quæ licèt simul, & perseveranter, non autem successivè habeant suam existentiam defectibilis est; & quamvis Angeli, & Anima rationalis in æternum durabunt; non tamen propter hoc dicendum est, durationem illorum intrinsecam esse æternitatem: cui enim æternitas tanquam duratio intrinseca convenit, non convenit defectibilitas; solùm tamen est dicendum, Angelos, & Animam rationalem coexistere æternitati à parte post; in quo sensu solet beatitudo à Theologis æterna nuncupari. Tempus autem est duratio rei non solùm defectibilis, sed etiam actualiter deficientis in suo esse; cujusmodi est quilibet motus successi-

vus; quia ita habet esse, ut recipiat unam partem post aliam, quarum prior corrumpitur, & deficit, quando altera producitur, & numquam sunt simul.

4 Prænotandum est. 3. quòd aliquid esse in tempore non est idem ac existere, quando est tempus; nam Deus, & Angeli existunt quando est tempus, & tamen non dicuntur esse in tempore; est enim aliquid esse in tempore, idem ac tempore mensurari; sicut esse in loco, idem est, ac contineri à loco, seu ab illo quasi mensurari; undè pro formali esse in tempore dicit relationem *quando*, seu commensurationis ad tempus; quapropter diximus in logica, tempus non esse speciem quantitatis distinctam à motu, cùm solùm addat supra motum prædictam relationem, quæ non est quantitas, sed unum ex sex ultimis prædicamentis, supposita aptitudine ad mensurare, seu mensurari. His breviter suppositis, facilè resolvitur quæstio. Igitur claritatis gratia.

5 Dicimus 1. motus successivi per se sunt in tempore, seu tempore extrinseco mensurantur. Conclusio est communis, & probatur: quia motus successivi, cum ratione suæ successivè durationis conveniunt cum tempore in habere partes essentialiter successivas: ergo nihil deficit motibus successivis, ut tempore mensurentur; & consequenter ut dicantur esse in tempore.

6 Dicimus 2. motus instantanei non dicuntur esse in tempore, benè tamen in instanti temporis. Conclusio etiam est communis, & fere ex ipsis terminis patet; nam motus instantanei non habent partes, quæ possint partibus temporis mensurari: ergo non sunt in tempore, sed tantùm in instanti temporis. Hic solet dubitari, an quod existit pro unico tantum instanti dicatur durare? Aliqui respondent affirmativè dicentes, durare duratione instantanea. Alii verò respondent negativè, quia, inquiunt,

quiunt, de ratione durationis est, quòd res permaneat in suo esse: sed quod pro unico instanti existit, non perseverat in suo esse: ergo nequit dici durare; sed hoc reducitur ad quæstionem de nomine. Quod dictum est de motibus instantaneis, videtur etiam dicendum de indivisibilibus continuativis partium motus, quæ dicuntur *mutata esse*; nam solùm correspondent indivisibilibus continuativis partium temporis, quæ dicuntur instantia.

7 Dicimus 3. quietes propriè sumptæ, quatenus dicunt, scilicet, privationem, seu carentiam motus in subjecto apto; sunt in tempore per accidens. Hæc conclusio deducitur per oppositum ex prima; quia oppositorum suo modo eadem est ratio; sed motus successivè sunt per se in tempore: ergo quietes, quæ prædictis motibus opponuntur, sunt etiam in tempore: sed non per se, quia non habent propriè partes, quæ tempore mensurantur: ergo saltim per accidens; eò vel maximè quia, affectiones, quæ per se conveniunt formis, saltim per accidens attribuuntur illarum privationibus.

7 Dicimus 4. quælibet entia permanentia generabilia, & corruptibilia sunt in tempore, non per se, seu ratione sui esse permanentis, sed ratione motus, & quietis, quibus in suo esse subjiciuntur. Hæc conclusio deducitur ex Aristot. hic cap. 12. text. 119. & 120. Quòd non sint in tempore ratione sui esse patet ex eo, quòd esse in tempore est tempore extrinseco mensurari: sed entia permanentia secundùm suum esse non mensurantur tempore extrinseco: ergo. Prob. min. quia mensura ratione talis debet esse ejusdem rationis cum re mensurata: sed tempus extrinsecum in ratione mensuræ est quid successivum, & habens partes priores, & posteriores; esse autem rerum permanentium

est quid permanens, & non habens partes priores, & posteriores: ergo tempus extrinsecum in ratione mensuræ non est ejusdem rationis cum esse rerum permanentium, & consequenter, & permanentes quo ad suum esse non mensurantur tempore extrinseco.]

9 Quoad secundam verò partem patet conclusio ex eo, quod entia permanentia generabilia, & corruptibilia, quatenus talia, subjiciuntur motibus, & quietibus propriè dictis: sed motus per se sunt in tempore, & quietes, saltim per accidens, ut patet ex dictis: ergo entia permanentia generabilia, & corruptibilia sunt in tempore ratione motus, & quietis, quibus subjiciuntur.

10 Contra primam partem conclusionis arg. 1. actualis mensura est actus intellectus applicans mensuram rei mensurandæ, ut de illius magnitudine certificemur: ergo licèt esse permanens rerum permanentium non habeat partes priores, & posteriores, sufficit, quòd concipiatur à nobis ut habens tales partes, ad hoc, ut tempore mensuretur. Resp. conc. anteced. neg. conseq. quia licèt mensura actualis sit actus intellectus, habet tamen fundamentum in re, apprehendere autem esse rei permanentis ex se habere partes priores, & posteriores, est purum figmentum nullum habens fundamentum in re; & solùm potest dici habere tales partes, ut motibus, & quietibus subjicitur. Undè, licèt res permanentes benè dicantur esse in tempore, seu tempore mensurari ratione motus, & quietis, quibus subjiciuntur, non autem ratione sui.

11 Et potest confirmari tam hæc responsio, quàm ratio pro conclusione; quia illa propriè dicuntur esse in tempore, quæ aliquid patiuntur à tempore: sed entia permanentia generabilia, & corruptibilia, licèt apprehendantur, ut habentes in suo esse partes priores, & posterio-

rio-

riores, nihil patiuntur à tempore ratione sui, benè tamen ratione motus: ergo. Aliàs, etiam æternitas, cùm possit à nobis apprehendi habere partes priores, & posteriores, ut nostro tempori coexistit, diceretur verè esse in tempore, seu tempore mensurari, quòd nullus admittit, solùm enim fictitie tempore mensuratur æternitas.

12 Argum. 2. Per tempus certificamur de magnitudine durationis rerum permanentium: ergo sunt in tempore secundùm suam durationem. Resp. neg. antec. quia non possumus certificari de magnirudine alicujus, quod in se nullam magnitudinem habet; duratio enim rerum permanentium, licèt generabilium, & corruptibilium, est indivisibilis, nullam in se magnitudinem habens, & sic de illius magnitudine nullatenus per tempus certificari possumus.

13 Advertendum tamen est ad aliquas æquivocationes auferendas, & aliquas instantias solvendas; quod per nostrum tempus, cui durationes rerum permanentium coexistunt, licèt non certificemur de magnitudine durationis illarum, cùm ut dictum est nullam magnitudinem habeant, certificamur tamen de magnitudine successiva coexistentiæ, qua prædictæ durationes nostro tempori coexistunt: nam talis coexistentia habet partes priores, & posteriores, non ratione durationis rerum permanentium cui inhæret, sed ratione temporis ad quod talis coexistentia terminatur; sicuti præsentia definitiva Angeli dicitur extensa non ratione Angeli, cui inhæret, sed ratione loci ad quem terminatur: sicut enim Angelus indivisibiliter est totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci, quin ex hoc modo essendi in loco certificemur de magnitudine Angeli; quia illam non habet, licèt certificemur de magnitudine præsentiæ Angeli, quæ ratione termini, scilicet,

loci divisibilis, divisibilis est; ita duratio rei permanentis indivisibiliter coexistit tota non temporі, & tota cuilibet parti temporis, quin ex hoc modo coexistenti temporis certificemur de magnitudine rerum permanentium; quia illam non habet, licèt certificemur de magnitudine coexistentiæ, quæ ratione termini scilicet temporis divisibilis, divisibilis est.

14 Dicimus 5. entia creata permanentia incorruptibilia non sunt in tempore. Conclusio deducitur ex Arist. cit. text. 117. & patet ex eò quòd in suo esse non habent successionem, seu partes priores, & posteriores, quæ tempore mensurari possint: ergo. Deinde quia nihil patiuntur à tempore, nec sunt quoad suum esse motibus subjecta, sicut sunt subjecta entia permanentia corruptibilia, proter quod esse in tempore dicuntur.

15 Sed dices contra: entia permanentia incorruptibilia subjiciuntur motibus: ergo dicuntur esse in tempore. Patet consequentia, quia ex eo entia permanentia corruptibilia dicuntur esse in tempore, quia motibus subjiciuntur. Antec. prob. quia tam Angeli, quàm Cœli moventur localiter: ergo subjiciuntur motibus entia incorruptibilia. Resp. dist. antec. & similiter anteced. prob. subjiciuntur motibus quoad esse accidentale, ut est motus localis, concedo; quoad esse substantiale, neg. & neg. conseq. Etenim maxima versatur differentia inter entia corruptibilia, & incorruptibilia; entia enim corruptibilia, cum etiam quoad suum esse substantiale corruptibilia sint, ita subjiciuntur motibus, ut aliquæ partes sui esse substantialis defluant, aliis afluentibus; at verò entia incorruptibilia non subjiciuntur motibus, ita ut aliquæ partes sui esse substantialis defluant, vel afluant, sed tantùm, ita ut esse accidentale secundùm suas partes afluat, vel defluat.

16 Unde licèt verum sit, quòd accidentia cor-

corruptibilia entium incorruptibilium possint dici esse in tempore non ratione sui esse permanentis, sed ratione motus, & quietis, quibus subiiciuntur, sicut dictum est de substantiis corruptibilibus; non tamen hoc potest dici de ipsis substantiis incorruptibilibus; cùm hæ nullatenus quoad suum esse substantiale motibus subiiciantur.

17 Dicimus 6. omnia entia necessaria, ut est Deus, & essentiæ rerum quoad connexionem prædicatorum, non sunt in tempore. Conclusio deducitur ex Arist. cit. text. 120. & patet ex eo, quod prædicta entia, neque aliquid pati, neque mensurari à tempore possunt. Propter eamdem rationem dicendum est, omnia impossibilia non esse in tempore; sicut enim supradicta necessariò sunt, ita impossibilia necessariò non sunt.

18 Omnia supradicta intelliguntur de esse in tempore extrinseco, & tempore extrinseco rigorosè sumpto, ut est motus primi mobilis, mensurari. Ex quibus sequitur, motus primi mobilis non esse in tempore, quippe non mensuratur aliquo tempore extrinseco, cùm sit prima mensura, & primæ mensuræ non datur mensura.

19 Sequitur etiam ex dictis tam in hac, quam in præcedenti quæstione, tempus rigorosè sumptum, esse unum numero; motus enim cœlestis unus numero est; at verò tempus latè sumptum, scilicet pro quolibet motu, ut aptus est mensurare, seu mensurari, esse multiplex numero juxta pluralitatem motuum sublunarium; quia ut sic non distinguitur tempus à prædictis motibus. Quando autem Arist. dicit, quod tempus est unum, non loquitur de unitate numerica, sed de unitate specifica; quod verum est, quia licèt motus in se sint diversæ rationis, & speciei; tamen ut dicunt rationem mensuræ, in quo sensu dicuntur tempus, sunt ejusdem speciei, & rationis.

QUÆSTIO III.

Quomodo tempus dicatur præsens?

1 Duplex circa hanc difficultatem communiter circumfertur sententia, quarum prima defendit, tempus non dici præsens ratione alicujus partis, quæ sit præsens determinatè, sed ratione instantis; quam sententiam defendunt communiter Thomistæ cum suo Angelico Præceptore. Secunda tenet, tempus dici præsens per suas partes, non præsentia simultanea, sed præsentia successiva, & transeunte. In has duas sententias divisi sunt Scotistæ, quia subtilis Doctor non ita clarè loquitur circa hanc materiam, ut quid sit de mente illius, facilè percipiatur: licèt enim in 2. dist. 2. quæst. 9. §. *ad secundam probationem, vers. Respondeo*, litt. M. citetur ab aliquibus pro secunda sententia; tamen ibi, ut patebit litteram scrutanti, tantùm innuit, tempus, sicut & quodlibet continuum, non componi ex solis indivisibilibus, sed ex istis, & ex partibus in infinitum divisibilibus, quod etiam concedunt tenentes primam sententiam. Vtraque sententia est difficilis, & propter suam difficultatem redditur æquè probabilis; tamen ut aliquam determinatè teneamus, sed certè cum formidine alterius.

2 Dicimus: tempus est præsens ratione suarum partium, quæ verè, & realiter, quando prætereunt, per propriam existentiam existunt, licèt non simul, in esse quieto, permanenter, & in facto esse, sed transeunter, & in fieri. Hæc conclusio (quæ si rectè percipiatur, videtur coincidere cum opposito illius; nam qui oppositum tenent, loquuntur de præsentia simultanea, & permanenti, non autem de successiva, & transeunte, ut nos loquimur) potest probari ex Scoto citato: nam juxta illum, & etiam juxta

ta adversarios, tempus non componitur ex solis instantibus, sed etiam ex partibus divisibilibus: ergo post instans non sequitur aliud instans, sed aliqua pars temporis: ergo sicut instans dicitur præsens ratione sui, ita pars ratione sui dicitur præsens.

5 Confirmatur 1. quia sicut res se habet ad suum esse, ita se habet ad suam præsentiam: sed tempus quoad suum esse ita se habet, ut non sequatur unum instans post aliud, sed post instans sequatur pars: ergo tempus ita se habet ad suam præsentiam, ut ad præsentiam instantis, sequatur præsentia partis, & non præsentia alterius instantis: ergo tempus verè dicitur præsens ratione suarum partium; licèt non permanenter, saltim successivè.

4 Confirmatur 2. quia tempus verè dicitur fururum per suas partes, & similiter præteritum: ergo etiam est præsens per suas partes, Prob. conseq. quia nihil dicitur verè futurum, nisi quod ratione illius, quo habet esse futurum, aliquando dicendum sit præsens; & similiter nihil dicitur verè præteritum, nisi quod ratione illius, quo est præteritum, aliquando fuerit præsens: sed partes temporis ratione sui sunt verè futuræ, & prætetitæ: ergo & ratione sui verè præsentes, saltim transeunter. Hæc confirmatio fundatur in eo, quod propositione de præterito, & futuro; qua tales, solùm verificantur per ordinem ad propositionem de inesse, seu de præsenti; nam secundùm eamdem rationem, qua est vera propositio de præsenti, sunt veræ propositiones de præterito, & futuro.

5 Etiam potest probari conclusio ab inconvenienti: sequeretur enim, si tempus non esset præsens, seu existeret per suas partes, sed tantùm per instans, quod partes, quæ illo instanti copulantur, essent præsentes, & existentes non quomodocumque, sed simul, quod est absurdum. Patet sequela: quia in hypothesi prædi-

ctæ partes nullam præsentiam, & existentiam haberent præter præsentiam, & existentiam illius instantis; sed tale instans est simul præsens, & existens; ergo etiam partes simul existerent, & essent præsentes; hoc non est dicendum, neque aliquis concedit; ergo partes temporis habent propriam præsentiam successivam distinctam à præsentia instantis.

6 Arg. 1. partes temporis ex se tantùm sunt præteritum, & futurum; ergo nulla pars temporis ex se dicitur præsens. Probat. antec. quia tempus est mensura motus; sed motus solùm habet partes præteritas, & futuras ex se, non tamen præsentes; ergo neque tempus. Prob. min. quia tempus est mensura motus secundùm omnes suas partes; sed tantùm est mensura motus secundùm prius, & posterius, id est, secundùm præteritum, & futurum; ergo. Respond. neg. antec. & min. prob. & ad probationem istius dicimus, quod ly *secundum prius, & posterius*, non debet intelligi secundum præteritum, & futurum, ut dicitur in minori, sed secundum partes, quæ se invicem succedunt, & quarum una post aliam habet suum esse, non permanenter, sed transeunter. Unde negantur conseq. tempus enim, & motus habent partes præsentes successivè, seu transeunter, & partes præteritas, & futuras, licèt non habeant partes simultaneè, & permanenter præsentes.

7 Arg. 2. repugnat, partes alicujus successivi ratione sui esse præsentes, seu existere; tempus est successivum; ergo. Prob. maj. quia si aliqua pars successivi esset præsens, seu existeret ratione sui, cùm talis pars esset divisibilis, & composita ex aliis partibus illius simul essent præsentes, seu existerent; sed partes successivi nequeunt simul existere, seu esse præsentes; ergo implicat, partes successivi esse præsentes, seu existere ratione sui. Prob. maj. quia præsente, & existente toto, necessariò existunt,

& sunt præsentes partes illius: ergo si aliqua pars successivi existeret, seu esset præsens ratione sui, partes illius simul existerent, & essent præsentes.

8 Resp. neg. maj. & disting. maj. prob. si aliqua pars successivi esset præsens, & existens ratione sui permanenter, partes illius simul existerent, seu essent præsentes, concedo; si existeret, seu esset præsens transeunter subdistinguo; partes illius essent simul, ly *simul* denotante præsentiam, & existentiam simultaneam permanentem illarum, nego; ly *simul* denotante simultaneam præsentiam, & existentiam successivam illarum partium cum illa parte, cujus dicuntur partes, concedo. Eodem modo distinguendum est antec. prob. & inde negantur conseq.

9 Arg. contra: si aliqua pars temporis transeunter esset præsens, & existens; haberet tamen plures partes præsentes, & existentes ratione sui: ergo illa pars non esset formaliter successiva. Patet consequentia; quia successivum nequit habere suas partes præsentes ratione sui. Resp. disting. anteced. illa pars haberet partes præsentes, & existentes ratione sui præsentia simultanea, & permanenti, nego; præsentia successiva, & transeunte, concedo, & nego conseq. & similiter disting. prob. Advertendum tamen est, quod non dicimus dari aliquam partem temporis determinatam, quæ dicatur præsens ratione sui, sed dari partem temporis præsentem, non determinatam; hæc enim est natura continui (ut ampliùs patebit lib. 6.) quod post indivisibile non sequatur aliqua pars determinata, cùm quælibet pars continui, quæ determinetur, est divisibilis in alias partes minores, & minores usque in infinitum syncategorematicè. Fatemur tamen, quod tam circa hanc quæstionem, quam circa omnia, quæ diximus, & plura alia, quæ ab aliis proponuntur

tur de tempore, maxima difficultas intercedit, quæ quidem non aufertur, nec auferri potest, licèt quamplura ab aliquibus dicantur, propter incognitam naturam temporis; quapropter ad aliqualem illius notitiam sufficiant dicta.

LIBER QUINTUS
PHYSICORUM

PEr sex capita egit Aristot. in hoc 5. lib. de motu quoad suas species, quoad suam unitatem, tam specificam; quàm numericam, & quoad suam contrarietatem; de quibus omnibus, quia facilia sunt brevitate possibili unica disputatione agemus.

DISP. UNICA.

QUÆSTIO I.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est 1. motum tripliciter posse sumi. Primò, pro receptione cujuscumque formæ in subjecto; quæ quidem acceptio motus latissima est, & de illa loquitur Aristot. 3. Physic. text. 5. & 11. Met. cum dicit: *Motus, & mutationis tot sunt species, quot entis*; quia receptio cujuscumque formæ, cujuscumque prædicamenti fit; quapropter quot sunt entia, seu prædicamenta tot in hac acceptione possunt dici motus. Secundo pro via, seu tendentia, me-

media qua subjectum transit ex termino *à quo* ad terminum *ad quem*; in quo sensu loquitur Aristot. 3. Physic. dum motum his verbis definivit: *Est actus entis in potentia secundùm quod in potentia*, & ut diximus etiam 3. Physic. cum ipso Arist. motus in hac acceptione convenit, tam motui instantaneo, quam successivo; & differt à motu in prima acceptione, quia ad illum non necessariò requiritur, quod præcedat subjectum privatum forma; in secunda verò acceptione hoc requiritur. Tertiò sumitur motus pro motu successivo, qui propriè, & rigorosè dicitur motus ad differentiam motus instantanei, qui mutatio communiter appellatur, nisi hoc ad quæstionem de nomine reducatur. De motu in hac tertia acceptione loquimur in præsenti, quia de illo sic accepto loquitur Arist. in hoc libro.

2 Notandum est 2. quod ad rationem motus in tertia acceptione tres per se conditiones requiruntur. Prima est, quod subjectum motus sit ens in actu formali; cujusmodi solùm est corpus naturale de prædicamento substantiæ. Hæc conditio deducitur ex Arist. cap. 3. hujus lib. ubi excludit generationem, & corruptionem substantialem à ratione motus propriè dicti, eò quod subjectum illarum, quod ex materia prima, non est ens in actu formali. Et ratio pro illa est, quia motus propriè dictus solùm potest convenire mobili etiam propriè dicto: hoc tantùm est corpus naturale; nam materia prima, cùm non sit ens naturale, sed unum ex principiis illius; ita non est propriè mobilis, sed principium motus ejus, in quo est; ergo ad rationem motus propriè dicti necessariò requiritur, quod subjectum illius sit in actu formali.

3 Secunda conditio est, quod motus fiat à subiecto in subiectum. Hæc conditio deducitur ex Aristot. cap. 1. hujus lib. & coincidit cum

præ-

præcedenti; quia *non subiectum* dupliciter potest sumi. Primò pro privatione entis simpliciter, seu substantialis; ut v.g. *non homo, non lapis &c.* Secundò pro privatione entis secundùm quid, seu accidentalis; ut v. g. *non calidum, non frigidum, &c.* Inter hæc tamen hæc versatur differentia, scilicet; quod *non subiectum* in primo sensu dicitur absolutè, & simpliciter *non subiectum*, eo quod sit privatio entis simpliciter, & absolutè: in secundo autem sensu, cùm tantùm sit privatio entis secundùm quid, quæ privatio non opponitur affirmationi entis simpliciter, imò compatitur cum illa; & si secundùm quid dicatur *non subiectum*, simpliciter tamen, & absolutè subjectum est dicendum; quod idem est ac ens in actu formali, seu substantiali; & ut sic dicitur motus à subjecto in subiectum.

4 Tertia conditio est, quod id, quod per motum est acquisibile, non sit acquisibile per se, & ex natura sua subitò, seu instantaneè, sed successivè, & temporaliter. Quæ conditio communiter explicatur per hoc, quod motus sit à contrario in contrarium, quod non intelligitur præcisè de contrarietate propriè dicta, sed ita ut motus versetur inter terminos, inter quos mediet aliqua distantia, quæ naturaliter exigat, non subitò, & in instanti, sed successivè & in tempore pertransiri. Hæc conditio deducitur ex Arist. cap.2. huius lib. dum dixit, quod ad substantiam non est motus, eo quod nullum habet contrarium. His notatis.

5 Dicimus 1. ad quantitatem, qualitatem, & *ubi* datur per se motus. Conclusio est communis, quam tenet Arist. cap. 1. & 2. huius lib. ubi consequenter dicit, tantum esse tres species motus propriè sumpti, scilicet augmentationem, quæ est motus ad quantitatem, alterationem, quæ est motus ad qualitatem, & lationem, quæ est motus localis, seu ad *ubi*.

6 De

6 De quantitate probatur: quia augmentatio habet pro subjecto ens in actu formali, scilicet vivens constitutum ex materia, & forma substantiali; deinde augmentatio fit à subjecto in subjectum, scilicet à minus quanto ad magis quantum; denique augmentatio versatur inter terminos contrarios modo requisito ad motum; versatur enim inter minorem, & majorem qoantitatem, inter quas mediat distantia quantitativa, quæ naturaliter, ut omnes fatentur, non subito, & tota simul, sed successivè, & per partes exigit pertransiri: hæ sunt conditiones requisitæ ad motum per se: ergo.

7 De qualitate similiter probatur: quia alteratio, præterquamquòd subjectum illius est ens in actu formali, & est mutatio à subjecto in subjectum, scilicet à calido in frigidum, v. g. vel à minus calido ad magis calidum, &c. etiam versatur inter terminos contrarios, inter quos mediat distantia, quę non subitò, sed successivè pertransiri exigit, scilicet gradualem intensionem, quæ in alteratione gradatim, & non simul producitur: ergo.

8 De *ubi* etiam probatur eodem modo: quia subjectum motus localis est ens in actu formali: & deinde motus localis fit à subjecto in subjectum, scilicet ab esse in uno loco ad esse in alio. Et denique extrema motus localis, ut sunt unum, & aliud *ubi*, sunt contraria, seu quòd idem est, mediat inter illa aliqua distantia, quæ necessariò successivè exigit pertransiri; ergo.

9 Pro majori autem claritate, & ut aliqua argumenta solvantur, aliqua veniunt notanda. Primò, quod idem, quod dictum est de augmentatione viventis, etiam est dicendum de augmentatione non viventium, licèt impropriè dicatur augmentatio, ut v. gr. quando ignis, qui est in aliqua parte alicujus ligni, successivè

vè augetur per totum lignum. Etiam potest intelligi de acquisitione quantitatis per rarefactionem, si rectè percipiatur, ut dicitur in libris de generatione. Non tamen debet intelligi quando aliquid fit majus ex minori per aggregationem, ut cumulus lapidum per lapidum additionem; nam licèt tunc detur motus localis, non tamen motus ad quantitatem. Neque etiam debet intelligi de illo, quod fit majus de minori per continuationem: ut cùm una pars aquæ alteri continuatur; tunc enim præter motum localem, solùm datur actio productiva indivisibilis continuativi, quæ non est motus ad quantitatem, ut ex se patet, sed solùm ad continuationem illius.

10 Deinde solùm debet intelligi conclusio de quantitate continua, & permanenti, non autem de successiva continua, ut est tempus pro materiali, quod idem est, ac motus, & certum est ad motum non dari per se motum; neque de quantitate discreta successiva, ut est oratio, nam hæc constat unitatibus, quæ sunt morulæ, seu tempora parva; & ut dictum est, ad tempus nequit dari per se motum; neque de quantitate discreta permanenti, ut est numerus; quia hæc resultat, vel ex productione plurium unitatum quantitativarum, vel ex divisione continui, quæ fit per corruptionem indivisibilis, quo partes continui copulabantur, quin detur aliqua alia actio per se terminata ad quantitatem discretam.

11 Secundò venit notandum, quod loquendo de qualitatibus, conclusio est intelligenda solùm de illis, quæ in subjecto supponunt alias qualitates sibi divisibiliter oppositas, his enim conveniunt omnes supradictæ conditiones ad rationem, per se motus requisitæ. Non tamen est intelligenda conclusio de qualitatibus, quæ nullum habent contrarium, ut est lux; nec de qualitatibus, quæ & si habeant

con-

contrarium, non tamen divisibiliter oppositum, ut sunt error, & scientia; quia istæ qualitates in instanti, & subitò, non verò successivè in subjecto introducuntur; quapropter & si prima, & secunda conditio illis conveniant, non tamen convenit illis tertia.

12 Dicimus 2. Ad alia prædicamenta non datur per se motus. Conclusio etiam est communis, & eam tenet Arist. loco cit. De substantia patet; quia nullum habet contrarium, nec petit ex sua natura successivè produci; (licèt accidentaliter, eò quod sequitur alterationem, & propter imperfectionem naturalis agentis, successivè producatur, ut dicitur in libris de generatione) neque mutatio ad substantiam, habet subjectum in actu formali; & sic neque est à subjecto in subjectum: ergo.

13 De relatione etiam patet, nullum enim ex se habet contrarium, neque aliqua actio per se ad relationem terminatur, cùm resultet posito fundamento, & termino. Idem ferè similiter, patet de aliis prędicamentis, quę ut suo loco diximus consistunt in respectu; & licèt non resultent posito fundamento, & termino; tamen non datur aliqua actio ad illa terminata, sed tantùm terminata ad aliquid prævium; & si ad illa actio aliquomodo terminetur, non tamen aliqua actio successiva; quippe nullum habent contrarium, nisi fortè ratione fundamenti, quod per accidens se habet. Videantur, quæ diximus in logica loquendo de ultimis prædicamentis; in re enim adeò facili, & parum controversa, non est cur ampliùs immoretur.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Unde motus unitatem, distinctionem, & contrarietatem accipiat?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primò, quòd motus materialiter sumptus (in quo sensu loquitur hic de illo Aristot. & procedit præsens difficultas) potest considerari in esse rei, prout præcisè dicit formam, quę fluit, seu in fieri, & potest considerari in esse motus, seu quatenus est actus entis in potentia secundùm quòd in potentia: & in utroque sensu intelligitur titulus quæstionis.

2 Notandum est 2. quod motus in esse motus habet suum specificativum intrinsecum, sicut quælibet alia res; sed cùm hoc specificativum nos penitùs lateat, solum specificativum extrinsecum quærimus; & quia extrinseca connotata, de quibus potest dubitari, sunt plura, scilicet, agens, passum, seu subjectum, medium, terminus *à quo*, & terminus *ad quem*, ideò est difficulta, à quonam illorum, unitas, distinctio, & contrarietas motus desumatur.

3 Notandum est 3. quod motus non constituit aliquod determinatum prædicamentum, nam si consideretur in esse rei, reducitur ad prædicamentum termini *ad quem* tanquam imperfectum ad perfectum; si verò in esse motus consideretur, tanquam quoddam ens modale, illum in post prædicamentis Arist. collocavit; tamen ad specificationem suo modo dignoscendam, potest fieri aliqua modalis coordinatio, seu categoria disponi in hunc modum.

4 *Actio* materialiter sumpta erit genus generalissimum. Si non præsupponit subjectum, dicitur *creatio*; si verò præsupponit subjectum, dicitur *eductio*; & hæc, si supponit subjectum

pro-

pro aliquo tempore sine forma, dicitur *mutatio*; si solum prioritate naturæ, conservat nomen eductionis, appropriando sibi nomen genericum ex indigentia vocum, Deinde *mutatio*, aut fit ex non subjecto in subjectum secundum contradictionem; hoc est à privatione ad formam, & sic est *generatio*; sive substantialis, si fiat à non subjecto *simpliciter*; sive accidentalis; si fiat à non subjecto *secundum quid*; aut fit ex subjecto in non subjectum etiam secundùm contradictionem, id est à forma ad privationem, & sic est *corruptio*, vel substantialis, vel accidentalis modo dicto; aut fit ex subjecto in subjectum secundum contrarietatem (quod intelligitur de contrarietate in sensu quæstionis antecedentis) & sic est *motus*; & hic vel est ad quantitatem, & sic est *augmentatio*; vel ad qualitatem; & sic est *alteratio*; vel ad *ubi*; & sic est *locatio*, seu motus localis. Quodlibet ex his membris dividentibus potest subdividi in alias species, juxta infra dicenda, quæ omnibus his adaptanda veniunt. His notatis.

5 Dicimus 1. motus in esse rei specificantur à terminis *ad quos*. Hæc conclusio ab omnibus admittitur, & prob. quia ut sæpè dictum est, motus in esse rei est eadem forma in fieri, quæ est terminus *ad quem* in facto esse: ergo motus in esse rei specificantur à teminis *ad quos*; ita ut ejusdem speciei sunt motus; cujus speciei fuerint termini *ad quos*.

6 Dicimus 2. motus in esse motus etiam specificantur à terminis *ad quos* formaliter. Conclusio etiam est communis, & sic prob. quia terminus *ad quem* tendit motus, comparatur ad illum per modum formæ (licèt extrinsecæ) & ultimi actus: ergo specificantur motus formaliter à terminis *ad quos*.

7 Pro hujus tamen conclusionis intelligentia necessariò est observandum; quòd sicut motus consideratur in esse rei, & in esse motus, ita ter-

termini *ad quos* consideratur in esse rei, & in esse terminorum; in esse rei dicunt tantùm suas entitates; in esse verò terminorum dicunt rationem formalem terminandi; conclusio ergo non est intelligenda de terminis in esse rei, benè tamen de terminis in esse formali terminorum; quòd idem contingit in aliis rebus, quæ à ter minis specificantur, ut sunt relationes, potentiæ, actus, & habitus.

8 Si autem inquiras undè proveniat terminis *ad quos* diversitas in esse terminorum, quando sunt ejusdem rationis in esse rei? Resp. hoc illis provenire ex diversitate aliorum, quæ sunt extrinseca connotata motus, & à quibus, ut infrà dicetur, etiam desumitur specificatio ipsius motus; v. g. motus ab albo in fuscum, & motus à nigro in fuscum sunt diversæ rationis, & licèt termini *ad quos* ejusdem rationis sint in esse rei; sunt tamen diversæ rationi in esse terminorum; quia fuscum in primo motu gerit vices nigri, & in secundo gerit vices albi; eo quòd terminus *à quo* in primo est album, & in secundo est nigrum. Unde patet quòd diversitas terminorum *ad quos* in esse terminorum desumitur à diversitate terminorum *à quibus*. Observandum tamen est, quòd diversitas, seu specificatio motus semper desumitur formaliter & proximè à terminis *ad quos*, qui se habent per modum formæ, & actus, radicaliter verò & remotè desumitur à terminis *à quibus*, & ab aliis extrinsecis connotatis, de quibus infra.

9 Dicimus 3. motus in ratione motus etiam specificatur à terminis *à quibus*. Probatur: quia motus in ratione talis dicit ordinem essentialem non solùm ad terminum *ad quem*, sed etiam ad terminum *à quo*: ergo non solùm à termino *ad quem*, sed etiam à termino *à quo* sumit suam specificationem. Exemplum pro hac conclusione stat in motibus positis num. antec. ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum, qui, &

si

si specificentur formaliter, & proximè à terminis *ad quos*, non in esse rei, sed in esse terminorum consideratis: tamen fundamentaliter, seu radicaliter, & remotè à terminis *à quibus* specificantur. Cum his distinctionibus, scilicet *in esse rei; in esse motus: in esse terminorum; & formaliter, & proximè; radicaliter, & remotè*, quælibet argumenta, tam contra hanc conclusionem, quàm contra sequentes; quia æquivocè procedunt, facilè solvuntur.

10 Dicimus 5. motus etiam specificantur à mobilibus, seu subjectis, in quibus motus recipiuntur; si non in esse rei, sed in esse subjectorum considerentur. Deducitur hæc conclusio ex Arist. c. 1. hujus lib. nam, secundùm ipsum, mutatio substantialis specie distinguitur ab accidentalibus motibus, eò quòd subjectum mutationis substantialis non est ens in actu formali, sed in pura potentia; subjectum verò motuum accidentalium est ens in actu formali: ergo. Deinde potest confirmari aliquibus exemplis; nam productio alicujus rei, nullo præsupposito subjecto; & productio ipsius rei ex præsupposito subjecto specie distinguuntur in ratione formali productionum, cùm una sit creatio; & altera eductio, seu generatio: ergo diversitas specifica productionum etiam desumitur ex parte subjecti. Similiter productio alicujus ex præsupposito subjecto solùm prioritate naturæ, & productio ipsius rei ex præsupposito subjecto prioritate temporis differunt specie in ratione productionum: cùm una sit mutatio, non verò altera: sed talis differentia desumitur à diversitate subjecti in esse talis propter diversas præcedentias: ergo.

11 Dicimus 6. motus etiam specificantur ab agentibus in ratione formali agentium considderatis. Conclusio deducitur ex Scoto in 4. dist. 43. quæst. 1. §. *Aliter ponitur*, ante lit. E. ubi dicit, esse fallaciam consequẽtis inferre distinctionem

nem terminorum ex distinctione mutationum in esse talium, & patet exemplo adducto a b Scoto ex D. Aug. 3. de Trinit. cap. 9. scilicèt, quòd idem in specie, & numero potest produci univocè, & æquivocè: sed hæ productiones in esse talium differunt specie, & hæc differentia desumitur à differentia agentis univoci, & æquivoci, ut patet in generatione, & resurrectione hominis, & in productione caloris ab igne, & à sole: ergo.

12 Dicimus 7. etiam desumitur specificatio motus à medio per quod transit motus à termino *à quo* ad terminum *ad quem*. Conclusio deducitur ex Arist. cap. 4. hujus lib. text 33. & ex Scoto cit. num. antec. & probatur his exemplis: motus localis, ex Arist. cit. qui fit per lineam rectam, differt specie à motu locali, qui fit per lineam circularem, si non in esse rei, sed in esse motuum considerentur: sed hæc differentia desumitur à medio: ergo similiter assensus circa hanc propositionem: *Deus est* per medium metaphysicum differt specie ab assensu ejusdem propositionis per medium theologicum: ergo diversitas motus, & actionis etiam desumitur à medio. Antec. prob. ex eo, quòd assensus non respicit objectum utcumque, sed respicit objectum per tale, vel tale medium. Omittimus aliqua argumenta; quia omnia, quæ possunt confici contra supradictas conclusiones facilis solutionis sunt cum distinctionibus positis num. 9.

13 Dicimus 8. unitas numerica motus in esse rei considerati desumitur ex termino *ad quem*, ex mobili, seu subjecto, & ex tempore, quo mensuratur. Hanc conclusionem tenet Arist. cap. 4. hujus lib. De termino *ad quem* patet; quia ut sæpè dictum est, motus in esse rei consideratus non distinguitur à termino *ad quem*: ergo ab illo suam unitatem numericam necessariò assumit. De moblli, seu subjecto etiam patet;

tet; quia terminus *ad quem* motus, v. g. calefactionis, non est calor præcisè sumptus, sed ut inhærens subjecto: sed hoc variato, variatur inhærentia, quam dicit calor ad subjectum: ergo ad unitatem numericam motus requiritur unitas numerica subjecti.

14 Pro tertia parte conclusionis, scilicet, quòd unitas numerica motus etiam desumatur à tempore, observandum est, quòd in motu duplex unitas numerica potest distingui; altera, entitativa, & altera continuativa, & de hac secunda intelligitur conclusio, & patet; quia nequit aliquis motus sublunaris continuè fluere, quin continuè mensuretur à tempore primi mobilis: ergo hujus discontinuatio in mensurando aliquem motum denotat discontinuationem ipsius motus: ergo etiam desumitur unitas numerica continuativa motus à tempore illum mensurante. Non tamen intelligitur conclusio de unitate numerica entitativa; quod patet: quia si aliqua res semel producta corrumpatur, & iterum reproducatur, tunc prædictæ productiones, seu motus essent in diversis temporibus: sed prædicti motus in esse rei entitativè non essent numero distincti, imò esset idem numero motus, eò quòd idem numero esset entitativè terminus *ad quem*: ergo ad unitatem numericam entitativam motus in esse rei non requiritur unitas temporis. Hæc conclusio ita debet intelligi, ut quocumque prædictorum variato numericè, unitas numerica motus varietur; & omnibus supradictis numericè perseverantibus, unitas numerica motus perseveret.

15 Dicimus 9. unitas numerica motus in esse motus desumitur ab omnibus illis, à quibus supra diximus desumi unitatem specificam, seu specificationem motus, ita ut unitas numerica omnium illorum in esse talium necessariò requiratur ad unitatem numericam motus, & hæc sit diversa pro diversitate numerica cujuslibet

productiones qualitatis non supponentis qualitatem contrariam in subjecto, neque aliquem gradum ejusdem rationis cum qualitate, quæ producitur, sed tantùm privationem, contrarietas solùm esset desumenda à terminis *ad quos*, non verò à terminis *à quibus*, cùm isti sint privationes, quæ propriè non contrariantur. Si autem contrarietas non accipiatur propriè, & rigorosè, sed pro quacumque oppositione, seu disconvenientia, tunc potest desumi, non solum à terminis *ad quos*, & *à quibus*, sed etiam à quocumque illorum, à quibus diximus desumi specificationem motus in esse talis; & in hoc sensu non solùm motus ad qualitatem, sed quilibet alii motus, seu mutationes possunt dici habere contrarietatem.

19 Sequitur etiam, quietes, ut docet Arist. cap.6. hujus lib. si sumantur pro privatione motus, contrariari cum motibus, non positivè, sed privativè, & inter se etiam contrariari, licèt non propriè, & rigorosè; quia contrarietas propriè dicta solùm inter terminos positivos invenitur, saltim metaphoricè, & in ordine ad motus, quorum sunt privationes; eo modo, quo ipsi motus inter se contrariantur; quod idem videtur dicendum de unitate, & distinctione quietum inter se, quod ex ipsis terminis patet; quaprópter in hoc non ampliùs immoramur.

LIBER SEXTUS PHYSICORUM.

PEr decem capita egit Aristot, in hoc libro de motu, quoad suam integritatem, compositionem, divisionem, infinitatem, & alia valdè ad motus cognitionem conducentia, de quibus omnibus jam communiter per duas disputationes ab Auctoribus disceptatur, quarum est

DISP. I.

De Continuo.

QUia motus est quoddam continuum, ideò ad illius cognitionem de continuo in communi, necessariò venit disputandum. Sit ergo

QUÆSTIO I.

An continuum ex partibus indivisibilibus, vel divisibilibus in infinitum componatur?

1 CIrca hanc difficultatem, quæ ut ferè insuperabilis ab omnibus reputatur, fuit sententia antiquorum Philosophorum, præcipuè Zenonis, affirmans, continuum à principio ex indivisibilibus constitni, ita ut facta divisione continui per partes minores, & minores, necessariò deveniendum sit ad aliquas partes omninò indivisibiles; unde tenebat prædicta sententia, continuum non esse divisibile in infinitum, seu in semper divisibilia. Per oppositum tenet secunda sententia,

tia, continuum ex partibus divisibilibus in infinitum, seu in semper divisibilia constitui. Sic expresse Arist. hic, præcipuè cap. 1. & 2. & aliis in locis, quem communiter sequuntur, tam Thomistæ, quàm Scotistæ, tam Angelicum Præceptorem, quàm subtilem Magistrum citantes, & hunc 6. Phys quæst. 1. & in 2. dist. 2. qu. 9. §. *ad secundam probationem, vers. Adprobationem alterius*, sub litt. M. Sed quia in hujus communis sententiæ intelligentia, & explicatione aliquæ æquivocationes intercedere solent, ideò claritatis gratia, hanc quæstionem in tres sectiones dividemus, quarum sit.

SECTIO I.

In qua aliqua necessariò scienda præmittuntur.

2 PRæmittendum est 1. continuum non solùm inveniri in quantitate, tam permanenti, quàm successiva, sed etiam in substantia materiali, quæ ut dictum est in Logica, habet partes independenter à quantitate; & similiter propter eamdem rationem in qualitatibus materialibus: unde quidquid dicatur de continuo, licèt communiter de continuo quantitativo examinetur, de quolibet continuo venit intelligendum; quod quidem continuum est illud, cujus partes copulantur termino communi, ut etiam dictum est in Logica loquendo de quantitate continua.

3 Præmittendum est 2. quòd licèt indivisibile, juxta nominis etymologiam, dicat negationem divisibilitatis; tamen aliquam veram, positivam, & realem entitatem præsefert; quod patet ex pluribus locis Arist. in quibus aliqua de indivisibilibus affirmat, quæ solùm positivæ entitati convenire possunt; sufficiat quod docet cap. de quantit. scilicèt, quòd indivisibilia sunt

communicantes. Dicuntur *aliquotæ*, quia si aliquoties repetantur exhauriunt totum continuum. Dicuntur *determinatæ*, quia determinato numero clauduntur. Dicuntur *æquales*, quia una non excedit aliam magnitudine. Dicuntur *non se communicantes*, quia una neque secundùm se totam; neque secundum aliquid sui includitur in altera. Hujusmodi partes sunt, quando in ulna v. g. assignamus duas medietates vel tres tertias, vel quatuor quartas, &c.

7 Aliæ dicuntur *proportionales*, *inæquales*, *indeterminatæ*, *& se communicantes*. Hujusmodi partes sunt, quando dividimus continuum secundùm aliquam proportionem, & servata prædicta proportione, quamlibet illius partem in alias partes minores, & istas in alias minores usque in infinitum syncategorematicè subdividimus; ut si dividamus continuum proportione dupla, seu in duas medietates, & posteà quamlibet ex illis in alias duas medietates, & sic in infinitum. Ubi advertendum est, illas duas medietates, in quas continuum, & quamlibet partem illius, dividimus, posse inter se comparari; & ut sic non dicuntur partes *proportionales*, *indeterminatæ*, *&c.* imò dicuntur *aliquotæ*, *determinatæ*, *&c.* & posse comparari, vel ad illam partem cujus dicuntur medietates, & quæ dicitur totum respectu illarum; vel ad alias partes medias, in quas quælibet ipsarum usq; in infinitum dividi potest, & respectu quarum dicitur totum, & in utroque sensu, seu respectu cujuslibet ex his duabus comparationibus, partes *proportionales*, *inæquales*, *&c.* appellantur.

8 *Proportionales* dicuntur, vel quia, ut aliqui dicunt, & patet in exemplo posito, in qualibet subdivisione illarum eadem servatur proportio, quæ servata est in prima divisione. Vel meliùs: quia in divisione continui, quæ fit

secundùm prædictas partes, semper servatur proportio minoris, & minoris; quæ poportio semper invenitur, licèt prima proportio non inveniatur. *Inæquales* dicuntur; quia si comparentur ad partem, cui in ipsas dividitur, sunt minores illa; si autem ad partes, in quas quælibet ipsarum usque in infinitum dividi potest, comparentur, sunt majores illis. *Indeterminata* dicuntur; quia cùm secundùm illas sit divisibile continuum in infinitum, nequeunt certo, & determinato numero comprehendi. *Se communicantes* dicuntur; quia sicut continuum includit duas medietates, in quas dividitur, ita quælibet ex his medietatibus etiam includit alias medietates, in quas etiam dividitur, & similiter quælibet istarum, & aliarum usque in infinitum; His tamquam præviis ad terminorum intelligentiam, & ad auferendam æquivocationem, sit

SECTIO II.

In qua resolvitur quæstio.

9 Dicimus: continuum non componitur ex solis indivisibilibus, sed ex partibus divisibilibus in semper divisibilia, prædictis indivisibilibus inter se copulatis. Pluribus authoritatibus Arist. solet conclusio probari, quas brevitatis causa apud alios videndas relinquimus, & unica communi, sed semper efficaci ratione conclusio probatur.

10 Continuum quantitativum est extensum in ordine ad locum ita ut una pars illius sit extra aliam: sed si ex solis indivisibilibus componeretur, non esset sic extensum: ergo. Prob. min. quia indivisibile additum indivisibili, non facit majus, seu magis extensum: ergo duo indivisibilia unita non constituerent majus, seu magis extensum, quàm unicum tan-

tùm

tùm divisibile; & consequenter neque plura, aut infinita indivisibilia inter se unita; eadem enim est ratio de duobus, ac de pluribus. Prob. antec. quia indivisibile additum indivisibili, tangeret ipsum secundum se totum (non enim posset illud tangere secundum partem, cùm indivisibile partes non habeat) sed quando aliqua se tangunt secundùm se tota, non habent majorem extensionem, seu non occupant majus spatium simul, quàm quodlibet seorsim: ergo indivisibile additum indivisibili, non facit majus, seu magis extensum in ordine ad locum. Minor; præterquamquod ex se videtur clara, sic exemplis ostenditur; si duo corpora se tangant secundùm se tota, ut contingeret, si penetrarentur, non occuparent simul majus spatium, quàm quodlibet seorsim. Similiter si duo indivisibilia penetrarentur, non magis se tangerent secundùm se tota, quàm si ponerentur simul modo assignabili à contrariis ad constituendum continuum, & in tali casu non majus spatium occuparent simul, quàm quodlibet seorsim: ergo quomodocumque ponantur, cùm se tangant secundùm se tota, non habebunt majorem extensionem, seu non occupabunt majus spatium simul, quàm seorsim; ac per consequens, &c.

11 Et potest confirmari; quia nequit dari effectus formalis, quin detur forma tamquam causa talis effectus; ergo nequit dari extensio, quæ non proveniat ab aliqua forma; sed si continuum constitueretur ex solis indivisibilibus, non daretur forma tribuens effectum extensionis; ergo continuum non esset extensum. Prob. min. quia si daretur aliqua talis forma, vel essent ipsa indivisibilia; Et hæc non; quia quod est indivisibile, & inextensum, nequit extensum, & divisibile formaliter cõstituere; vel esset unio illorum. Et neque hæc; quia vel talis unio esset indivisibilis. Et sic idem dicendum venit de illa, ac de ipsis indivisibilibus; vel esset divisibilis.

ergo à forma formaliter extensa: sed extensio continui provenit à suis partibus: ergo tales partes debent esse formaliter entensæ; sed indivisibilia, ut fatentur sic respondentes, non sunt formaliter extensa: ergo nequit ex solis indivisibilibus constitui continuum formaliter extensum. Hæc impugnatio fundatur in eò quod effectus formalis, ut est extensio continui, nequit provenire, nisi à forma formaliter tali; quòd autem aliquid sit tantùm virtualiter tale, solùm facit, quod in genere causæ efficientis possit aliquid causare, non verò in genere causę formalis; quia cùm causatio efficiens sit extrinseca, potest aliquod agens aliquid efficienter producere, quin sit formaliter tale, eò quod sit tale virtualiter; ut Sol, qui licèt non sit formaliter calidus, eò quod sit calidus virtualiter, potest calorem efficienter producere: at verò, cùm causatio formalis sit intrinseca per communicationem ipsius causæ, nequit aliquid formaliter causari, nisi à forma formaliter tali, & cùm partes continui, non in genere causæ efficientis, sed in genere causæ formalis, & per sui communicationem causent extensionem continui, necessariò debent esse formaliter extensæ, & non tantùm virtualiter: cujusmodi non sunt indivisibilia; quapropter nequit continuum ex solis indivisibilibus constituit, sed ex partibus divisibilibus in infinitum.

14 Hac conclusione supposita, adhuc dubitatur, an prædictæ partes sint inter se realiter distinctæ? Ad quod est communior responsio, partes, ex quibus componitur continuum, esse inter se realiter distinctas cum hac tamen differentia, quod partes aliquotæ distinguuntur distinctione reali actuali, quæ simpliciter, & adæquatè est talis; partes verò proportionales distinguuntur reali, & actuali distinctione, quę tantùm serundùm quid, & inadæquatè est talis, quippe distinctio includentis ab incluso; quæ

differentia patet ex explicatione prædictarum partium.

15 Responsio, præterquamquod est Aristot. pluribus in locis à recentioribus cit. probatur ratione: quia quando unum potest realiter existere, quin aliud existat; juxta illud Arist. 7. Physic. cap. 1. *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem*; & etiam, quæ realiter possunt separari, realiter distinguuntur: sed partes continui possunt separari; imò potest una existere realiter, quin alia existat; ut contingeret si Deus, vel aliquod agens naturale destrueret unam partem continui, v.g. ligni, altera remanente: ergo partes continui actu realiter distinguuntur.

16 Ex quo deducitur, quod etiam indivisibilia, quibus partes continui copulantur, & terminantur, realiter inter se, & à partibus distingui; patet enim, quòd in divisione continui corrumpitur aliquod indivisibile, cæteris manentibus; & similiter in continuatione duarum partium destruuntur duo indivisibilia continuativa ipsarum partium, ipsis partibus, & aliis indivisibilibus non destructis; quæ & alia, quæ hic solent adduci, evidenter ostendunt distinctionem realem indivisibilium, tam inter se, quàm à partibus continui.

SECTIO III.

In qua respondetur ad argumenta.

17 PLura argumenta contra nostram conclusionem solent objici à sectatoribus sententiæ Zenonis, ex quibus præcipua, & ex quorum solutione solutio aliorum facilè deducitur, proponemus. Igitur

18 Argum. 1. Numerus componitur tamquam ex partibus integrantibus ex unitatibus in-

indivisibilibus in ratione numeri, licèt numerus di visibilis sit: ergo similiter continuum, licèt sit divisibile, componitur ex indivisibilibus. Resp. neg. conseq. & parit. Ratio disparitatis est clara; quia numerus, seu quantitas discreta solùm consistit in multitudine partium, ad quam multitudinem non conducit, quòd partes sint extensæ, seu divisibiles, vel non; at verò continuum dicit extensionem continuam partium in ordine ad spatium loci; quæ extensio nequit illi provenire ab indivisibilibus, ut dictum est in nostra ratione.

19 Argum. 2. Si continuum componeretur ex partibus divisibilibus in infinitum, cùm illæ partes sint realiter distinctæ, essent in continuo infinitæ partes realiter distinctæ: ergo daretur in actu numerus infinitus, seu multitudo infinita. Resp. disting. seq. antec. essent in continuo infinitæ partes continuæ, & se communicantes, concedo; infinitæ partes discretæ, divisæ, & se non communicantes, nego, & neg. conseq. Numerus enim, seu multitudo infinita non constituitur ex partibus continuis, seu non divisis, sed ex partibus divisis, & discretis, cùm numerus, seu multitudo non sit quantitas continua, sed discreta; solùm enim sequitur, quòd daretur infinita multitudo in potentia, seu syncategorematicè, eò quod continuum constat ex partibus in infinitum syncategorematicè, seu in potentia divisibilibus, quod nullum est inconveniens,

20 Argum. contra: partes realiter distinctæ sunt partes numero distinctæ: sed quæ numero distinguuntur, constituunt multitudinem, seu numerum: ergo si in continuo sunt infinite partes, dabitur infinitum in actu secundùm multitudinem, seu numerum. Resp. 1. neg. maj. quia non est universaliter verum, omnia, quæ realiter distinguuntur, numero distingui; quantitas enim (& quodlibet aliud continuum)

sit

ctione aliarum, eò quod in illa includatur, & cum illa se communicet, modo ibi explicato; non sequeretur, continuum habere infinitam extensionem, sed potiùs sequeretur, omnes illas partes tantùm finitam extensionem habere; sicut continuum finitam extensionem habet; eò quod extensio illarum non est distincta ab extensione continui, imò cum illa se communicat, seu est eadem; & similiter solùm sequitur, quòd extensio finita continui, v.gr. palmaris sit divisibilis in infinitum versus parvitatem, quòd nullatenus auget extensionem continui: cùm ergo tantùm infinitas partes proportionales, seu divisibilitatem in infinitum in prædictas partes; non verò infinitas partes aliquotas, seu divisibilitatem in infinitum in prædictas partes, adstruamus in continuo, nullatenus sequitur, dari actualiter in illo infinitam extensionem.

23 Argum. 3. Si continuum non ex solis indivisibilibus, sed ex partibus divisibilibus in infinitum componeretur, non posset Deus continuum ultimatè dividere: hoc non est dicendum: ergo. Major patet; quia si constaret continuum partibus semper divisibilibus, quacumque divisione facta, adhuc partes remanerent divisibiles. Prob. min. quia quantitas potest augeri in infinitum, sicut continuum in infinitum potest dividi: sed potest Deus potentiam quantitatis ad infinitum augeri reducere ad actum: ergo etiam poterit reducere ad actum potentiam continui ad dividi in infinitum; aliàs esset frustranea talis potentia. Resp. concessa maj. neg. minor. & paritatem, prob. Disparitas stat in differentia rerum permanentium, & successivarum; partes enim permanentium possunt esse simul; & sic potentia ad illas, & si sit ad infinitas, potest simul reduci ad actum ab agente infinitæ virtutis: at verò partes rerum suc-

successivarum non possunt esse simul, sed essentialiter exigunt esse una post aliam; & sic potentia ad illas nequit simul, sed successivè ad actum reduci, & si fuerit potentia ad infinitas partes, non poterit totaliter reduci ad actum, etiam ab agente infinitæ virtutis; aliàs infinitum exhauriretur successivè, & per partes, quod naturæ infiniti repugnat.

24 Cùm ergo partes quantitatis quoad augmentum respiciant quantitatem ut permanentem: partes verò continui respiciant illud ut successivè divisibile; hinc est, quòd potentia quantitatis adaugeri in infinitum, potest à Deo ad actum reduci; potentia verò continui ad dividi in infinitum non potest simul à Deo reduci ad actum. Neque ex hoc sequitur, quòd talis potentia sit frustranea; nam cùm solùm sit potentia ad dividi successivè in infinitum, non verò ad simul dividi, non frustratur ex eo, quod simul non possit ad actum reduci, cùm tamen possit successivè in infinitum reduci ad actum. Videatur Scotus in 2. distinct. 2. quæstion. 9. §. *omittendo igitur*, *vers. Ad primum dicitur*, sub litt. H. ubi dicit: *Licèt possibile sit, continuum posse dividi secundùm omne signum, non tamen est possibile divisum esse; quia ista divisio est in potentia, & in fieri, & numquam potest esse tota in facto esse*. Quod ibi latè prosequitur.

25 Ex quo deducitur solutio ad aliquas replicas; & observando, quòd in continuo post indivisibile terminativum, seu initiativum, vel quodcumque aliud, quod assignetur, non datur aliqua pars, seu aliquod indivisibile, quæ vel quod immediatè sequatur ad illud indivisibile determinatum, sed assignata qualibet parte, vel quolibet indivisibili, post illud indivisibile determinatum, est assignabi-

bilis alia, & alia pars immediatior, & aliud, & aliud indivisibile immediatius usque in infinitum, eò quòd quælibet pars continui est divisibilis in semper divisibilia, & constans infinitis partibus proportionalibus infinitis indivisibilibus copulatis. Et similiter observando, quòd licèt indivisibilia realiter distinguantur à partibus, nequit Deus destruere omnia indivisibilia non destructo continuo, & omnibus partibus illius; eò quòd prædictæ partes, cùm sint divisibiles essentialiter, & ejusdem rationis cum continuo, essentialiter dependent ab indivisibilibus, quibus inter se continuantur. Unde destructis omnibus indivisibilibus, nulla pars in esse talis remaneret.

26 Argum. 4. Si continuum ex partibus divisibilibus in infinitum constitueretur, non essent plures partes in quantitate magna, ac in quantitate parva, v.g. in monte, quàm in parvo lapide: hoc est falsum, aliàs omnes quantitates essent æquales: ergo. Resp. concedendo seq. de partibus proportionalibus: nam quælibet quantitas, sive magna, sive parva habet infinitas partes proportionales, & unum infinitum non est majus alio formaliter, ut dictum est lib. 3. loquendo de infinito. Negamus tamen minorem; quia ex hoc non sequeretur, omnes quantitates esse æquales; nam æqualitas, & inæqualitas quantitatis non desumitur ex partibus proportionalibus, sed ex partibus aliquotis; & certum est, quantitatem majorem habere plures partes aliquotas, quàm quantitatem minorem, si prædictæ partes aliquotæ æqualiter designentur.

27 Arg. 5. si continuum ex partibus divisibilibus in infinitum constitueretur, plura inconvenientia sequerentur. Primum nul-

lum

cimus, quòd licèt in unica hora sint infinita instantia, non tamen actu signata, seu actu signabilia cum ordine prioris, & posterioris successivè, sed tantum, ita ut quolibet possit signari seorsim. Unde, licet Deus in quolibet instanti, quòd vellet signare; posset producere unum Angelum, & in alio, quòd etiam vellet signare, posset alterum Angelum producere, tamen inter illa duo instantia signata necessariò intercederent infinita instantia, cùm necessario intercederet pars temporis, quæ esset in infinitum divisibilis. Unde, licèt posset Deus designare plura instantia in spatio unius horæ, & in illis plures Angelos successivè producere, non tamen posset infinita instantia assignare successivè, & sic nec infinitos Angelos in unica hora successivè producere. Per quod patet ad 3. concedimus enim non posse Deum unum Angelum creare in instanti, & immediatè in alio instanti alterum Angelum creare, cùm non detur unum instans alteri immediatum, sed inter instans, & instans semper mediet pars divisibilis in semper divisibilia, & consequenter semper medient infinita instantia.

30 Argum. 6. si corpus perfectè sphæricum super corpus perfectè planum constitueretur, illud solùm in puncto tangeret: ergo si continuè moveretur super illud planum, semper illud tangeret in puncto; & consequenter illud planum ex solis punctis, seu indivisibilibus est compositum. Respond. 1. quòd, licèt corpus sphæricum, dum est quiescens in plano, illud solùm in puncto attingat, & talis contactus dicatur illi adæquatus; tamen dùm motu continuo, & successivo pro aliquo spatio temporis decurrit aliquam longitudinem illius plani, tunc non in solo puncto, sed in tota illa longitudine tangeret planum,

&

& talis contactus non esset adæquatus, sed inadæquatus puncto corporis sphærici, quo planum tangeret; & similiter talis contactus non esset permanens, sed successivus. Quod potest exemplificari in aliis motibus; nam quantitas digitalis, v.g. licèt in quiete non tangat spatium palmare, sed tantùm digitale adæquatè; tamen motu continuo, & successivo pro aliquo tempore tangit spatium palmare non permanenter, & adæquatè, sed successivè, & inadæquatè.

31 Resp. 2. quòd corpus sphæricum, dum movetur super planum, non tangit illud nisi in puncto, sed talis contactus non est continuus, sed discretus. Neque ex hoc infertur, talem motum non esse continuum; quia spatium, per quod movetur corpus sphæricum, non est corpus planum præcisè, quod in solis punctis tangit, sed etiam est aer circundans corpus sphæricum à parte superiori, & inferiori, quem corpus sphæricum non in solis punctis, sed etiam in partibus tangit; unde sequitur, quòd talis motuus sit continuus, quippè per spatium continuum non solùm ex punctis, sed etiam ex partibus in infinitum divisibilibus constans. Quælibet solutio videtur sufficiens; licèt in hac materia numquam quiescat, sed semper in motu, propter difficultatem illius, sit intellectus.

QUÆSTIO II.

In qua examinantur aliqua dubia.

1 DUbitatur 1. an indivisibilia, tam continui permanentis, quàm successivi, sint res, an modi? Per modos intelligimus quasdam entitates imperfectas, & incompletas quæ per se non constituunt aliquod genus, vel speciem, neque sunt partes alicujus entis, sed puræ modificationes entium ad illorum genus, vel speciem reductivè spectantes: non autem intel-

telligimus per modos quælibet accidentia, quæ modificare substantiam dicuntur; hæc enim sunt verè res per se ad aliqua prædicamenta pertinentia. Et difficultas est de indivisibilibus, ut talia sunt formaliter; nam in alio sensu supponitur tamquam certum, aliqua indivisibilia verè esse res, & pertinere ad determinatam speciem, ut dictum est de linea, & superficie in Logica loquendo de quantitate. Nunc

2 Resp. ad dubium, prædicta indivisibilia non res, sed modos esse appellanda. Responsio est valdè communis, & probatur ex eo quòd indivisibilia sunt entitates imperfectæ, & incompletæ, & per se non constituentes aliquod genus, vel speciem, & sunt puræ modificationes partium continui, non tamen partes illius, & reductivè pertinent ad prædicamentum illius continui, cujus partes copulant, seu terminant: hæ sunt conditiones requisitæ ad rationem modi: ergo.

3 Et potest confirmari: quia si indivisibilia non essent puræ modificationes partium continui, sed essent res, & partes ipsius continui, necessariò deberent assignari alia indivisibilia, quibus cæteris partibus continui conjungerentur, quod nullus admittit; nam prædicta indivisibilia non conjunguntur partibus ut *quod*, sed ut *quo*; id est, non sunt extrema, quæ conjunguntur, sed sunt id, quo extrema, seu partes continui conjunguntur. Ex quo sequitur, quòd indivisibile undequaque, ut est punctum, non posset existere, adhuc supernaturaliter, à partibus separatum; cùm nullatenus sit res, cui solùm per se existere convenire potest.

4 Argum. contra: nequit modus existere, quin simul existat res, cujus est modus; sed indivisibilia temporis (idem est de indivisibilibus motus) existunt non existentibus partibus; ergo non sunt modi. Resp. disting. maj. nequit modus existere, quin simul existat res, cujus est modus.

exi-

contra motum indivisibilis separati: ergo.

6 Arg. contra; si indivisibile separatum moveretur, vel esset totum in termino *à quo*, vel totum in termino *ad quem*; vel partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*? Si primum; ergo nondum movetur. Si secundum; ergo jam non movetur, sed est motum. Si tertium; ergo non est indivisibile; ergo non est dicendum, quòd indivisibile separatum possit moveri.

7 Pro hujus, & aliorum argumentorum, & aliquarum auctoritatum Aristot. notat Scotus cit. lit. V. quòd motus localis potest esse continuè successivus ex duplici capite, scilicet ex divisibilitate, seu extensione mobilis, & ex divisibilitate, seu extensione spatii; & ex quocumque capite potest motus esse successivus continuè; nam mobile prius unam partem spatii, quàm aliam pertransit, & sic daretur continua successio in motu proveniens ab spatio, licèt mobile esset indivisibile. Similiter spatium, prius pertransit unam partem mobilis, quàm aliam, & sic daretur continua successio in motu proveniens ex mobili, etiam si spatium esset indivisibile. Nunc

8 Resp. ad argumentum, quòd indivisibile separatum quando localiter moveretur, talis motus esset continuè successivus non ratione mobilis, sed ratione spatii; & sic non esset partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; sed hoc conveniret spatio, ita ut de illo verificaretur, partim esse in termino *ad quem*, & partim in termino *à quo*; quia hoc solùm debet verificari de illo ex quo sumitur successio continua motus. Idem possit dici de præsentia, quam haberet mobile in illo spatio, scilicet, partim esse in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem* successivè, seu partim in actu, & partim in potentia, eò quòd talis præsentia esset divisibilis, & extensa successivè ex parte spa-

spatii. Hoc intelligitur juxta primam responsionem ad 6.arg. quæst. antec. Juxta secundam verò quid sit tenendum quisque videat.

9 Dubitatur 3. an in motu detur aliquod indivisibile initiativum illius, & intrinsecum illi? Pro responsione nota, quòd sicut indivisibilia temporis dicuntur instantia, ita indivisibilia motus dicuntur *mutata esse*; quæ quidem ut tale nomen sortiantur, necessariò præsupponunt aliquam partem motus, hoc enim sonat ipsum nomen *mutatum esse*; ex quo facilè deducitur, quòd in motu, licèt dentur indivisibilia, tam terminativa, quàm continuativa, ut omnes fatentur, quæ propriè *mutata esse* dicantur; non tamen datur in motu indivisibile initiativum, quod mutatum esse dicatur. Unde dubium non procedit circa nomen *mutatum esse*; sed solùm circa indivisibile initiativum motus, à nomine, quo appellari debeat abstrahendo. Nunc

10 Resp. ad dubium affirmativè. Probatur: quia motus, si sumatur materialiter, debet proportionari cum suo termino, ita ut partes divisibiles motus correspondeant partibus indivisibilibus termini, & indivisibilia motus indivisibilibus termini; motus enim, & terminus sunt eadem res, licèt in diverso statu; sed terminus motus quicumque sit, habet indivisibile intrinsecum, tam terminativum, quàm initiativum; ergo idem dicendum est de motu. Propter eamdem rationem idem videtur dicendum de motu formaliter sumpto, seu de tempore intrinseco, à quo motus materialiter sumptus, seu forma in fieri fluens, & successivè durans formaliter denominatur; quia uterque motus debet inter se proportionari ita ut pars parti, & indivisibile indivisibili correspondeat.

DISP.

DISP. II.

De inceptione, & desitione rerum; de magnitudine, & parvitate illarum.

TAm corporis naturalis, quàm cujuslibet continui sunt affectiones distributione accommoda inceptio, desitio, magnitudo, & parvitas; de quibus communiter in præsenti agitur.

QUÆSTIO I.

Quomodo res incipiant, & desinant esse.

1 DUplex communiter assignatur modus, tam incipiendi, quàm desinendi rerum; alter intrinsecus, & extrinsecus alter: Modus intrinsecus inceptionis dicitur illud instans, in quo res habet esse, & immediatè antea non habebat, ita ut de illa verificetur: *Nunc est, & tempore immediato non erat*. Modus intrinsecus desitionis dicitur illud instans, in quo res habet esse, & immediatè post non habebit, ita ut de illa verificetur: *Nunc est, & tempore immediato non erit*; qui modus incipiendi, & desinendi dicuntur intrinseci rei, quia pro illis instantibus res habet suum esse; & ita dicitur incipere per primum sui esse, & desinere per ultimum sui esse.

2 Modus extrinsecus inceptionis dicitur illud instans, in quo res non habet esse, & immediatè post habebit, ita ut de illa verificetur: *Nunc non est, & tempore immediato erit*. Modus extrinsecus desitionis dicitur illud instans, in quo res non habet esse, & immediatè antea habebat, ita ut de illa verificetur: *Nunc non est, & tempore immediato erat*: qui modus incipiendi, & de-

& desinendi dicuntur extrinseci rei; quia pro illis instantibus res non habet suum esse; & ita dicitur incipere per ultimum sui non esse, & desinere per primum sui non esse.

3 Ubi advertendum est, quod modus intrinsecus incipiendi rei, etiam dicitur intrinsecus actioni productivæ ipsius rei, ita ut verum sit dicere: *Nunc est actio productiva, & tempore immediato non erat*. Modus etiam extrinsecus incipiendi rei similiter dicitur extrinsecus actioni productivæ, ita ut verum sit dicere: *Nunc non est actio productiva, & tempore immediato erit*. Modus autem intrinsecus desitionis rei est extrinsecus actioni destructivæ, ita ut verum sit dicere: *Nunc non est actio destructiva, & tempore immediato erit*. Modus verò extrinsecus desitionis rei est intrinsecus actioni destructivæ, ita ut verum sit dicere: *Nunc est actio destructiva, & tempore immediato non erat*. Quorum ratio est; quia nequit dari terminus sine actione, neque actio sine termino: sed si omnia supradicta non sic se haberent, vel daretur rerminus sine actione, vel actio sine termino, ut patebit scrutanti per singula: ergo. Nunc facilè per sequentes conclusiones, tam circa res successivas; quàm permanentes, resolvitur quæstio.

4 Dicimus 1. res successivæ, ut sunt motus, & tempus, incipiunt extrinsecè, seu per ultimum sui non esse, & desinunt extrinsecè, seu per primum sui non esse. Conclusio est communis, & probatur: quia illa incipiunt extrinsecè, & per ultimum sui non esse, de quibus in instanti inceptionis verificatur non habere esse, & illud habitura immediatè post: sed de successivis, cùm habeant partes, quæ nequeunt esse in unico instanti, hoc verificatur: ergo incipiunt extrinsecè. Deindè, illa desinunt extrinsecè, & per primum sui non esse, de quibus in instanti desitionis verificatur non habere esse, & illud

illud habuisse immediatè antea; hoc verificatur de successivis, cùm nequeant habere suum esse, quod ex partibus componitur, in unico instanti; ergo desinunt extrinsecè.

5 Neque ex hoc inferas, motum non habere indivisibile intrinsecum initiativum, & terminativum; quia, licèt tale indivisibile habeat, ut dictum est in fine quęst.antec.benè componitur, quod incipiat, & desinat extrinsecè; eò quod inceptio, & desitio motus respiciunt motum ut talem, id est quatenus compositum ex pluribus partibus successivis; & cum pro indivisibili non habeat prædictas partes, bene potest pro indivisibili, licèt intrinseco, verificari, quod non est motus, quod solùm requiritur, ut extrinsecè incipere, & desinere dicatur.

6 Dicimus 2. indivisibilia, tam initiativa, quàm continuativa, & terminativa successivorum, incipiunt, & desinunt intrinsecè. Conclusio etiam est communis, & patet ex eo, quòd prędicta indivisibilia pro unico tantùm instanti habent esse, & sic incipiunt per primum sui esse, ita ut verificetur de quocumque: *Nunc est*, & *tempore immediato non erat*; & desinunt per ultimum sui esse, ita ut de quolibet verificetur: *Nunc est*, & *immediato tempore non erit*: hoc est incipere, & desinere intrinsecè: ergo.

7 Dicimus 3. omnia, quæ fiunt per motum, incipiunt, & desinuut extrinsecè. Conclusio etiam est communis, & probatur: quia quæ fiunt, & desinunt per motum, conformantur in sua inceptione, & desitione cum inceptione, & desitione ipsius motus, ita ut successivè acquirantur per partes, & per partes destruantur, sicut ipse motus: ergo sicut pro instanti, tam inceptionis, quàm desitionis, verificatur de motu, quod non est, & tempore immediato erit, vel erat; ita verificatur de rebus, quæ incipiunt, & desinunt per motum; & ita incipiunt per ultimum sui non esse, & desinunt per primum sui

non esse; & consequenter incipiunt, & desinunt extrinsecè. Hoc intelligitur de illis, quæ incipiunt, & desinunt, sicut incipit, & desinit motus, hoc est ita, ut partes illius nullatenus perseverent; at verò illa, quæ post productionem perseverant in suo esse, & postea desinunt per motum, non extrinsecè, sed intrinsecè desinunt, ita ut verum sit dicere: *Nunc est res, & immediatè post non erit*; quod benè nota.

8 Si autem inquiras, quænam sint illa, quæ fiunt, & desinunt per motum? Resp. per se solùm esse quantitatem, qualitatem, & *ubi* modo dicto lib. 5. disp. unica, quæst. 1. per accidens verò etiam formam substantialem. Quomodo autem hoc veniat intelligendum, deducendum est ex dicendis in lib. de generat. præcipuè loquendo de motu nutritionis.

9 Dicimus 4. res permanentes, quæ in sua inceptione, & desitione non subduntur motui, incipiunt intrinsecè, & per primum sui esse, & desinunt extrinsecè, & per primum sui non esse. Conclusio etiam est communis, & probatur: quia prædictæ res incipiunt simul secundùm omnes suas partes (si fortè illas habeant) & non successivè, & pars post partem; & similiter desinunt esse simul: ergo in inceptione illarum verificatur de qualibet: *Nunc est, & tempore immediato non erat*, quòd est incipere intrinsecè; & in desitione verificatur; *Nunc non est; & tempore immediato erat*, quod est desinere extrinsece: ergo.

10 Si autem inquiras, quænam sint, quæ non subduntur motui? Resp. Angelum, & animam rationalem, & materiam primam; & licèt non possint naturaliter desinere, possunt tamen desinere per annihilationem virtute agentis supernaturalis; quę quidē desitio esset extrinseca; quia quando poneretur actio annihilativa, verificaretur *non esse* cujuslibet ex supradictis; sicut in productione cujuslibet illorum, scilicet

in

in creatione verificatur *esse* illius; & ratio est, quia sicut creatio est actio correspondens unico instanti nostri temporis, ita & annihilatio; sed in instanti creationis verificatur *esse* rei creatæ; eo quòd tale *esse* est terminus creationis, & nequit dari actio sine termino: ergo propter eamdem rationem in instanti annihilationis verificatur *non esse* rei; cùm tale *non esse* sit terminus illius.

11 Formæ substantiales, materiales licèt ex natura sua non exigant fieri per motum, neque per motum desinere;& sic ex natura sua exigunt incipere intrinsecè, & per primum sui esse, & desinere extrinsecè, & per primum sui non esse ad modum rerum permanentium, quæ motibus non subduntur; tamen, quia juxta communem modum operandi agentium naturalium, & ratione dispositionum, & extensionis subjecti, motibus saltim per accidens subduntur incipiunt, & desinunt extrinsecè,& ad modum rerum successivarum; ut ampliùs patebit in lib. de generat. loquendo de nutritione.

12 Hic ordo incipiendi, & desinendi rerum, ita est necessarius, ut neque supernaturaliter possit inverti; nisi loquendo de rebus, quæ fiunt per motum; nam licèt naturaliter exigant successivè fieri, & incipere extrinsecè, & per ultimum sui non esse, possunt tamen supernaturaliter in instanti produci, & sic intrinsecè, & per primum sui esse incipere. Cujus ratio est, quia duratio successiva est accidens, & quantitas realiter distincta à re, quæ fit per motum, sicut extensio permanens est accidens quantitativum substantiæ: sed potest, supernaturaliter substantia esse sine quantitate, seu sine extensione quantitativa; ergo etiam quælibet res, quæ fit per motum, potest fieri sine illo, seu sine extensione successiva, ac per consequens, &c.

13 Etiam loquendo de rebus, quæ incipiunt

intrinsecè, & desinunt extrinsecè, vel intrinsecè juxta dicta, numer. 7. ut sunt quæ motibus non subduntur, potest prædictus ordo inverti à Deo; potest enim Deus aliquid producere in unico instanti, & ampliùs illud non conservare, & tunc tantùm pro illo instanti duraret, & sic incipere intrinsecè, & per primum sui esse, & desinere intrinsecè, & per ultimum sui esse, ut dictum est de indivisibilibus, concl. 2. tunc enim idem esset primum, & ultimum esse.

QUÆSTIO II.

An tam viventia, quam non viventia habeant terminos magnitudinis, & parvitatis.

1 HÆc difficultas non procedit supernaturaliter loquendo; supponitur enim tamquam certum apud omnes, posse Deum de potentia absoluta quodcumque corpus sive vivens, sive non vivens sub quacumque quantitate majori, vel minori conservare. Solum ergo procedit difficultas de naturali exigentia corporum; quæ valdè prolixè ab aliquibus exagitatur, magis confusionis, quam claritatis adducentibus; sed quia plura, quæ hic solent disputari, ex alibi dictis, & dicendis deducuntur; nunc claritate, & brevitate possibili in hac quæstione procedemus; pro qua.

2 Notandum est, duplicem communiter assignari terminum, tam magnitudinis, quam parvitatis; alterum intrinsecum; & extrinsecum alterum. Terminus intrinsecus magnitudinis dicitur illa quantitas, sub qua ita res potest esse, & conservari, ut sub majori neque esse, neque conservari possit; quapropter hic terminus communiter dicitur *maximum quod sic*; est enim maxima quantitas, quam res potest

test naturaliter habere. Terminus extrinsecus magnitudinis dicitur illa quantitas, sub qua nequit res esse, aut conservari, licèt possit esse, & conservari sub quacumque minori; quapropter hic terminus solet dici *minimum quod non*, est enim minima ex omnibus quantitatibus, sub quibus res nequit esse, aut conservari, sua quantitate majoribus.

3 Terminus intrinsecus parvitatis dicitur illa minima quantitas, sub qua res potest esse, & conservari, ita ut sub minori non possit; quapropter dicitur hic terminus *minimum quod sic*; est enim illa minima quantitas, sub qua res esse, & conservari potest. Terminus extrinsecus parvitatis dicitur illa quantitas, sub qua res nequit esse, aut conservari, licèt possit esse, & conservari sub quacumque majori, quousque ad suum terminum magnitudinis perveniat, sic habeat talem terminum; quapropter hic terminus dicitur *maximum quod non*; est enim maxima quantitas ex omnibus quantitatibus minoribus quantitate ipsius rei, quam res non potest habere. Hoc notato.

4 Dicimus 1. omnia viventia ex sua intrinseca natura exigunt terminos intrinsecos magnitudinis, & parvitatis. Hæc conclusio est communis, & deducitur ex Arist. Phys. text. 36. & lib. 4. de generat. animal. cap. 4. & 2. de Anima text. 4. quem sequitur Scotus 1. Physic. quæst. 12. & 13. De termino parvitatis probatur: quia viventia exigunt organizationem partium, & membrorum, & etiam dispositionem potentiarum, & sensuum: hæc omnia exigunt ex natura sua determinatam extensionem: ergo non poterunt esse, aut conservari in minori, & minori extensione; & consequenter viventia habent rerminum intrinsecum parvitatis.

5 De terminis magnitudinis probatur: quia viventia augentur per intus sumptionem actione

caloris naturalis potentiæ nutritivæ : ergo solùm posſunt augeri juxta virtutem ipſius calori, naturalis : ſed talis virtus, & habet terminum in ſua activitate, ita ut non augeatur ex augumento viventis, imò debilitetur ex ratione alimentorum : ergo etiam viventia habent terminum intrinſecum in augumento.

6 Ubi advertendum eſt, quòd concluſio intelligitur de viventibus quoad ſtatum perfectum, & perfectæ diſpoſitionis; non tamen quoad ſtatum imperfectum, imperfectæ diſpoſitionis, ſcilicet infirmitatis, ſeu viæ corruptionis; in hęc enim ſtatu benè poſsunt conſervari viventia pro aliquo tempore cum majori, vel minori extenſione, quam illa, quæ ad ſuam perfectam diſpoſitionem requiritur. Tamen adhuc in ſtatu imperfecto habent viventia terminos magnitudinis, & parvitatis; ſed eſt controverſia, an ſint intrinſeci, vel extrinſeci.

7 Probabilius videtur, eſſe terminos extrinſecos, & poteſt probari ex eo, quòd viventia, cùm definant eſſe in inſtanti, neceſsariò deſint extrinſecè, & per primum ſui non eſse. Nunc ſic; demus caſum, quòd augeatur vivens in ſtatu imperfecto uſque ad magnitudinem, in qua nullatenus poſſit conſervari, tunc neceſsariò erit aliquod inſtans temporis, in quo verificetur: *Nunc non eſt vivens, & immediatè anteà erat*: ergo in illo inſtanti dabitur quantitas, quæ ſit terminus magnitudinis viventis in ſtatu imperfecto: ſed non eſset terminus intrinſecus, ſed extrinſecus, cùm ſub illa quantitate non poſſit eſse, neque conſervari vivens, benè tamen ſub qualibet minori: ergo. Similiter poteſt probari de termino parvitatis. Neque apparet quid contra hoc poſſit obiici, niſi dicatur, viventia deſinere in tempore, ſeu intrinſecè, & per ultimum ſui non eſse, ita ut verum ſit dicere: *Nunc eſt vivens, & immediatè poſt non erit*, quòd ferè nullus concedit.

8 Dicimus 2. non viventia non habent terminum intrinsecum magnitudinis, nec parvitatis. Conclusio deducitur ex Arist. 2. de Anima text. 41. præcipuè quoad terminum magnitudinis; quam tenent communiter Scotistæ cum Scoto 1. Physic. quæst. 12. & 13. & in 2. dist. 2. quæst. 9. §. *omittendo igitur, vers. Secunda responsio*; & deinceps, litt. F. Procedit tamen ex utraque parte contra aliquos Thomistas.

9 Prima pars probatur: quia non viventia augentur per juxta positionem, & conjunctionem unius cum alio, non autem per intus sumptionem, sicut viventia: sed nullum est conveniens in hoc, quod naturaliter possint conjungi plura corpora ejusdem rationis usque in infinitum syncategorematicè; cur enim aquæ, v.g. licèt maximam molem habeat, non poterit addi alia, & alia pars, quibus major, & major fiat? Ergo non viventia non habent terminum intrinsecum magnitudinis.

10 Et potest confirmari; quia ignis, quo major, habet majorem virtutem ex eo, quod virtus unita, quomodocumque, major est seipsa dispersa: ergo constitutus ignis in quacumque magnitudine, potest comburere quodlibet combustibile sibi applicatum, & sic augeri; ergo non est cur illi secundum suam naturam assignetur terminus intrinsecus magnitudinis.

11 Argum. contra: forma substantialis cujuslibet entis naturalis habet certam, & determinatam perfectionem: sed quantitas quoad suam determinationem sequitur formam; ergo quodcumque ens naturale est determinatum ad certam, & determinatam quantitatem; & consequenter habet terminum intrinsecum magnitudinis. Resp. disting. maj. forma substantialis habet certam, & determinatam perfectionem intensivam, concedo; extensivam, nego. Similiter disting. min. quantitas quoad suam determinationem sequitur formam, quoad esse

intensivum formæ, nego; quoad esse extensivum, concedo, & neg. consequent. forma enim substantialis est determinata quoad perfectionem intensivam, quæ est perfectio entitativa constituens formam in perfectiori gradu entis; non autem est determinata quoad perfectionem extensivam; nam licèt hæc fiat per additionem novæ partis formæ substantialis, non tamen est perfectio entitativa; quia non constituit formam præexistentem in perfectiori gradu entis, sed in eodem gradu, quem antea habebat, illam extendit.

12 Probatur 2. pars conclusionis: quia continuum est divisibile in partes, quarum quælibet potest esse hoc aliquid, id est separata ab aliis potest esse individuum in illa specie: sed quodcumque inanimatum in quavis quantitate, licèt minima, est continuum: ergo potest dividi in partes, quarum quælibet separata ab aliis erit individuum in illa specie; ac per consequens non viventia non habent terminum intrinsecum parvitatis.

13 Confirmatur 1. quia si aliquod non vivens divideretur, vel destrueretur ejus forma, vel non? Si non: ergo in qualibet minima quantitate potest esse forma illius; & sic non habebit terminum parvitatis. Si destrueretur, vel adveniret alia forma, vel non? Si non: ergo maneret materia naturaliter sine forma, quod nullus admittit. Si adveniret alia forma; idem argumentum potest fieri de corpore constituto ex materia, & illa forma adveniente & sic in infinitum; quia quodlibet corpus esset continuum, & divisibile: ergo dicendum est, non viventia non habere terminum intrinsecum parvitatis.

14 Confirmatur 2. quia si inanimata habent terminum intrinsecum parvitatis, sit hic terminus quantitas digitalis, ver.gr. & huic applicetur ignis; nunc sic: agens naturale paſ-

so divisibili applicatum, priùs aget in primam medietatem, utpotè sibi proximiorem, quàm in secundam: ergo prius introducet in prima medietate dispositiones requisitas ad introducendam formam ignis, quam in secunda: ergo etiam priùs generabitur ignis in illa medietate, quam in toto passo digitalis quantitatis: ergo illa quantitas digitalis non erit minima quantitas requisita ad generationem ignis; & consequenter neque potest assignari aliqua minima quantitas quæ sit terminus intrinsecus parvitatis; quia de qualibet, quæ assignetur, potest fieri idem argumentum.

15 Argum. contra: quia si ignis, v. g. in minutas partes dividatur, illicò extinguitur, ut patet experientia: sed hoc non contingeret, si non exigeret terminum intrinsecum parvitatis ad suam conservationem: ergo. Confirmatur 1. quia ad introductionem formæ substantialis requiruntur determinatæ dispositiones: sed una illarum est quantitas: ergo requiritur detetmitata quantitas; ac per consequens non viventia habent terminum intrinsecum parvitatis. 2. quia quælibet res est propter suam operationem: sed potest dari quantitas tam exigua, sub qua nequeat ignis suas operationes exercere: ergo ad suas operationes exercendas exigit determinatam quantitatem; ac per consequens, &c.

16 Resp. ad argum. neg. min. non enim citò extinguitur ignis in minutas partes divisus, quia exigit ex sua natura ad sui conservationem determinatam quantitatem; sed quia virtus ad resistendum contrariis circumstantibus per sui divisionem in minutas partes debilitatur; & sic citò superatur, & corrumpitur à contrariis: si autem nullum contrarium adesset, ut si poneretur in vacuo, adhuc in parvissima quantitate conservaretur.

17 Ad 1. confirmat. resp. disting. maj. forma substantialis exigit determinatas dispositiones qualitativas, & quoad intensionem, concedo; determinatas dispositiones quoad extensionem, si est forma viventis, concedo; si est forma non viventis, nego; in hoc enim est controversia, & sic argumentum petit principium. Negamus enim, quod requiratur determinata dispositio extensiva, ut est quantitas, ad formam substantialem non viventium. Vnde sic distincta minori, neg.conseq.

18 Ad 2. confirm. resp. neg. min. in qualibet enim quantitate, licèt minutissima, potest ignis suas operationes proportionaliter exercere; neque oppositum facilè probabitur; licet propter parvitatem nequeat à nostris sensibus percipi.

19 Dubitabis; an quantitas, & qualitas habeant terminos magnitudinis, & parvitatis? Pro quantitate respondetur; quod si consideretur ut est dispositio ad conservationem rerum naturalium, idem dicendum est de illa, quod dictum est de viventibus, & non viventibus distributione accommoda. Si verò secundùm se consideretur, dicimus, illam non habere terminum intrinsecum magnitudinis, nec parvitatis, quod patet ex dictis de non viventibus, eadem enim est ratio de quantitate, & de termino magnitudinis etiam patet ex dictis loquendo de infinito lib.3.

20 Pro qualitate est notandum, quod etiam potest considerari ut est dispositio ad conservationem rei naturalis, & secundùm se; & etiam intensivè, & extensivè. Nunc respondetur, quod si qualitas consideretur ut est dispositio ad conservationem substantiæ, idem dicendum est de illa loquendo de extensione, quod dictum est de quantitate in eodem sensu: loquendo autem de intensione, omnes unanimiter tenent, quod qualitas habet terminos, tam magnitudinis, quam parvitatis ad conservationem substan-

tiæ

tiæ requisitos. Si autem qualitas consideretur secundùm se, videtur dicendum; quod in extensione non habet terminos magnitudinis, & parvitatis; eadem enim videtur ratio de illa, ac de quantitate, & non viventibus. Quoad intensionem verò (supposita divisibilitate graduali qualitatis, ut dicetur in lib. de generation.) dicendum est, qualitatem non habere terminum intrinsecum parvitatis, cum sit quoddam continuum, & sic suo modo in semper di-divisibilia divisibile. De termino autem magnitudinis est specialis difficultas; qui enim tenent, qualitatem non posse in infinitum augeri, adhuc syncategorematicè, consequenter tenent, qualitatem habere terminum intrinsecum magnitudinis; qui verò, qualitatem sic posse in infinitum augeri affirmant, etiam consequenter affirmant, qualitatem non habere terminum magnitudinis. Hæc tamen difficultas resolvitur in Theologia in materia de Incarnatione.

LIBER SEPTIMUS

PHYSICORUM

PEr quinque capita egit Ariſtot. in hoc 7. lib. de aliquibus ad motum, & ad aliquas proprietates illius conducentibus, de quibus aſſueta brevitate diſputabimus. Pro quibus ſit.

DISP. UNICA.

De aliquibus ad motum pertinentibus.

QUæ communiter in hoc lib. exagitantur, aliis, quæ ſolùm ad confuſionem conducunt, hac unica diſputatione comprehendemus.

QUÆSTIO I.

An gravia, & levia moveantur à ſe ipſis?

1 SI fas eſſet, valdè poſſet immorari in diſputando, an aliquid poſſit ſe ipſum movere? Seu, an omne, quod movetur, ab alio moveri neceſſe ſit? Quia tamen hoc in omnibus non licet, ſufficiat pro præſenti quæſtione annotare; primò, quod quamvis nihil poſſit ſe ipſum actione univoca moveri, quia eſſet ſimul in actu formali, & in potentia formali, quod eſt impoſſibile; repugnat enim idem eſſe calidum, & non calidum formal ter loquendo; poteſt tamen aliquid ſe ipſum actione æquivoca movere: nam ad hoc ſolum requiritur, quod habeat virtutem ad producendam in ſe ali-

aliquam formam, quam actu non habeat, seu ad quam sit in potentia passiva, hoc enim solùm erit esse in actu virtuali, & in potentia formali, quod nullatenus est inconveniens; hoc modo moventur intellectus, & voluntas ad suas operationes, & aqua, dum in se producit frigiditatem, & alia hujusmodi; idem enim est tunc principium *quod* activum, & principium *quod* passivum.

2 Secundò, quod plures authoritates Aristot. debent intelligi in sensu explicato, ita scilicet, ut nihil possit se ipsum actione univoca moveri, ut etiam dicitur 1. de generat. disp. 6. quæst. 3. vel ita ut principium *quo* agendi sit aliquomodo distinctum à principio *quo* patiendi; sufficit autem ad nostrum intentum, quod principium *quod* activum, & passivum sit idem.

3 Tertiò, quod quando dicimus, aliquid posse se ipsum movere, non intelligitur, ita ut moveatur independenter à primo motore, seu à causa prima, sed ita ut moveatur independenter ab alio secundo motore, seu ab alia causa secunda. Nunc

4 Circa præsentem difficultatem est duplex sententia. Prima asserit, gravia, & levia, non à se ipsis, sed à generante moveri. Hanc sententiam tuentur communiter Thomistæ citantes pluribus in locis suum Angelicum Præceptorem. Secunda per oppositum defendit, gravia, & levia à se ipsis moveri. Hanc tenent communiter Scotistæ cum subtili Doctore in 2. dist. 2. quæst. 10. Pro qua

5 Dicimus: gravia, & levia à se ipsis motu locali naturali moventur. Notanter diximus *motu locali*; quia de aliis motibus conducentibus ad generationem, & corruptionem hoc negat Arist. in 2. de generat. tex. 8. dum grave, & leve à qualitatibus activis excludit. Pluribus authoritatibus Aristot. probat Scotus hanc conclusionem, quæ apud recentiores Scoti-

stas,

verò principalis; contra enim est; quia virtus instrumentalis, ut suo loco dictum est, non ineſt causæ instrumentali in esse quieto, sed ad summũ in actuali motione ab agente principali: sed nullum assignatur agens principale, à quo actualiter moveatur grave, ut supradictum est, & illam virtutem habet in esse quieto, cùm talis virtus formaliter sit ipsamet gravitas; radicaliter verò ipsa forma substantialis gravis: ergo talis virtus non est instrumentalis, sed principalis; ac per consequens, &c. Aliæ rationes pro nostra conclusione possunt videri apud Authores, & apud Scotum citatum.

10 Argum. 1. quod est proprium viventium, ut à non viventibus distinguuntur, nequit non viventibus convenire: sed juxta Arist. pluribus in locis movere se ipsa est proprium viventium, ut à non viventibus distinguuntur; ergo non viventia, ut sunt gravia, & levia nequeunt movere se ipsa. Resp. ex Scot. cit. disting. min: secundum Arist. movere se ipsa est proprium viventium, ut à non viventibus distinguuntur, quocumque motu, nego; motu gubernativo, & spontaneo, concedo; & similiter distinguendum est consequens. Verum enim est, quod viventia, ut à non viventibus distincta, se movent motu spontaneo, & gubernativo, eo quòd solum viventia sunt capacia principii talis motus; cùm illa quæ tale principium habent, possunt sistere in medio suorum motuum & motibus contrariis moveri, quod solùm viventibus convenire possunt; & in hoc sensu certum est gravia, & levia non moveri à se ipsis, sed ab aliis agentibus extrinsecis; at vero gravia, & levia ad suos naturales motus possunt se movere, quin propter hoc distinctio viventium à non viventibus auferatur. Quod non debet intelligi de omnibus viventibus, sed de operantibus per cognitionem; neque ut salvetur authoritas Aristot. requiritur, quòd in hoc non viventia ab omni-

omnibus viventibus distinguantur.

11 Argum. 2. ex illo communi proloqui: *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*: sed generans dat gravibus, & levibus formam: ergo etiam dat illis motus, qui ad prædictam formam consequuntur. Confirmatur; quia generanti competit tribuere effectui quidquid est sibi connaturale: sed gravi est connaturale centrum: ergo competit agenti tribuere centrum gravi; & consequenter tribuere motum, per quem centrum acquiritur; nam ad quod pertinet ponere finem, pertinet etiam ponere media ad illum consequendum.

12 Resp. illud proloquium solùm debet intelligi ita ut dans formam immediatè, det consequenter, & mediatè omnes operationes, quas recipiens illam formam, virtute illius elicit; cùm sine tali forma tales operationes non eliceret; sed ex hoc non sequitur, quòd prædictæ operationes non fiant per se, & immediatè à recipiente formam; unde ex eo quòd generans grave tribuat illi formam, solum sequitur, quòd tribuat illi motum mediatè, quatenus tribuit illi formam, qua se immediatè movet non tamen sequitur, quòd tribuat illi motum immediatè.

13 Ad confirmationem resp. similiter, quia non tenetur generans tribuere immediatè omne quòd est connaturale effectui, sed tantum mediatè, quatenùs, scilicèt, tribuit illi formam, per quam immediatè suam connaturalem perfectionem acquirere possit, & ponere media ad ipsam consequendam; quod quidem tribuit generans gravi genito, tribuendo illi formam, per quam immediatè potest se movere ad acquirendum centrum, quòd est illi connaturale. Idem, quod dictum est de gravibus, etiam levibus venit applicandum.

QUÆ.

QUÆSTIO II.

Quæ approximatio requiratur inter agens, & passum?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod potest intelligi de agente in ratione agentis præcisè, vel in ratione agentis creati, quod quidem agens creatum potest substantiam, & accidentia producere; & de quacumque productione procedit quæstio, & inquirit, an, ut agens immediatione virtutis, & suppositi possit operari transmutando subjectum, debeat esse contiguum, seu approximatum tali subjecto, seu passo? Vel an sufficiat, quod passum, licèt sit distans ab agente, contineatur intra sphæram suæ activitatis.

2 Dicimus 1. agens secundùm rationem communem agentis non indiget esse contiguum cum passo, ut possit illud immutare aliquid in ipso producendo, sed sufficit, quod passum intra sphæram activitatis agentis contineatur. Conclusio est Scoti in 1. dist. 37. quem sequuntur omnes Scotistæ contra Thomistas communiter. Probatur ex ipso Scoto, qui probat, non rectè demonstrari, Deum esse ubique ex eo quod ubique operatur; quia omnipotentia, quas Deus omnia operatur ad extra est voluntas divina, ad cujus velle sequitur res esse: sed voluntas potest æquè velle distans, sicut propinquum: ergo si Deus per impossibile non esset ubique, sed in aliquo loco determinato, posset velle aliquid esse in alio: in hoc enim nulla apparet repugnantia: ergo de ratione agentis, ut sic non est propinquitas, seu approximatio localis cum passo.

3 Confirmatur ex eodem Scoto; quia ut Deus crearet universum, non fuit præsens per suam essentiam spatio imaginario, quo imagina-

namur, mundum esse creatum; nam tale spatium nihil est in re, sed tantùm quid à nobis confictum: ergo præsentia, quam Deus habet in omnibus rebus, non est conditio prævie requisita ad hoc, ut Deus operetur; imò, inquit Scotus, potentia productiva Dei priùs habuit terminum suum, quàm esset præsens secundùm essentiam: ergo agens ex ratione agentis ut sic non indiget tali præsentia; seu approximatione ad passum.

4 Arg. 1. actus, & potentia nequeunt causare sine aliqua conjunctione: ergo neque activū, & passivum. Consequentia patet; quia sicut se habent actus, & potentia, ita activum, & passivum: sed conjunctio inter activum, & passivum nequit esse, nisi contiguitas localis; ergo. Confirmatur. 1. quia causa materialis, & formalis indigent locali præsentia ad causandum effectum; ergo, & causa efficiens. 2. quia nequit mobile transire de uno loco in alium, nisi transeundo per loca, quæ sunt in medio: ergo neque agens poterit in passum distans agere, quin in passa intermedia virtutem agendi diffundat. 3. quia agens, & passum debent esse simul duratione: ergo etiam debent esse simul, seu conjuncta localiter. Prob. cons. quia sicut se habet esse ut sic ad operari ut sic, ita se habet esse *hic* ad *hic* operari.

5 Resp. ad arg. neg. min. subsump. quia conjunctio, quæ necessariò requiritur inter activum, & passivum non est contiguitas localis utriusque, sed quòd passivum sit intra sphæram activitatis activi. Neque paritas de actu, & potentia tenet in omnibus; aliàs sicut actus formalis informat potentiam, ita activum informaret passivum, quòd non est dicendum; requirit enim actus formalis conjunctionem localem cum potentia; quia causa communicando subjecto suammet entitatem; aut verò causa efficiens non causat communicando se ipsam passo, sed pro-

producendo in illo formam à se realiter distinctam. Per quod patet ad 1. confirmationem desumptam ex causa materiali, & formali.

6 Ad 2. confirm. resp. neg. parit. quia in motu locali eadem res, quæ priùs erat in uno loco, constituitur in alio, & ita necessariò transit per medium; at verò effectus, qui producitur in parte remota alicujus spatii, non erat in alia parte; neque agens illum producens, neque virtus productiva illius transit ad locum ubi effectus est productus; & sic benè potest aliquid produci in loco distanti, quin aliquid aliud in medio producatur.

7 Ad 3. confirm. resp. etiam neg. conseq. & parit. quia quod non est in aliqua duratione, cùm absolutè non sit, nullatenus operari potest: at verò, quod non est præsens huic loco, v. gr. cùm tamen absolutè sit, licèt in alio loco, benè potest operari. Ad probationem neg. etiam parit. quia esse ut sic se habet ad operari; ut sic tamquam actus primus ad actum secundum; nam operari necessariò præsupponit esse; at vero esse hic non se habet ad operari hic tamquam actus primus ad actum secundum; imò hoc est quod negamus in conclusione, & similiter, quod non sit conditio necessaria ad exercitium potentiæ activæ.

8 Arg. 2. actio, media qua agens operatur, debet esse conjuncta agenti, & etiam passo, cùm in ipso recipiatur: ergo etiam agens, & passum debent esse sic conjuncta. Confirmatur; quia si agens posset sine approximatione ad pasum operari, talis operatio non eset immediatione virtutis, & suppositi; cùm inter agens, & pasum mediarent aliqua supposita; sed hic loquimur de operari immediatione virtutis, & suppositi; ergo

9 Resp. Ad argum. in æquivoco procedere; nam si loquatur de actione formaliter sumpta, seu pro respectu transmutantis ad transmutatum, vel quocumque alio respectu causæ ad effe-

effectum; cùm hæc, ut sæpè dictum est, recipiatur in agente, solum cum agente debet esse conjuncta; si verò loquatur de actione materialiter sumpta, quæ ut etiam sæpè dictum est, est ipsa forma fluens, seu ipse effectus prout in fieri, & in statu perfecto, solùm cum passo debet esse conjuncta. Per quod patet, quomodò sit distinguendum anteced. & deinde neganda conseq.

10 Ad confirm. resp. neg. maj. quia, ut aliquid dicatur operari immediatione virtutis, & suppositi, solùm requiritur, quòd operetur per virtutem propriam, & in se ipso receptam, & non receptam in altero supposito; quod quidem contingeret, si agens operaretur in remotum, licèt mediarent aliqua supposita, hoc enim per accidens se haberet, cùm virtus agentis non reciperetur in illis suppositis, sed per ipsam, in ipso agente remanentem, agens operaretur.

11 Pro aliquibus authoritatibus, tam Sacræ Scripturæ, quàm SS. PP. est observandum, quod quando videntur inferre immensitatem, ex eo, quod ubique Deus operetur, non est, quia judicent, immensitatem esse conditionem simpliciter necessariam ad operandum; sed tantùm arguunt à paritate, ita ut valeat: Deus habet potentiam illimitatam ad ubique operandum; ergo & præsentiam illimitatam, quæ dicitur immensitas, eò quod non sit major ratio unius, quàm alterius, cùm sicut omnipotentia, ita immensitas necessariò Deum comitetur. Vel potest dici, quòd authoritates solùm intendunt, inferri ex ubique operari, Deum esse ubique præsentem per cognitionem, & providentiam; vel Deum esse ubique præsentem quoad nostram cognitionem, eò quod ex eo quod Deus ubique operetur tribuens nobis vivere, moveri, & esse, possumus ubique cognoscere, Deum esse, & quis sit verus Deus; quapropter

A&c tor.

Actor. 17. ex eo quod virtute Dei vivimus, movemur, & sumus, & quod fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, ostendit Apost. Deum à nobis facilè cognosci posse, ita ut jam non dicatur Deus ignotus.

12 Dicimus 2. agens, adhuc secundùm rationem agentis creati, sive ad productionem substantiæ, sive ad productionem accidentis, non indiget approximatione, seu contiguitate locali cum passo. Conclusio etiam est Scoti loco citato, & probatur aliquibus experientiis: nam Sol, ver. gr. per suam formam substantialem producit formas substantiales metallorum in visceribus terræ, quæ valdè distant à Sole: & similiter ignis comburit stupam ab ipso separatam; ergo. Neque valet quod aliqui dicunt, scilicet hos effectus substantiales non produci immediatè à forma substantiali Solis, & ignis, sed ab accidentibus per medium diffusis à Sole, & igne. Hoc non valet; quia fundatur in eo, quod forma substantialis non sit immediatè operativa, quod manet impugnatum lib. 2. Deinde, ad productionem accidentium adducuntur aliæ experientiæ; magnes enim movet, & trahit ad se ferrum distans; & piscis remora detinet navim transeuntem; torpedo si hamum pendentem ex chorda arundinis attingerit, manum piscatoris mortificat; ergo. Deinde Angelus potest imprimere alteri Angelo aliquem effectum spiritualem, licèt inter illos intercedat aliqua distantia; ergo tam actione productiva substantiæ, quam accidentium, non indiget agens creatum approximatione, seu contiguitate locali ad passum.

13 Dicimus 3. Potest agens creatum in distans operari, quin aliquid operetur in propinquum. Hæc conclusio patet instantia Angeli, qui producit in intellectu alterius Angeli, & Animæ separatæ aliquam notitiam, quin aliquid in medio producat.

Di-

14 Dicimus 4. pluries contingit, quòd agens creatum nequeat agere in aliquod passum remotum, quin agat in propinquum. Hæc conclusio non venit intelligenda, ita ut actione ejusdem rationis agat in propinquum, ac in remotum; nam oppositum patet experientiis supra adductis, sed ita ut agat in utrumque vel actione ejusdem, vel diversæ rationis. Conclusio sic proposita patet; magnes enim attrahit ferrum distans, & etiam in medio producit species visorias per actiones diversæ rationis; sed hoc non provenit ex ratione agentis creati, sed ex eo quod in magnete sunt plures potentiæ altera attrahendi ferrum, & altera producendi species sensibiles, seu visorias; & cùm utraque sit naturalis, utraque simul operatur, cùm utraque habeat passum intra sphæram suæ activitatis, altera, scilicet, ferrum distans; & altera medium diaphanum proximum si autem in magnete tantum esset virtus attrahendi ferrum, tantum illud attraheret,& nihil aliud efficeret in medio similiter Sol producit formas substantiales mineralium in visceribus terræ,producendo lucem in medio actionibus diversæ rationis propter eandem rationem.

15 Deinde ignis actione ejusdem rationis producit calorem per spatium extensum, ita ut nequeat illum producere in partem remotam, quin illum producat in partes propinquiores; sed neque hoc provenit ex ratione agentis creati, sed ex eo quòd agens naturale necessariò debet agere in passum aptum recipere actionem; & cùm spatium secundum omnes suas partes sit subjectum aptum recipere calorem, nequit ignis calorem producere in partem remotam, quin etiam prius illud producat in partes propinqnas unde ortum habuit illud proloquium: agens naturale prius, & fortius agit in propinquũ, quàm in remotum;si autem non daretur passum dispositum,vel aptum recipere calorem, inter agens,

&

& passum aptum remotum, tunc agens ageret in remotum, licèt non ageret in propinquum. Idem contingit in Sole illuminante totum spatium,& prius partes propinquiores,quam remotiores, saltim prioritate naturæ, eò quod totum spatium est capax recipiendi lucem, seu illuminari; semper tamen agens operatur immediatione virtutis, & suppositi.

16 Hic potest dubitari à quo proveniat,quòd agens aliquando fortius agat in remotum, quàm in propinquum? Hoc dubium fundatur in experientia, qua videmus, solem intensiorem producere calorem in speculo distanti, & etiam in alio corpore opaco, quàm in diaphano propinquo. Resp. ad dubium,hoc provenire ex eo,quòd detur in speculo major proportio ad recipiendum calorem,quàm in diaphano. Vel ex eo,quod causa naturalis, ut est Sol, cùm interposito aliquo corpore opaco impediatur à sua actione directa,seu per lineam rectam, operatur quomodo potest;unde per reflectionem producit in corpore impediente illas partes effectus, quas produceret per lineam rectam, si non impediretur.

17 Pro aliquibus authoritatibus Arist. quæ solent adduci contra nostras conclusiones, debet observari, quòd numquam negavit Aristot. posse agens operari in distans immediatione virtutis, & suppositi,sed solùm intendit communiter non operari agens in distans, quin aliqua actione operetur in propinquum juxta superiùs dicta.Etiam debet observari, quod aliquando dispositio medii impedit actionem agentis, sed hoc non provenit ex eo, quod non possit agens agere in distans, quin agat in medium,sed ex eo, quod agens indiget medio debitè proportionato, & disposito ad suas operationes exercendas.

LIBER OCTAVUS PHYSICORUM.

PEr decem capita egit Ariſtot. in hoc libro de primo motore, & de duratione motus; de quibus, præter aliqua, quæ in libris de Cœlo commodiùs exagitantur, in præſenti per duplicem diſputationem agemus, quarum ſit.

DISP. I.

De primo motore.

PLura de primo motore, ut in proprio loco latè exagitantur in Theologia, hic autem ſolùm loquimur de aliquibus, quæ primo motori, ſcilicet Deo, attribuuntur ab Ariſtot. ſcilicet, dari unum primum motorem immobilem, indiviſibilem, infinitæ virtutis, & immenſum; quæ omnia tamquam certa de fide ab omnibus Catholicis tenentur, & pluribus locis Sacræ Scripturæ cognoſcuntur. Unde hic non diſputamus, an prædicta primo motori conveniant? Sed ſolùm, an rectè illa probaverit Ariſtotelis? Pro quibus ſit

QUÆSTIO UNICA.

Omnia prædicta complectens.

1 DIcimus 1. ratio, qua Ariſtot. cap. 5. hujus libr. intendit probare, dari primum motorem immobilem, videtur ſufficiens; quæ quidem ratio in hoc conſiſtit: nihil à ſe ipſo primò movetur; ergo in moventibus, vel

vel causis per se subordinatis, sistendum est in una prima causa, seu in uno primo motore; à quo cætera moveantur, ipse verò à nullo; aliàs in causis per se subordinatis daretur processus in infinitum, quod non est dicendum. Hęc est ratio Aristotelis

2 Pro cujus intelligentia notandum est, quòd hæc propositio *nihil movetur primò à se ipso* desumpta ex Aristot. duplicem potest habere sensum; primò enim sumitur, ita ut ly *moveri primò* idem sit, ac moveri secundùm se totum; in quo sensu non est universaliter vera; patet enim ex dictis lib. antec. aliquid posse (saltim actione æquivoca) se ipsum secundùm se totum movere, quin ab aliqua alia causa secunda moveatur. Secundò sumitur ita ut ly *moveri primò* idem sit, ac moveri independenter in sua actuali motione à concursu cujuscumque alterius extrinseci; & in hoc sensu est universaliter vera propositio, loquendo de causis secundis; nulla enim independenter à prima operatur; tum quia nihil operatur independenter a concursu generali Dei, de qua late egimus lib. 2. Tum etiam quia in agentibus univocis idem esset moveri primò à se ipsis; ac se ipsa producere, quod est implicatorium.

3 Notandum est etiam, quòd diversimodè se habent causæ per se subordinatæ, quàm causæ per accidens subordinatæ, ut notavit Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *quantum ad primum articulum, vers. Vbi notandum*, lit. I. & deinceps nam in causis per se subordinatis, causa secunda in quantum causa, dependet à prima, ita ut nequeat secunda sine prima causare; ex quo infertur, quòd omnes causæ per se subordinatæ, simul necesśariò requiruntur ad causandum; aliàs aliqua per se causalitas deésset effectui; at verò in causis per accidens subordinatis, ut sunt, v.g. avus,

Pater, & Filius posterior non dependet ab aliis in causando, licèt pendeat in esse; unde non requiritur simultas earum in causando, & sic neque in existendo; potest enim Filius causare, seu operari, non causantibus, neque operantibus, imò neque existentibus avo, & patre.

4 Ex his notatis, facilè deducitur, rationem Arist. benè probare, dari unum primum motorem, non motum; seu immobilem (vel unam primam causam non causatam, seu causabilem, ut loquitur 12. Met.) nam, ut dictum est in prima notabili, nulla causa inferior potest movere, seu operari, quin causa superior, cui per se subordinatur, simul cum illa moveat, seu operetur; deindè, sicut dictum est in 2. notabili nequeunt omnes causæ per se subordinatæ operari simul, quin simul actualiter existant: sed illa, in quibus datur processus in infinitum, seu quod idem est, infinitum in potentia, nequeunt simul existere; aliàs jam non esset infinitum in potentia, sed in actu: ergo cùm in causis in se subordinatis, non admittatur infinitum in actu, ita neque debet admitti processus in infinitum, seu infinitum in potentia; & consequēter necessario deveniendum est ad aliquam causam primam, & actualiter existentem, à qua omnes aliæ in sua operatione dependeant, & moveantur, quin ipsa ab alia priori moveatur, & dependeat, quod est intentum Arist.

5 Dicimus 2. non benè probat Arist. cap. 10. hujus lib. & cap. 12. Met. text. 41. primum motorem habere virtutem infinitam. Ratio, quia hoc intendit probare Arist. talis est; *Primus motor movet tempore infinito:* ergo est virtutis infinitæ. Quod autem hæc ratio non probet intentum est communior consensus Theologorum, & sic tenet Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *ostensis igitur*, litt. X. ratio insufficientiæ patet, quia supponit falsum, scilicet,

dari

dari motum, & tempus infinitum; quod omnes Catholici negant. Deinde etiamsi antecedens esset verum, intendunt aliqui, non inferri ex illo consequent. eo quod major duratio non arguit majorem perfectionem in effectu, Cœlum enim non movetur perfectius hodie, quam heri; & sic neque arguit majorem perfectionem in causa; si enim Angelus moveret Cœlum in æternum, non esset infinitæ virtutis, imò neque majoris, quam nunc est.

6 Advertit tamen Scotus cit. quod si anteced. intelligeretur non de motu infinito quoad durationem, sed de motu infinito quoad productionem infinitorum effectuum, quorum quilibet requirit in causa aliquam perfectionem sibi propriam, ut sunt motus, quibus effectus specie distincti producuntur, benè sequitur conseq. quod sic ostendit: *Quidquid potest in aliqua multa simul, ita perfectè, sicut in quodlibet eorum seorsim, quorum quodlibet in causa requirit aliquam perfectionem sibi propriam, illud concluditur esse perfectius ex eo, quod potest in plura; ergo etiam concluditur, quod sit infinitum, ex eo quod potest in infinita*. Hæc Scotus.

7 Neque obstat, non posse dari processum in infinitum in speciebus; & sic neque in productione effectuum, quorum quodlibet in causa aliquam perfectionem sibi propriam requirat; quia, ut benè notavit Scotus; quia licet hoc repugnet ex parte effectuum, si tamen causæ quantum est ex se in infinita sic possit, adhuc sequitur infinitas in causa: hæc possibilitas conceditur primæ causæ, quantum est ex se: ergo maj. patet; quia potens causare album, & nigrum, tam perfectum est, si est potens causare illa seorsim, quam simul, eo quod non posse illa simul causare, non provenit ex parte agentis, sed ex parte illarum, quæ simul causabilia non sunt, illud autem quantum est ex se illa simul causa-

ret, cùm ut supponitur, habeat virtutem ad illa, si illa simul causabilia essent: ergo potens quantùm est ex se in infinita, modo dicto, habet infinitam virtutem, licèt non possit omnia simul causare, impossibilitate proveniente ex parte illarum. Sed, quia Arist. loquitur modo Physico, de sumpto medio ex motu, & motus non est infinitus, standum est in eo quod ratio illius non convincit suum intentum.

8 Dicimus 3. non benè probat Aristot. cap. 10. hujus libri, primum motorem non esse corporeum. Ratio, qua hoc intendit probare Aristot. hæc est; Primus motor est infinitæ virtutis; sed virtus infinita nequit esse in magnitudine corporea, neque finita, neque infinita: ergo necessariò primus motor incorporeus debet esse. Hæc enim ratio non est sufficiens, semper enim nititur falso fundamento, scilicet, primum motorem habere infinitam virtutem, ex eo quod moveat tempore infinito. Tamen facta hac suppositione, scilicet, quod primus motor habeat infinitam virtutem, ut omnes Catholici fatentur; adhuc est difficultas; an rectè probaverit Aristot. agens infinitę virtutis non esse corporeum. Cujus partem affirmativam tenet Scotus cit. propè finem quæst. ut potest videri in litt. & clarius apud Merin. in hoc lib. disp. 3. qu. 3. non enim in omnibus, brevitatis causa, immorari possumus.

9 Dicimus 4. communior sententia est, Aristot. cognovisse, primum motorem esse immensum, seu ubique præsentem; omnia conservantem, & concurrentem cum omnibus rebus ad suas operationes immediatione virtutis, & suppositi. Probabilitas hujus sententiæ deducitur ex duplici ipsius Aristot. authoritate, nam 1. *de partibus animalium*, cap. 5. commendat cujuslibet Philosophi dictum, his verbis contentum: *Nec ab exigua domuncula Deum abesse*. Et lib. de mundo ad Alexandrum cap. 7. dicit; *Numen divinum*

vinum

vinum omnia permeare, & ea, in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora.

10 Neque obstant aliqua ipsius Arist. loca; nam cùm Deo tribuit determinatum locum, scilicet convexum primi cœli, hoc non dixit, quia judicaverit, alibi non esse, sed ex eo, quod ibi magis ostendit ejus potentiam in ordine ad perfectiores effectus. Deinde, cùm docet, corpora, quæ longè distant à primo principio, motu inordinato moveri, non loquitur de locali distantia, sed de distantia in perfectione. Hæc pro his quæ tribuit Aristot. primo motori, seu primæ causæ, de quibus plura in Theologia dicuntur, & efficacibus rationibus, suppositis principiis Fidei Catholicæ, probantur, quibus probationibus, non autem probationibus ab Arist. traditis, Catholicus debet inniti.

DISP. II.

De motu projectorum.

PRojecta dicuntur illa, quæ non per propriam virtutem sibi innatam, & intrinsecam, sed per virtutem alicujus extrinseci agentis, corpora impetu quodam à se expellente, de quorum motu aliqua veniunt scitu digna, & per sequentes quæstiones examinanda; sit ergo.

QUÆSTIO I.

Quænam sit causa proxima, & immediata motus proiectorum?

1 Dicimus: causa proxima, & immediata motus proiectorum est quædam virtus motiva impressa à proiiciente ipsis projectis, quæ virtus communiter dicitur impulsus, eo quod causatur ab agente medio impulsu, quo aliquod corpus localiter à se expellit. Hæc conclusio est communior sententia contra Pererium. Prob. quia, licet non possit negari, proiiciens esse causam principalem hujus motus; tamen, cum projectum moveatur post primam actionem proiicientis; imò, quando movetur potest contingere, quod proiiciens non existat, necessariò debet assignari alia causa proxima, & immediata illius motus; hæc nequit esse alia aptior, quam supradicta virtus motiva, seu impulsus, impressa projecto à proiiciente: ergo. Min. prob. quia si aliqua esset hæc virtus motiva, maximè impulsus impressus in aere, ut aliqui dicunt; sed hoc non est dicendum; ergo.

2 Min. in qua est difficultas prob. 1. quia semel concesso, quod detur talis impulsus, aptius assignatur pro subjecto illius corpus proiectum, quam aer; (vel aliud corpus ambiens, quod assignetur) ergo. Prob. anteced. quia quodlibet corpus projectum, est solidius, quam aer, & sic aptius ad recipiendum prædictum impulsum; ergo semel admisso, quod detur talis impulsus, aptius assignatur pro subjecto illius corpus projectum, quam aer.

3 Secundò, & principalius prob. eadem min. tum quia velocius movetur grave projectum, quam leve; sed hæc differentia nequit provenire ex aere, cum leve sit aptius, ut aere moveatur;

tur; sed ex eo quòd grave est habilius ad recipiendum, & conservandum impulsum, quàm leve: ergo in projecto, & non in aere imprimitur impulsus proiicientis. Tum etiam quia pluries moventur projecta contra ventum validum: ergo tunc potius aer impediet motum projecti, quàm illum causabit. Tum denique, quia sagitta movetur directè: sed aer, cùm sit facilè mobilis, modò in unam, modò in aliam partem fertur: ergo impulsus, quo movetur sagitta, non in aere, sed in ipsa sagitta debet imprimi. Aliæ probationes ab aliquibus adducuntur, sed in re tam certa sufficiant prædictæ.

4 Advertendum tamen est, quòd medium etiam solet jurare ad motum projectorum, aer enim est aptius medium, quàm aqua; & aptius movetur projectum versus ventum, quàm contra ventum; & hoc intendit Aristot. aliquibus in locis.

5 Pro aliquibus rationibus solvendis, quibus nititur Pererius oppositum nostræ conclusioni ostendere, aliqua de prædicta virtute motiva, seu impulsu veniunt examinanda, igitur.

6 Dubitabis 1. quid sit prædicta virtus motiva, seu impulsus? Resp. hunc impulsum non esse gravitatem, nec levitatem; sed esse quandam qualitatem, pertinentem ad tertiam speciem qualitatis, quæ dicitur passibilis qualitas. Patet prima pars; tum quia levitas est determinata ad motum sursum, gravitas ad motum deorsum: sed impulsus est indifferens ad quemlibet motum, ut ex se patet, ergo. Secunda pars, scilicet, quod sit qualitas patet; quia impulsus est accidens activum: nullum accidens est activum, nisi qualitas: ergo. Quod sit passibilis qualitas etiam patet; quia est qualitas primo sensibilis, & citò transiens: hoc requiritur ad passibilem qualitatem ex dictis in Logica: ergo.

7 Dubitabis 2. an prædictus impulsus sit in omnibus projectis ejusdem speciei? Resp;

affirmativè. Prob. quia supposito, quòd impulsus omnibus projectis provenit ab extrinseco, contra, vel præter naturam projecti, quòd est qualitas citò transiens, & quòd non conveniat projectis in esse quieto, sed in actuali motione ab agenti principali (quapropter non ad rationem causæ principalis, sed potius causæ instrumentalis reducitur) non est, undè illi proveniat differentia specifica: ergo.

8 Dices: motus sursum, & deorsum, & ad latera, & per gyrum distinguuntur specie; sed in aliquibus projectis impulsus tendit in unum motum, & in aliis in alium: ergo. Resp. disting. min. ex ratione impulsus, nego; ex ratione agentis, concedo. Impulsus enim est indifferens ad omnes prædictos motus, & ratione agentis determinatur jam in unum, jam in alium motum; ut autem motus distinguantur specie sufficit, quòd termini ad quem illorum sint specie distincti, licèt principium activum illorum sit unum specie; & hoc contingit in prædictis motibus. Unde neg. conseq.

9 Dubitabis 3. quomodo producatur impulsus? Resp. produci instantaneè. Resolutio tenetur à pluribus; & fundatur in eo, quòd nullam qualitatem habet sibi divisibiliter oppositam: sed qualitates non habentes alias contrarias, & sibi divisibiliter oppositas, in instanti producuntur, neque ad illas datur per se motus, ut dictum est lib. 5. disp. 1. ergo.

10 Et potest confirmari; tùm quia in instanti terminativo motus localis proiicientis invenitur contactus physicus cum projecto, qui requiritur ad causandum prædictum impulsum: ergo. Tùm etiam quia contactus physicus projicientis cum projecto non erat ante illud instans; neque est post illud instans, cùm post illud jam distet proiiciens à projecto; ergo solùm in illo instanti contactus potest impulsus produci. Adverte, quòd hoc debet intelligi secun-

cundum quod exigit impulsus ex natura sua: vide autem si per accidens possit successivè produci?

11 Dices proiectum est divisibile; ergo prius in partibus propinquioribus, quàm remotioribus imprimitur illi impulsus ab agente, iuxta illud; *Agens naturale prius, & fortius agit in propinquum, quàm in remotum*: ergo producitur successivè. Resp. neg. conseq. quia non semper, quod subiectum est divisibile verificatur illud commune proloquium, sed solum quando præsupponitur in illo qualitas divisibiliter opposita illi, quæ de novo producitur; quòd non contingit in productione impulsus, cùm ut dictum est, nullam qualitatem oppositam habeat; idem contingit in productione lucis, quæ in instanti producitur à luminoso in toto spatio, licèt divisibili, eò quòd lux nullam qualitatem divisibiliter oppositam supponat in spatio. Ubi notandum est, quòd actio productiva impulsus dicitur simplex alteratio, ut patebit ex dicendis in libro de generat. loquendo de alteratione.

12 Dubitabis 4. Quomodo, & à quo corrumpatur impulsus? Resp. corrumpi præcisè per suspensionem concursus Dei, quo illum in projecto conservabat. Hæc est resolutio communior. Et patet ex eo, quòd impulsus non conservatur a proiiciens (loquimur in genere causæ efficientis) cum proiiciens possit non esse, & adhuc durare impulsus; sed solùm conservatur à Deo; ergo desinit, seu corrumpitur præcisè per suspensionem concursus, quo à Deo in proiecto conservabatur.

13 Sed quia Deus operatur communiter iuxta exigentiam naturæ, adhuc potest inquiri, undè proveniat, quòd præcisè per suspensionem concursus Dei desinat impulsus? Ad quod resp. hoc provenire a natura ipsius impulsus. Et potest probari, quia impulsus nullam habet

qualitatem contrariam ad cuius introductionem desinat; neque desinit per absentiam proiicientis, cùm licèt in suo fieri, & esse à proiiciente dependeat; non tamen dependet in suo conservari; conservatur enim, adhuc in absentia proicientis: ergo præcisè ex natura sua provenit, quod desinat per solam suspensionem concursus, quo in proiiciente à Deo conservabatur.

14 Etenim, cùm impulsus non sit qualitas innata proiecto, neque illi per modum per se stantis impressa, sed solum sit qualitas ab extrinseco; & per modum transeuntis projecto impressa, natura sua exigit parum durare, citòque pertransire: sicut sonus, qui assimilatur impulsui in fieri, esse, & conservari, etiam ex natura sua parum durare, & citò transire exposcit. Deinde, cùm scopus impulsus tantùm sit instrumentaliter motum proiectorum causare, hinc etiam est, quòd si talis motus totaliter ab aliquo corpore impediatur; exigat impulsus natura sua desinere esse. En quomodo impulsus ex sua natura exigit desinere, seu corrumpi per suspensionem concursus, quo Deus illum in proiecto conservabat.

15 Dubitabis 5. an impulsus desinat successivè, seu instantaneè? Resp. ex natura sua exigere successivè desinere. Quod non melius potest probari, quàm experientia, qua videmus, motum projectorum, cujus est principium impulsus: successivè desinere, languescere, & remitti; ergo idem dicendum est de impulsu causante prædictum motum. Per accidens tamen potest desinere in instanti, ut si violenter in instanti impediatur motus projecti. Ex resolutionibus harum dubitationum facilè respondetur ad quælibet argumenta, quæ contra nostram conclusionem obiiciantur; præcipuè ad fundamenta Pererii.

QUÆSTIO II.

Quænam sit causa motus projectorum quando resiliunt? Et an detur quies in puncto reflexionis.

1 Communiter contingit, quòd corpus projectum, propter contactum cùm alio corpore resiliat, ut si pila ad parietem proiiciatur. Nunc est dubium, an ille motus reflexus causetur ab ipso impulsu projicientis, an verò ab alio impulsu à corpore resistente producto, & impresso ipsi proiecto? Pro quo.

2 Dicimus 1. motus reflexus proiectorum, causatur ab ipso impulsu impresso à proiiciente, Hæc conclusio est communior resolutio, quàm tenet expresè Arist. hic cap. 4. text. his verbis: *Sicuti reflexa sphara non à pariete reflexa est proiiciente.*

3 Prob. ratione; quia impulsus impressus proiecto à proiiciente poterat longiori motu recto deferre proiectum, nisi à pariete impediretur: sed per contactum parietis non corrumpitur totaliter talis impulsus, licèt aliquomodo remittatur: ergo cùm impulsus ex se non sit determinatus ad motum rectum, sed ad quemlibet motum indifferens non est, cur illi non tribuatur prædictus motus reflexus.

4 Et potest confirmari; quia experientia constat, corpus proiectum, v.g. pilam, ad parietem intensiori motu resilire, quo intensiori impulsu proiectum est: ergo ideò est, quia talis motus reflexus causatur, & provenit ab impulsu.

5 Arg. 1. si motus corporis proiecti resilientis causatur ab impulsu ipsi à proiiciente impresso, ergo eodem modo quo resilit pila proiecta ad parietem, resiliet lapis; & eodem modo resiliet pila projecta ad lanam, quàm proiecta

ad

ad parietem: hoc est contra experientiam: ergo non impulsu impresso à proiiciente, sed impulsu impresso à corpore interposito, vel ab alia causa, causatur ille motus reflexus. Resp. neg. conseq. quia licèt prædictus motus causetur ab impulsu impresso projecto à proiiciente, tamen tàm ex parte projecti, quàm ex parte corporis, ad quod proiicitur requiritur aliqua dispositio, propter quam tam projectum, quàm corpus, ad quod proiicitur, possunt dici causæ per accidens illius motus.

9 Etenim non resilit lapis, sicut pila, licèt utraque ad parietem proiiciatur; eò quòd in pila reperitur lenitas lanæ, qua est impleta, & aer intra eamdem lanam inclusus, & figura eius orbicularis, quæ omnia valdè conducunt ad exercitium motus reflexi, & quæ non inveniuntur in lapide. Similiter, pila proiecta ad parietem resilit, non verò projecta ad lanam; quia corpus durum, ut est paries, non cædit motui directo pilæ, imò illi resistit, quod est conditio necessaria ad resilientiam; at verò corpus molle, ut est lana, cedit motui directo pilæ, & sic non est dispositum ad resilientiam.

7 Arg. 2. pila naturaliter descendens sine aliquo proiiciente, resilit à terra, & movetur sursum; sed cuius motus nequit esse causa gravitas, cùm hæc ad motum deorsum sit determinata, ergo provenit, & causatur ab impulsu impresso pilæ à terra; & consequenter idem dicendum venit de motu proiectorum quando resiliunt, Resp. concessis maiori & minor neg con seq. quia prædictus motus causatur à quodam impulsu, quem, distinctum à gravitate ipsius pilæ, recipit pila à partibus aeris, quæ à tergo impellunt pilam ad replendum vacuum, causando celeriorem motum; dispositivè verò provenit ille motus à duritie terræ, & ab aliis in pila inventis, ut dictum est num. antec.

8 Pro 2. quod inquirit quæstio aliqua veniunt

niunt notanda. Primò, quòd punctum reflexionis dicitur illud, in quo, finito uno motu, incipit alius, qui quadrupliciter evenire potest. 1. quando post motum naturalem sequitur alius etiam naturalis, ut contingit in dilatatione, & contractione cordis. 2. quando post motum violentum sequitur alius, etiam violentus, vel saltim præternaturalis, ut contingit quando lapis tendit sursum, & ita comprimitur ab aliquo corpore, ut majori velocitate, quàm descenderet sua naturali gravitate, descendat. 3. quando post motum violentum sequitur alius, etiam absolutè violentus, ut contingit quandò pila projecta in parietem, resilit versus alterum parietem. 4. quando post motum violentum sequitur motus naturales, ut contingit quando lapis sursum proiicitur, & finito impulsu sua naturali gravitate deorsum tendit.

9 Secundò venit notandum, quòd quies est duplex; altera, scilicèt negativa, & altera privativa. Quies negativa dicitur illa, quæ includitur in unico instanti, & dicitur talis, eò quòd nullatenus pro sua duratione potest dari motus propriè dictus. Quies privativa dicitur illa, quæ durat pro aliquo tempore, & dicitur talis, eò quòd pro duratione illius potest dari motus propriè dictus. Nunc.

10 Dicimus 2. in ordine: quando post motum naturalem sequitur naturalis, datur quies privativa in puncto reflexionis; quando post violentum sequitur præternaturalis, non datur quies privativa, sed tantum negativa; quando post violentum sequitur violentus, datur quies privativa, excepto casu, quo unum corpus sit perfectè planum, & alterum perfectè sphæricum; & quando post violentum sequitur naturalis non datur quies privativa. Conclusio quoad omnes partes est communior consensus, & facilis probationis. Igitur.

11 Prob. quoad primam partem; quia motus

tus cordis, juxta Galenum, ordinatur tanquam ad finem ad refrigerium viventis, quo fruitur vivens in termino motus: ergo petit aliquali tempore quiescere, ut vivens tali refrigerio fruatur, & ipsa natura allevietur; aliàs potius ad laborem, quàm ad refrigerium esset talis motus: ergo datur quies privativa, seu temporanea inter prædictos motus.

12 Prob. quoad secundam partem; quia si projectus lapis sursum ferretur, & à corpore maximæ molis opprimeretur, si tunc daretur in contactu, seu in puncto reflexionis quies privativa, parvus lapis pro aliquo tempore corpus maximæ molis detineret in aere, & motus illius deorsum discontinuaretur: hoc videtur impossibile, & rationi contrarium: ergo in tali casu non datur quies privativa.

13 Prob. quoad tertiam partem; quia quando unum corpus tangit aliud, nisi unum sit perfectè sphæricum, & alterum perfectè planum, necessariò per suas partes tangit partes alterius: sed nequit aer in unico instanti omnes illas partes spatii occupare: ergo nequeunt illa corpora in unico instanti separari: ergo pro aliquo tempore, licèt parvissimo sunt conjuncta, & consequenter ante motum reflexionis datur quies privativa.

14 Prob. quoad quartam partem; quia impulsus, quo lapis sursum fertur, desinit in aliquo instanti terminativo sui esse, ita ut verùm sit dicere: nunc non est impulsus, & immediatè antea erat; vel saltim in aliquo instanti vincitur à gravitate lapidis: sed gravitas lapidis in eodem instanti necessariò agit: ergo in illo instanti incipit motus deorsum; & consequenter non datur quies privativa.

15 Advertendum tamen est; ne aliqua oriatur æquivocatio, quòd hoc intelligitur attentis solùm gravitate movente deorsum, & impulsu movente sursum; attenta tamen etiam circum-

stan-

stantia aeris concurrentis ad replendum vacuum, quod à tergo relinquit projectum, videtur dicendum, quod datur quies privativa, seu temporanea, nam quando impulsus per sui diminutionem pervenit ad æqualitatem cum gravitate, tunc nequit lapis amplius sursum tendere, neque in eodem instanti deorsum moveri, quia nequit simul vincere impulsum æqualem, & aerem concurrentem, & sic necessariò debet lapis pro aliquo, licet parvo tempore, quiescere, quoad usque impulsus remittatur, & sic gravitas, non solum impulsum, sed etiam aerem resistentem vincere possit.

16 Pro aliquibus argumentis debet observari, quod ut aliqui motus dicantur discontinui, nullatenus requiritur, quod inter illa detur quies privativa; quia, ut motus sint discontinui sufficit, quod extrema illorum non sint unum, quod eveniret in casibus nostræ conclusionis, unus enim motus haberet suum indivisibile terminativum, & alter suum indivisibile initiativum in puncto reflexionis; unde extrema illorum non essent unum; & consequenter, neque essent motus continui: essent tamen motus contigui; nam extrema illorum essent simul in instanti reflexionis, seu in quiete negativa, quod solum requirirur ad contiguitatem.

17 Observari etiam debet, quod cum punctum reflexionis, seu instans quietis negativæ sit extrinsecum cuilibet ex illis motibus nullatenus verificaretur pro illo instanti, quod essent illi duo motus; imò verificaretur oppositum; nam sicut de primo motu esset verum dicere; *Nunc non est motus, & immediatè anteà erat*; eo vel maximè; quia motus desinit extrinsecè, & *per primum sui non esse*; ita esset verum de secundo; *Nunc non est motus, & immediatè post erit*, eo vel maximè; quia motus etiam desinit intrinsecè, & *per ultimum sui non esse*.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quare gravia, & levia velocius, & fortius moveantur in fine, quam in principio, & medio, motu naturali; proiecta verò velocius, & fortius in medio, quam in principio, & fine, motu violento?

1 SUpponitur tamquam certum, gravia levia velocius, & fortius suis naturali motibus moveri in fine, quam in princip & medio; & similiter, projecta velocius, fortius motibus violentis moveri in medi quàm in principio, & fine; & deducitur Aristot. 5, Physic. text. 61. & lib. 8. text. 76 etiam constat experientia, lapis enim sua n turali gravitate descendens, fortius in fin motus, quam in principio, & medio lædit; similiter sagitta projecta in medio motus ma vulnus aperit, quàm in principio, & fine illi quæ non contingerent, nisi prædicti motus sua velocitate, & fortitudine prædictum or nem servarent. Ex hac suppositione proce quæstio (licèt illam aliqui negent sufficie fundamento suffulti, ut videri est apud nostr Pontium hic disp. 20. q. 3.) quæ quidem sup sito est communior Philosophorum consens Nunc

2 Pro primo, quod inquirit quæstio, cimus 1. gravia, & levia velocius, & fort moventur in fine suorum naturalium motuu quam in principio, & medio ratione cujusd impulsus impressi gravi, & levi à partil aeris confluentibus ad replendum vacuum relictum à gravi, & levi, qui impulsus est tensius in fine, quam in principio, & mec motus, eo quod successivè majori impetu co fluant

fluant partes aeris ad replendum prædictum vacuum; sicque velociorem motum causant in fine, quam in principio, & medio. Conclusio sic proposita est communior consensus. Et videtur sic sensisse Arist. dum 4. Physic. tex. 74. tenet, quod si grave moveretur per vacuum, motus illius non esset velocior in fine, quam in principio: ergo si motus gravis per plenum est velocior in fine, quam in principio, & medio, hæc major velocitas provenit ab aere replente spatium: sed non aliter, nisi per productionem prædicti impulsus in gravi: ergo ex mente Aristot. talis impulsus est causa illius majoris velocitatis.

3 Deindè potest probari ratione; quia illa major velocitas motus debet habere aliquam causam, à qua proveniat, quæ quidem causa sit virtus motiva: hæc nequit esse ipsa gravitas, ut omnes fatentur; quia non est major in fine, quàm in principio, & medio: ergo debet esse aliquis impulsus impressus gravi in ipsa actuali motione, qui impulsus sit major in fine, quam in principio, & medio: sed non alius impulsus, quam causatus ab aere modo dicto: ergo.

4 Respondent aliqui fatendo, prædictam majorem velocitatem non causari à naturali gravitate, sed ab alia gravitate accidentali emanante à natura ipsius gravis, non semper, sed in actuali motione.

5 Sed contra est 1. quia quod naturaliter emanat à natura alicujus, si nullum adsit contrarium, semper emanat: ergo. Sed gravitas accidentalis, à contrariis assignata, nullum habet contrarium in ipso gravi existente: ergo si naturaliter emanat à gravi, semper ab illo necessariò emanabit: hoc non concedunt: ergo neque debent concedere, quod emanet ab ipsa natura gravis, & consequenter dicendum est, causam illius majoris velocitatis pro-

provenire gravi ab extrinseco; quod quidem extrinsecum, nequit esse aliud, nisi aer impulsum producens in gravi, modo supradicto.

6 Contra 2. quia ex Arist. cit. num. 2. motus gravis per vacuum non esset velocior in fine, quàm in principio; sed si major velocitas motus gravis in fine, quam in principio causaretur à gravitate accidentali emanante ab ipso gravi in actuali motione, & non ab impulsu impresso ab aere, adhuc talis motus in vacuo esset velocior in fine, quam in principio, cum ibi adesset grave, & adesset motus: ergo cum hoc non contingeret, venit dicendum, quod illa major velocitas causatur ab impulsu impresso ab aere, & non ab aliqua gravitate emanante in actuali motione à natura ipsius gravis. Quod dictum est de gravi, similiter venit dicendum de levi.

7 Arg. 1. aer, confluens ad replendum vacuum derelictum à gravi, movetur effectivè ab ipso corpore gravi; ergo nequit grave moveri ab aliquo impulsu ipsi ab aere impresso. Antec. patet; quia grave per suum motum causat illam vacuitatem ad quam replendam movetur aer; ergo etiam causat motum aeris, cum non daretur talis motus aeris, nisi illa vacuitas daretur. Resp. neg. antec. & ad probationem dicimus, quod licet verum sit, quod illa vacuitas aliquo modo causetur à gravi per suum motum, tamen motus aeris ad illam replendam non causatur à gravi, sed à virtute universi, quæ naturaliter intendit conservare contiguitatem suarum partium, & sic fortiter impellit partes aeris, ne post tergum gravis aliquod detur vacuum.

8 Arg. 2. quando grave sursum descendit, & ex adverso occurrit vehemens aer, adhuc grave movetur velocius in fine, quam in principio, & medio: ergo causa illius velocitatis non est aer confluens ad replendum vacuum post tergum gravis. Probat. conseq. quia fortius movetur aer occurrens gravi ex adverso, quam aer

aer confluens ad prædictum vacuum replendum. Confirm. quia si velocitas major illius motus causaretur ab aere confluente, talis major velocitas non esset naturalis motui, nec gravi, cùm proveniret ab extrinseco, & de ratione rei naturalis sit, quòd à principio intrinseco proveniat; sed non est dicendum, quòd illa major velocitas non sit naturalis, tam gravi, quàm motui deorsum illius; ergo.

9 *Resp.* neg. consequent. fortius enim movetur aer confluens ad replendum vacuum derelictum a gravi, quàm aer ex adverso gravi occurrens, cùm motus hujus, & vis illius possit superari ab aliqua causa naturali, & de facto superatur à naturali gravitate corporis descendentis; at verò motus aeris confluentis, & vis illius à nulla causa naturali superari potest, eò quòd virtus totius universi conspirat ad impellendum aerem, quo vacuum est replendum.

10 Ad confirmationem resp. concedendo, quod illa major velocitas non est naturalis gravi, neque motui illius, eo quòd non proveniat à principio intrinseco, seu ab extrinseco; neque hoc reputamus aliquod inconveniens; cùm omnes idem teneantur fateri; quis enim negavit, quòd velocitas, qua descendit lapis deorsum proiectus, non est lapidi, nec motui illius naturalis? Cuius nequit alia assignari causa, nisi, quia illa velocitas non ab intrinseco, sed ab extrinseco scilicet à proiiciente, provenit lapidi. Cur ergo, idem non erit dicendum in nostro casu?

11 Pro 2. quod inquirit quæstio, dicimus 2: motus violentus projectorum ideò est fortior, & velocior in medio, quàm in principio; quia ex successivis, & continuis impulsibus aeris confluentis ad replendum vacuum, & ex maxima dispositione ipsius motus projectorum, adhoc,

ut

ut impulsus, tam à projiciente, quàm ab aer
ipsis projectis impressi, sua munera expedi
exerceant, sequitur quædam velocitas in
dio motus ita magna, ut exuperet velocitate
quam amittit motus projectorum ex remi
ne, quam pro tunc habet impulsus impressi
projiciente. Deinde, talis motus est veloc
& fortior in medio quàm in fine, quia impu
impressus à projiciente in projecto, qui quic
impulsus est præcipua causa illius motus,
continuè, & successivè remittatur, & sit virt
limitatæ, post medium valdè languescit, &
sequenter languescit impetus, quo aer conflu
ad replendum vacuum impellit à tergo pr
ctum, & sic etiam languescit motus, & tanc
successivè omnia hæc desinunt esse. Hæc c
clusio sic proposita est conformis conclusi
præcedenti, qua supposita, hæc non ind
probatione, sed ex ipsis terminis patet.

12 Unde rejicitur sententia afferens, cau
majoris velocitatis motus violenti projector
esse, quia impulsus impressus à projicient
projecta major, & intensior est in medio, qu
in principio, & fine. Supponit enim hæc
tentia, impulsum non produci quoad to
suam intensionem in instanti, sed successivè
tendit usque ad medium motus, quod fal
est, ut patet ex dictis q. 1. hujus disp. dub. 3. à
videantur ibi dicta: Vel supponit; intensior
non per additionem gradus ad gradum; sed
majorem radicationem qualitatis in subject
fieri, cujus oppositum in lib. de gener. patebi

13 Neque paritas, quæ ab aliquibus add
rur (adhuc supposito, quod impulsus in insta
producatur) aliquid valet; inquiunt enim, q
lumen producitur in instante à Sole in nub
tamen successivè intenditur, si nubes succes
rarefiat, eò quòd raritas in nube est dispo
ad lumen intensius recipiendum. Similiter
quiũt, determinatus motus localis est dispo
a

ad majorem, vel minorem impulsum; & media pars motus est dispositio magis congrua ad intensiorem impulsum, quàm pars prior, & posterior.

14 Hæc paritas non valet; quia licèt verum, sit quod dicitur de lumine, etiam est verum, quod Sol habet virtutem ad producendum intensius lumen in subjecto magis disposito, & quod tale subjectum in hypothesi, est intra sphæram activitatis Solis; at verò non probatur, quod projiciens habeat virtutem ad intensiorem impulsum producendum, neque probatur, quod media pars motus sit major dispositio in projecto ad majorem impulsum recipiendum; sed licèt hoc admittatur, adhuc deficit præcipua conditio, scilicet, quòd subjectum sit intra sphæram activitatis agentis; nam projiciens, licèt habeat virtutem ad intensiorem impulsum producendum, & subjectum dispositionem ad illum recipiendum, non potest illum producere nisi sit debitè approximatus per physicum contactum, qui contactus non invenitur inter projiciens, & projectum post primam productionem impulsus, cum projectum statim recedat à projiciente; imò potest projiciens non existere, dum projectum movetur ante mediũ, & in medio motus; unde post primam productionem impulsus jam projectum non continetur intra sphæram activitatis projicientis. Et hæc sufficiant pro octo libris Physicorum, utinam cedant in laudem, & gloriam omnipotentis Dei.

BRE-

BREVIS TRACTATU

In Libros Arist. de Cœlo, & Mundo

POstquam Arist. principia corporis natur in genere, ejusque affectiones per octo lib Physic. exposuit, ad species ipsius corporis turalis descendens, alios, quorum inscrip est *de Cœlo, & Mundo*, subjungit: cujus o nem, & nos imitantes post præcedentem el dationem circa octo Physic. libros pro viri traditam, modò de Cœlo & Mundo agredin tractatum; brevem quidem, tum quia aliqua, quibus hìc posset disceptari, in 8. lib. Phys. ma disputata: tum etiam quia plura, quæ hìc tra ri solent, non ad Philos. sed ad Astrologos p priè spectant; tum denique, ne à veritate fa deviemus; majori enim facilitate in errorem, falsitatem quis dilabitur, quum res, quam co tur indagare, difficiliùs cognoscitur; hujus di est Cœlum (de quo in præsenti est serm omniaque alia, quæ in eo esse experimur; u 9. Sap. vers. 16. inquit sapientissimus Salomo *Difficilè æstimamus ea, quæ in terra sunt, & in prospectu sunt, invenimus cum labore; quæ Cœlis sunt autem, quis investigabit?* Ob hæc tur, & ut prolixitas vitetur, omnia ea, de qui per tot lib. Arist. egit, nos duplici tantùm in put. discutiemus, ea dumtaxat examinando, ad Philosophicum institutum Scholastico m controvertere spectant. Igitur sit

DISP. I.

De Cœlo.

PEr hoc nomen *Cœlum* nil aliud in præs intelligimus, nisi illas substantias exten quibus insunt astra, & alias, si fortè sint, su

eas

eas, quas è terra videmus, residentes. Cœlum igitur in veriori etymologia originem ducit ab hoc verbo Græco, *Cælo*, quod idem significat, ac Latinè verbum hoc *sculpo*, eò quod Cœlum ob siderum varietatem, quibus ornatur, cęlatum, sive sculptum apparet. Circa hoc ergo aliqua solùm, ut dictum est, examinabimus, cætera apud AA. (si libuerit) fusè videnda relinquendo. Pro illis ergo sit

QUÆSTIO I.

An Cœlum sit corpus simplex, an compositum?

1 NOn est pręsens controversia circa simplicitatem, compositionemve integralem; est enim ipsa luce clariùs, Cœlum partibus integralibus constare, proindeque esse integraliter compositum. Nec item est difficultas circa compositionem Metaphysicam, quæ ex genere, & differentia, seu prædicato, sive formalitate, per quam cum aliis conveniunt; & prædicato, seu formalitate, per quam ab illis differunt, aliqua constat; non enim potest esse dubium circa huiusmodi compositionem; siquidem Cœlum per aliquid sui convenit cum aliis entibus; & per aliquid etiam sui ab illis differt. Unde tantùm est dissidium circa Physicam Cęli compositionem, an scilicet constet materia, & forma, quæ sunt partes Physicæ? Quo prænotato

2 Dicimus 1. Cœlum non est corpus physicè simplex, sed compositum ex materia, & forma substantiali. Sic communiter Philosophi (& si aliqui oppositum teneant) cum Aristot. hìc lib. 1. cap. 9. text. 95. ubi sic fatur; *Cœlum autem est quidem eorum, quæ singularia sunt, & eorum, quæ ex materia sunt*; sed nulla potest naturaliter dari materia absque forma substantiali; ergo. Deinde idem 2. de generat. cap. 9.

text.51. & 12.Met. text. 22. inquit expresse, materiam, & formam esse duo principia omnium rerum sensibilium: sed Cœlum est quid sensibile, ut per se patet: ergo, & quid compositum ex materia, & forma substantiali.

3 Prob.conclus. ratione: nulla est dabilis substantia corporea, & completa omninò simplex: sed Cœlum est substantia corporea, & completa: ergo non est omninò simplex, sed ex materia, & forma physicè compositum. Maj. patet; nam materia & forma, quæ sunt substantiæ corporeæ sunt, utpotè partes physicæ, quid physicè incompletum, ut in lib. Physic. manet ostensum. Prob.min.nam Cœlum est ens per se, cùm nulli, tamquam subjecto, inhæreat: ergo est substantia: sed non spiritualis, cùm accidentibus corporeis; nempè quantitate, luce sensibili, & motu locali sit effecta: ergo est substantia corporea: sed non est incompleta, cùm non sit assignabile aliquid, ad cujus compositionem ordinetur; ergo Cœlum est substantia corporea completa; ac proindè ex materia, & forma physicè constans.

4 Arg. 1. ex Phil. hic lib. 1. cap. 3. & 4. docente, Cœlum non habere contrarium: sed juxta ipsum lib. de long. & brev. vitæ, omne quod habet materiam, etiam habet contrarium; ergo Cœlum non constat materia, & forma. Et 1. Physic. c. 7. inquit, materiam primam esse subjectum privationis, & hanc respicere priùs, quàm formam, eò quod privationem habet ex se; formam autem ab agente; sed in Cœlo non datur privatio, cùm in eo nullus sit transitus ab una substantiali forma in aliam: ergo &c. Resp. ad 1. quòd Arist. tantùm intendit excludere à Cœlo de facto contrarietatem substantialem quæ importat generationem unius, & corruptionem alterius; non autem accidentalem contrarietatem, Cœlum enim motibus contrariis movetur, & cùm id, quod motu quantitativo movetur, necessariò sit quantum, & omne quantum materiam includat,

hinc

hinc est, quòd Cœlum constat materia, licèt de facto motibus substantialibus contrariis non moveatur. Ad 2. resp. ibi Philos. solùm loqui de compositis sublunaribus, ut in ipsius textu videri potest. Deinde, etiam est falsum, quòd in Cœlo non sit privatio; constat enim materia, eiusdem speciei cum materia sublunarium, ut infra ostendemus.

5 Arg. 2. ideò colligimus, corpora sublunaria constare materia, quia experimur, ea substantialiter transmutari; sed in Cœlo nullam experimur substantialem transmutationem: ergo non est ratio, ob quam illud constare materia, dicamus. Confirm. quia ideò asserimus etiam, hæc sublunaria ex materia, & forma componi, quia agunt, & patiuntur, agereque convenit ratione formæ, pati autem ratione materiæ; sed Cœlum, & si in hæc inferiora agat, non tamen patitur aliquid ab alio: ergo non constat materia. Resp. ad arg. esse quidem verum, quòd ex substantiali sublunarium transmutatione sensibiliter, & manifestè infertur, ipsa ex materia, & forma componi: hoc autem non est unicum caput, ex quo talis compositio colligitur, cùm sint plura alia, ex quibus deduci potest, ut numer. 3. ostendebamus. Ad confirm. resp. sat esse, quòd Cœlum in hæc inferiora agat, ut inferatur, ipsum constare materia; agit enim per lucem sensibilem, & successivum motum, quorum neutrum sine quantitate, ac proinde sine materia, naturaliter esse potest. Deinde, quia si pati convenit ratione materiæ; ergo & moveri; quia moveri est pati; sed Cœlum movetur; ut est manifestum; ergo & patitur; consequenterque habet materiam, ratione cuius patiatur.

6 Arg. 3. illud, quod ex materia, & forma constat, est corruptibile; sed in nostra, & veriori sententia infra statuenda, Cœlum est incorruptibile; ergo, &c. Mai. patet; quia cùm perfectissimum omnium compositorum ex materia, &

forma sit homo, qui corruptibilis est, Cœlum, quod minus perfectum est, si materia, & forma constet, necessariò corruptibile erit. Resp dist. min. Cælum est incorruptibile, ab extrinseco tantùm, concedo; ab intrinseco, neg. minor. & conseq Hoc amplius ex quæst. sequenti constabit. Ad prob. dicimus esse quidem verum, quod perfectissimum omnium ex materia, & forma constantium, quoad ad formam, est homo, siquidem informatur anima rationali, quæ omnibus aliorum compositorum formis longè perfectior est; cuius hominis perfectioni non obstat ipsius hominis corruptibilitas; hæc enim etiam convenit Cælo ab intrinseco, ut dicemus quæst. seq. & si de facto per accidens, & ab extrinseco non corrumpatur.

QUÆSTIO II.

An materia Cœli sit ejusdem rationis cum materia sublunarium?

1 DIcimus ad quæst. materia Cæli est ejusdem omninò rationis specificæ cum materia sublunarium. Sic Scotus in 2. dist. 14. q. 1. §. *resepondeo, vers. Quòd si dicatur*, sub lit. A. ubi expressis verbis dicit, esse inconveniens, quòd sint duæ materiæ primæ alterius, & alterius rationis. Quod assumptum ostendit ex eo, quòd non sunt duo fines primi, nec duo efficientes primi alterius, & alterius rationis; ergo similiter neque duæ materiæ primæ diversæ rationis. Hæc Scotus, qui tandem concludit, difficile videri, posse assignare, unde sit ista alteritas rationis in hac materia, & in illa. Scotum sequuntur omnes sui Discipuli contra Thomistas, qui communiter oppositum tenent. Quæ conclus. omissis sacræ paginæ authoritatibus, quibus suaderi solet, sic probatur. Ratio ob quam adversarii ponunt materiam Cæli specie distinctam à materia sublunarium est, ut incorruptibi-

bi-

bilitas Cęli salvetur; sed hæc ratio non convincit: ergo non datur talis materia specie distincta à sublunari. Patet conseq. nam absque aliqua urgenti ratione non sunt multiplicanda specificè entia. Prob. min. quia & si materia Cęli sit specie distincta à sublunari; posset illam Deus separare à forma Cęli, cùm ab hac illa nullatenus dependeat, sitque realiter distincta, ut ex dictis in lib. 1. Physic. latè constat; ergo talis materia est ex se omninò indifferens ad hanc, & illam formam; ac proinde est ejusdem rationis specificæ cum materia sublunarium, quæ sic indifferens est.

2 Nec valet, si contrarii respondeant, talem materiam non esse sic indifferentem, neque eiusdem rationis cum sublunari, quia illa materia est omninò satiata tali forma cęlesti; non autem sic materia sublunarium. Non quidem valet hoc; nam vel ideò dicunt materiam Cęli esse satiatam, quia habet formam inamissibili modo, vel quia talis forma est valdè perfecta; sed propter neutrum horum; ergo &c. Prob. min. quoad 1. part. quia habere formam imamissibili modo non est esse materiam satiatam intrinsecè, sed extrinsecè; huiusmodi namque inamissibilitas, seu incorruptibilitas non provenit materię Cęli ab aliquo intrinseco, sed ab extrinseco, ut dicemus quæst. sequenti: ergo manet intrinsecè non satiata, consequenterque ex se indifferens ad quamlibet formam. Min. eadem quoad 2. partem probatur; quia quævis anima est perfectior forma cœlesti, sed hæc recipitur in materia sublunari, & eius capacitatem, aut appetitum non satiat, ut in comperto est apud omnes: ergo perfectio formæ cęlestis non est ratio, ob quam illius materia sit satiata; ac per consequens non est unde colligatur specificum discrimen inter materiam Cęli, & materiam sublunarium.

3 Arg. 1. Cęlum est incorruptibile: sed hoc non ita esset, si constaret materia eadem spe-

cificè cum materia sublunarium : ergo. I
min. quia radix corruptionis entium subl
rium est materia prima, qua constant, ob l
appetitum ad plures formas: ergo si in C
est materia ejusdem rationis cum illa, Co
non esset incorruptibile. Confirm. nam pr
rea sublunaria sunt corruptibilia, quia con
materia non determinata ad aliquam form
sed indifferenti ad omnes: ergo si Cœlum
stat materia ejusdem rationis cum illa, eri
ruptibile. Respon. ad arg. disting. maj. Co
est incorruptibile, de potentia absoluta,
trinsecè, neg de potentia ordinaria, & in or
ad causas secundas, secundùm ordinem p
xum universo, concedo. Sic etiam disting
min. non esset corruptibile hoc secundo m
nego; primo modo, concedo, & nego co
Disting. etiam antec. probationis: radix c
ptionis sublunarium est materia prima, p
liter, conc. totaliter, neg. Horum enim co
sitorum corruptio oritur, nedum ex materi
ma, quæ diversas appetit formas, verum
eo, quod habet formam exigentem dispo
nes, quæ habent contraria, à quibus natura
corrumpi possunt hujusmodi qualitates, qu
beant contrarium, aut agens aliquod natu
à quo possint corrumpi, non habet Cœ
ideòque naturaliter corrumpi nequit. Ad
firmat. resp. neg. antec. non enim ex eo pr
quod materia sublunarium non est ex se d
minata ad aliquam formam, composita s
naria sunt corruptibilia, sed propter ratio
assignatam in solutione ad præcedens argu
tum.

4 Arg. 2. frustraneè admittitur potentia
non reducitur unquam ad actum; sed pot
materiæ Cœli ad suscipiendas alias formas
quam reducitur ad actum; ergo talis pote
seu indifferentia in materia Cœli ad alias
mas non est admittenda; & consequenter
e

est ejusdem speciei cum materia sublunarium. Resp. non esse omninò frustraneam potentiam, quæ ex sua intrinseca natura est reducibilis ad actum, licet ex aliquo accidenti, seu ab extrinseco nequeat ad actum reduci; cum ergo indifferentia, seu potentia, quam materia Cœli habet ad aliarum formarum susceptionem, sit hujusmodi, ut patet ex dictis, inde est, non esse omninò frustraneam. Eo, vel maximè, quia & si ab aliquo naturali agenti nequeat naturaliter reduci ad actum; benè tamen absoluta Dei interveniente potentia, ut n. 1. innuebamus.

5 Dubitabis: An Cęlum sit animatum? Resp. negativè cum Scoto in 2. dist. 14. q. 1. §. *secundum Theologos, vers. Breviter*, sub lit. E. inquit tamen hanc resolutionem esse creditam, & non ratione conclusam: ex quo patet, illam magis authoritate, quam ratione niti; sed tamen, ne absque omni prorsus probatione maneat, eam hac, haud inefficaci, ratione ostendimus: omnis motus vitalis exigit distinctionem partis per se moventis, & partis per se motæ; vivere enim est principium se movendi, & idem secundum idem se ipsum movere nequit; cùm non possit aliquid esse simul in potentia, & in actu secundum eamdem rationem; ergo ut aliquid se moveat quovis motu locali, exigit diversam partium dispositionem, cujus diversitatis ratione altera pars se moveat, alteraque per se moveatur: sed in Cœlo non est hujusmodi diversitas, seu ætherogenea partium dispositio; est enim corpus homogeneum, sicut quodlibet elementum, ut nullus sanæ mentis dubitare potest: ergo Cęlum nequit moveri, motu vitali; proindeque non est animatum.

6 Arg. contra hoc ex Sacra Scriptura: Ps. 135. dicitur: *Qui fecit Cœlos in intellectu*. Et ibidem Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei* Et 148. *Laudate eum Sol, & Luna*. Et Job 38. *Cùm me laudarent Astra matutina* Et Deuter. *Audite Cœ-*

li, qua loquor. Et Isai.45. *Manus mea tetenderunt Cœlos, & omni militia eorum mandavi*. Sed omnia, quæ in his locis attribuuntur Cęlis sunt operationes vitales, ut singula scrutanti patebit: ergo Cęlum est animatum. Deinde Arist. lib. 2. de anim. cap. 29. & 2. de Cęlo 13. & 61. docet, Cęlos esse animatos: ergo &c. Resp. quod in 1. loco ly *in intellectu*, idem est, ac cum intellectu, seu summa sapientia. In cæteris autem invitantur Cęli ad laudandum, & audiendum, quatenus nos excitant in laudem, & admirationem Divinæ Omnipotentiæ: vel sumuntur Cęli pro habitatoribus Cęlestis Patriæ, cujusmodi sunt Angeli. Ad Arist. dicimus, ibi non loqui de vera animatione, quæ fit per informationem, & unionem animæ; sed de animatione per assistentiam, quatenus scilicet intelligentia (juxta ipsius sententiam) perpetuò assistit Cęlo, & illud movet: unde non est contra nos.

QUÆSTIO III.

An Cœli sint incorruptibiles?

1 HÆc quæst. facilè resolvetur, suppositis dictis in præced. circa materiam Cœlorum; sed ut melius innotescat quomodo sit intelligendum, Cœlos esse incorruptibiles, hanc quæst. hic apponimus; quam per duas conclus. resolvemus. Ad quas antequam perveniamus, prænotare oportet, quod si Cęlum esset corpus simplex nullatenus propriè corrumpi posset, quia ex hac hypothesi nihil compositi remaneret, quod necessariò requiritur ad rationem corruptionis rigorosè sumptæ, ut in lib. de Gener. & corrupt. Deinde etiam est prenotandum, quod hæc quæst. non procedit (adhuc supposita physica Cœli compositione) de potentia Dei absoluta; nequit enim dubitari posse sic formam Cœli corrumpi, & succedere aliam loco illius in eadem

dem materia; vel hanc (juxta nostra principia) manere nudam ab omni forma; sed procedit tantùm de potentia ordinaria, ita ut sensus illius sit: An Cęlum sit corruptibile per aliquod naturale agens, quod possit naturaliter ex illius materia alia composita generare? His prænotatis

2 Dicimus 1. Cœlum secundum se totum est naturaliter incorruptibile, ita ut supposito naturali rerum ordine, qui de facto est præfixus, nequeat naturaliter evenire, quòd secundum se totum corrumpatur. Prob. conclus. nam non possunt aliquæ causæ ex his, quæ de facto existunt, naturaliter ita applicari Cęlo, ut totum illud corrumpere valeant; neque possunt, hoc rerum ordine manente, alio applicari modo, quàm de facto aliquando fiunt applicatæ: sed de facto non potuerunt tot annorum decursu aliquam notabilem Cęli partem corrumpere: ergo Cęlum naturaliter, isto rerum ordine manente, corrumpi non potest.

3 Dicimus 2. Cęlum de facto quoad aliquam partem sui non potest naturaliter corrumpi: hoc tamen optime stat, quòd ex intrinseca natura sua corruptibile sit; & quod dentur aliquæ causæ secundæ, quæ ipsum quoad aliquas sui partes corrumpere possent. Prob. conclus. quoad 1. part. nam si Cęlum posset de facto corrumpi naturaliter per aliquas causas secundas, possent de facto tales causæ applicari: sed si hoc de facto naturaliter evenire posset, est quidem verosimile, quòd tot annorum decursu aliquando essent applicatæ: ergo si numquam sic applicatæ sunt, signum est, quòd de facto nequeant naturaliter sic applicari; & consequenter, quòd Cęlum de facto non possit quoad aliquam partem sui naturaliter corrumpi. Præcedens conclus. sicut & sequentes, magis authoritate, & aliqua verosimilitudine, quàm aliqua efficaci ratione, nititur. Prob. 2. pars, quia Cœlum potest de facto esse naturaliter incorruptibile ex

eo, quòd non applicetur ei de facto aliqua causa corruptiva illius, quæ si applicaretur, illud corrumpere posset: sed ex hoc non infertur, illud ex intrinseca natura sua esse incorruptibile; neque quòd non sit aliqua causa, quæ si ei esset applicata, posset illud corrumpere, ut per se est manifestum: ergo &c.

4 Arg contr. 1. part. conclus. virtus finita infinito tempore persistere nequit: sed virtus Cęlorum est finita: ergo infinito tempore persistere non potest, & consequenter Cœlum de facto naturaliter potest corrumpi. Resp. neg. maj quia propter eamdem rationem, ob quam potest persistere duobus diebus, v.g. potest & infinitis, neque facilè quoad hoc assignabitur discrimen, maximè cùm non sit aliquod agens à quo virtus Cęli labefactetur, ut ex supradictis patet. Instab. quod patitur motus contrarios, naturaliter labefactatur, seu infringitur; sed Cœlum patitur contrarios motus; movetur enim ab Oriente in Occidentem, & è contra; ergo, &c. Resp. disting. maj. si per tales motus deperdat aliquid qualitatum ipsum conservantium, concedo; si enim deperdat, ut contingit in motibus Cœli, nego maj. & concessa min. neg. conseq. Prædicti enim Cęlorum motus non terminantur ad inducendum in illos aliquas qualitates ipsis contrarias; unde per tales motus nihil deperdunt, nec in aliquo labefactantur.

5 Arg. 2. compertæ sunt aliquæ substantiales mutationes in Cęlo; ergo. Prob. antec. quia anno 1572. apparuit in Cęlo nova stella magna quidem valdè in initio suę apparitionis, & multò minor post aliquot dies. Alia similia refert ex Varrone D. August. lib. 20. de Civitat. cap 8. sed hæc necessariò innuunt substantialem mutationem in Cęlo; ergo &c. Resp. quòd in relato, & similibus eventibus nulla substantialis mutatio fuit in Cęlo, sed solùm perfectiva, & accidentalis; quatenus scilicet Deus intendit in Cęlo ali-

quam

quam partem lucis, quæ oculis instar stellæ appareat in alicujus notabilis rei futuræ ostentum. Sic in plurium PP. sententia, Cęlum in die quarta à mundi creatione ex formatione Solis nullam substantialem passum est mutationem, sed eadem lux, quæ primo die fuerat facta, quarta die novam intensionem recepit; & sic Sol fuit formatus absque aliqua substantiali Cęli mutatione.

6 Dubitab. hìc; An Cęlum in die judicii sit corrumpendum? Resp. cum communiori sententia, Cęlum non esse corrumpendum substantialiter, sed accidentaliter tantùm, ut v. g. quoad influentias, quibus in hæc sublunaria modo influit. Non tamen desunt, qui affirment Cęlos tunc substantialem mutationem esse passuros, & renovandos esse. Pro qua sententia plures adducunt SS. authoritates, quæ id affirmare videntur. Ad quas AA. primæ sententiæ, esse intelligendas, de Cęlo aereo, quod sacra pagina Cęlum nuncupare solet. Vel quod (si de Cęlo sidereo loquantur) sunt intelligendæ de accidentali transmutatione, eò quod tunc majori claritate fulgebunt. Cùm tam præsens dubium aliqua efficaci ratione resolvi nequeat; hoc enim dependet à libera Dei voluntate, & cùm pro utraque parte, nempe tam affirmativa, quàm negativa; plures sint Patroni, hinc est, quod quævis rationabiliter defendi potest. Alia plura dubia huc spectantia solent hic proponi, tam circa numerum Cęlorum, quàm circa numerum Astrorum, & alia his similia, quæ quia parum, aut nil ad nostrum institutum conducunt, & quia apud AA. facilè videri possunt, omittimus in præsenti.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Cęli moveantur.

1 PRo faciliori hujus quæstionis decisione, præsupponendum est, ut titulus illius supponit, Cęlum non quiescere, sed moveri. Sic Arist. hìc lib. 2. usque ad 9. quem ferè omnes Philosophi sequuntur. Ratio est ipsa ocularis experientia; videmus enim Solem manè exurgere in Oriente; & rotare in Occidentem; & similiter omnes Planetas, & Stellas, & hoc perpetuo, & invariato ordine: ergo Cęlum movetur. Nec valet quòd aliqui respondent, nempe, Solem, Planetas, & Stellas non moveri ad motum cęlestis sphæræ, sed proprio illarum motu; ji namque autumant, Cęlum esse fluvidum, omniaque Astra in eo vagari, ad modum, quo pisces intra aquam stagni immoti, & quiescentis. Non quidem valet hoc; falsum enim est, Cęlos esse fluidos; nam Job 37. vers. 18. dicitur: *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cęlos, qui solidissimi, quasi ære, fusi sunt.* Et hoc idem patet ratione; quia si Astra non essent Cęlo affixa inseparabiliter, sæpè per ipsum moverentur, modò huc, modò illuc, & consequenter non semper servarent eamdem proximitatem, ac distantiam inter se, sicut pisces in flumine: sed hoc contrariatur Astronomiæ, & evidenti oculorum experimento, quo cognoscimus in Cęlo sidereo æqualem distantiam, aut indistantiam semper habere: ergo ideò est, quia Cęlum est solidum, & Astra ei inseparabiliter affixa.

2 Secundò supponendum est, quòd Cęli nullatenus moventur à seipsis. Cujus ratio est: quia si moverentur à seipsis, vel moverentur motu sensitivo supponente aliqualem cognitionem in eo, quòd sic movetur; vel motu naturali non sensitivo, sicut gravia, & levia moventur: sed

non

non moventur primo modo; quia non animantur, ut qu. 2. n. 5. manet ostensum; neque secundo; alioquin enim illorum motus esset illis naturalis, quod est falsum, ut videbimus infra: ergo Cœli à seipsis non moventur.

3 Tertiò supponendum est, quòd neque moventur Cœli ab aliqua substantia materiali viventi. Hujus ratio est: nam motus Cœlorum, utpotè uniformis, continuus, & constans, exigit principium movens simili uniformitate, perpetuitate, & constantia, ut per se patet: sed nulla substantia vivens materialis gaudet hujusmodi uniformitate, perpetuitate, & constantia; quia quævis substantia materialis, dum movet, seu agit, necessariò repatitur, defatigatur, ac demum absumitur: ergo Cæli non moventur ab aliqua substantia materiali viventi.

4 Quartò denique supponendum est, Cælos non moveri à solo Deo. Hoc colligitur ex D. August. lib. 83. quæst. 9. ubi ait: *Vnaquaque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi prapositam*. Et Orig. tom. 6. in Ierem. *Omnibus rebus Angeli prasident*. Sed hoc non ita esset, si Deus se solo Cęlos moveret, ut patet; ergo, &c. Deinde hoc amplius constabit ex immediatè dicendis num. sequenti. His suppositis.

5 Dicimus 1 ad quæstionem: Cęli moventur ab aliqua intelligentia. Sic Scotus in 4. dist. 48. quæst. 2. §. *in ista quastione*. Probatur primò ex cap. 6. Job. ubi dicitur: *Deus, cujus ira nemo resistere potest, & sub qua curvantur qui portant orbem*. Quæ verba sic exponit D. Gregor. Mag. hìc: *Intelligendi sunt autem portare orbem cœlestes spiritus, quorum ministerio tota corporalis creatura divinitus procuratur*. Deinde probatur ratione; nam non est dubium, quin Angeli, seu intelligentiæ possunt Cęlos movere; sed magis congruum est, ut Deus per eos hoc faciat, quàm per se solum; ut sic sit in universo magis perfecta subordinatio quoad omnes partes, dum

dum corpora sublunaria cęlestibus, hæc crea
ris spiritualibus; ac istæ denique Deo subo
nantur; ergo Cęli ab Angelis, seu intelligen
moventur.

6 Arg. 1. plura corpora sublunaria minùs
fecta, quàm Cęlum, habent in se virtutem
motivam; ergo etiam concedenda est Co
Resp. neg. conseq. Ratio discriminis est;
illis corporibus sublunaribus est utilis talis
tus loco motiva ex eo, quòd possunt esse e
suum locum naturalem, ut tali virtute in il
redire possint; Cęlum autem, neque ad hoc
que ad aliud, tali virtute propria indiget, i
que non est ratio, ob quam illi sit conceder
Vel potest responderi, quòd gaudet Cęlum
tute propria loco-motiva, ita quòd, si al
modo esset extra proprium centrum, nat
motu in ipsum pergeret.

7 Arg. 2. Angeli semper sunt in Emp
Deum videntes, & ipso fruentes; sed si ab
moverentur Cęli, essent simul in Empyreo
in Cęlis inferioribus, tamquam in duplici
quod repugnat; ergo non moventur Cęli ab
gelis. Resp. conc. maj. & ad minorem dici
esse omninò falsum, quòd repugnet, An
simul esse in Empyreo, & in inferioribus C
tamquam in duplici loco, ut ex dictis in Ph
apertè constat. Deinde, quia Angel semper
in Cęlo Deum videntes, & in terra homine
stodientes, juxta illud Matth. c. 18. *Angeli e*
in Cęlis semper vident faciem Patris mei, q
Cęlis est; ubi apertè exprimitur, Angelos e
Cęlo, etiam dum in terra homines custodi
Quid ergo mirum, quòd sint in Empyreo vi
tes Deum, & simul in Cęlis inferioribus
moventes? Utrum autem illa præsentia, q
habent Angeli in Empyreo, dum movent C
& homines in terra custodiunt, sit physica, &
nes ipsorum substantiam, necne, non est n
præsentis instituti examinare, sed ad tracta

de Angelis, tamquam ad proprium hujus difficultatis locum, spectat.

8 Dicimus 2. motus Cęlorum non est ipsis naturalis, nec violentus; sed tantùm neuter. Sic Scotus in 4. dist. 48. qu. 2. §. *ad argumenta principalia, vers. Illas autem*; sub litt. N. & aliis in locis. Prob. quòd non sit naturalis; tunc enim motus est naturalis alicui subjecto, quando hoc habet determinatam inclinationem, vel exigentiam ad terminum talis motus; exempli gratia, motus lapidis deorsum est illi naturalis, quia habet inclinationem determinatam ad esse deorsum, & ibi quiescit; sed Cęlum non magis inclinatur ad unum *ubi*, quàm ad aliud; nihil enim magis emolumenti in uno, quàm in alio, recipere potest, ut per se patet; ergo talis motus non est illis naturalis. Advertere tamen oportet, quòd in hac conclus. loquimur de Cęlo, secundùm se considerato; si enim attendatur, quatenus est pars totius universi, tenent aliqui, talem motum esse naturalem. Hoc tamen, esto verum sit, non est contra nos, licèt etiam talem dicendi modum impugnet noster Pont. de Cęlo disp. 22. quæst. 9. concl. 2. num. 89.

9 Prob. quòd neque sit violentus illi talis motus; nam sicut Cęlum ex prædicto motu nihil emolumenti habet, ita neque aliquid detrimenti, ut est perspicuum; ergo non est contra naturalem ipsius inclinationem; & consequenter non est ei violentus, sed neuter; quia motus, qui nec est juxta, nec contra inclinationem subjecti, est illi neuter, ut sæpè dicebamus. Hoc latiùs videri potest apud præcit. Pont.

10 Arg. 1. ex Arist. 1. de Cęlo text. 5. ubi dicit, quòd Cęlum habet aliquem motum naturalem, eò quòd est ens habens naturam; sed alium motum non habet præter circularem; ergo hic est naturalis illi. Resp. 1. talem motum posse dici naturalem secundùm quid, nempè quatenus convenit rei habenti naturam; quo sensu intelli-

gen-

gendus est Arist. cùm inquit, motum circularem esse naturalem Cęlo. 2. respond. quòd ad hoc, ut aliquid dicatur naturale alicui subjecto, non est præcisè necessarium, quòd actualiter moveatur, sed sufficit, quòd habeat in se principium alicujus motus naturalis; & hoc quidem habet Cœlum; nam si aliquomodo extra proprium centrum poneretur, naturali motu pergeret in illud. 3. resp. Cœlum habuisse motum naturalem, cùm materia illius cœlestem recepit formam, & totum Cœlum recepit quantitatem, qualitatesque ipsius conservativas, sub quibus modò quiescit. 4. denique resp. Cęlum de facto habere aliquem motum naturalem, non autem lationis, sed alterationis, quatenus nempè novam lucem actualiter recipit à Sole. De quo fortassis motu loquitur Arist. ibi.

11 Arg. 2. omne ens naturale habet naturalem propensionem ad propriam operationem, & sui perfectionem: sed propria Cęli operatio, & perfectio est circularis motus: ergo habet naturalem propensionem ad illum; proindeque est ipsi naturalis. Resp. dist. min. motus circularis est propria operatio, aut perfectio Cęli secundum quid, & absque aliqua ipsius exigentia, transeat; absolutè, & illi debita juxta ejus exigentiam, nego min. & conseq. Verum quidem est, quòd talis motus est aliquomodo Cęli perfectio; quia tamen hæc illi non debetur, nam nullam exigentiam dicit ad illam, sicut neque aer ad lucem, quam in se recipit, ideò non dicitur naturalis ipsi.

12 Rogab. ad quid Cęli moventur ab Angelis, si illis nulla utilitas provenit ex tali motu? Resp. ad hoc Cęlos ab Angelis moveri, ut ex tali motu plures naturales generationes in sublunaribus fiant; unde, quamvis talis motus nihil emolumenti ipsi Cęlo afferat, est tamen valdè utilis, & necessarius rebus sublunaribus. Ubi observare opportet, quòd etiamsi motus Cęli cessaret,

non

non ob id mutationes, & generationes sublunarium non essent; non enim omnes istæ à motu Cęlorum pendent: nam non videtur credibile, quod ignis, v.g. stupæ debitè approximatus, illam non comburere, si Cęlum non moveretur. Et idem est de aliis hujusmodi mutationibus, & generationibus, quæ parum, aut nil à motu Cęlorum pendent. Generationes autem frugum, viventium, metallorum, & aliorum similium non fierent, si motus Cęli cessaret, eo quod hæc pendent à tali, & tali qualitatum temperie, quæ provenit ex motu Cęlorum, & ex diversis Astrorum aspectibus, & distantiis. Unde dixit Arist. quod Sol, & homo generant hominem, ita ut si calor Solis deficeret, vel talis generatio non fieret, vel non fieret ita perfectè, sicut fit modo.

13 Observari etiam debet, quod Cęli non agunt in hæc inferiora per motum tamquam virtutem activam; sed solum tamquam per quid habens rationem applicationis talis virtutis ad illa. Cujus ratio est; quia motus formaliter importat respectum; ergo talis motus non est virtus activa; nullus enim suspectus est activus. Deinde ignis, & si non ageret in hoc loco, v. g. nisi moveretur, seu approximaretur ad illum, nemo tamen asserit, quod agat in hoc loco per motum, quoad illum moveretur, tamquam virtutem activam, sed solum, quod motus est conditio applicans talem virtutem; ergo idem, propter eamdem rationem, dicendum est de Cęlo.

QUÆSTIO ULTIMA.

Quomodo Cœli, & quid in hæc sublunaria influant.

1 SUpponit titulus quæst. cęlestia corpora in hæc sublunaria influere. Et meritò quidem; constat enim ex Sacra Scriptura, siquidē in hoc sensu intelligitur illud dictum Gen. cap. 1

Fiant

Fiant luminaria in firmamento Cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos; ut luceant in firmamento Cœli, & illuminent terram. Hoc ipsum patet experientia, qua videmus, quod Sol illuminat, calefacit, siccatque & quod ex ejus accessu, & recessu, cùm tali vel tali ordine tempora variantur. Deinde id etiam prob. ex ratione congruentiæ posita quæst. anteced. conclus. 1. num. 5. influunt ergo corpora cœlestia in hæc sublunaria.

2 Arg. contra hoc 1. ex Arist. 1. de gener. tex. 51. dicente, omne agens tendere ad assimilandum sibi passum: sed Cœlum nequit sibi assimilare hæc inferiora, ut patet: ergo non agit, seu influit in illa. 2. quia omne agens in agendo repatitur: sed Cœlum non potest quidquam pati ab his sublunaribus, ut q. 3. dicebamus: ergo. Denique quia juxta eumdem Aristot. 7. Physic. cap. 2. omne agens, ut agat in passum; debet esse ei approximatum: sed Cœlum non est approximatum his inferioribus, imò valde distat ab eis: ergo &c.

3 Resp. ad 1. esse quidem verum; quod agens univocum tendit ad sibi assimilandum perfectè passum; non autem sic agens æquivocum, cujusmodi est Cęlum, & quævis agentia universalia; in his enim sat est, quod quodam perfectiori, & eminentiori modo contineant perfectionem, quam ab illis hæc inferiora participant. Ad 2. resp. quod solùm illud agens, cum agit, repatitur, cujus actio fit secundum contrarias qualitates; quod in actione, qua Cęlum in sublunaria agit, nullum habet locum. Ad 3. resp. quod Cęlum non agit in hæc inferiora immediatè immediatione virtutis, & suppositi simul, sed immediatione virtutis tantùm; ad quod non requiritur approximatio, sicut neque est necessaria ad hoc, ut suam lucem in hæc inferiora diffundat. Hoc supposito

4 Dicimus 1. ad quæst. Cœli influunt in sublu-

lunaria producendo mineralia, seu metalla, gemmas, aliaque corpora non viventia, quorum non est assignabilis alia causa particularis. Prob. concl. quia multa metalla, & gemmæ de novo producuntur, quæ debent habere aliquam causam secundam effectivam; non enim ad hoc est recurrendum ad Deum, tamquam ad causam immediatam, & totalem, absque urgenti necessitate; sed nulla alia causa est congruentiùs assignabilis, quam corpora cœlestia; ergo &c. Neque recursus ad elementa est ad rem; quia hæc non habent tantam virtutem, seu perfectionem, ut adeò perfectos effectus producere possint, siquidem hi sunt perfectiores illis; ergo solùm restat, quod à Cœlis immediatè producantur. Eadem ratio est pro aliis corporibus non viventibus, quorum alia causa immediata assignabilis non est.

5 Arg. contr. hoc ex eo, quod aliquid sit perfectiùs alio, non infertur, illud producere posse; homo enim non potest producere lapidem, & tamen est perfectior illo; ergo licet Cœlum sit perfectius prædictis effectibus, non inde colligitur, quod illos producat. Resp. concesso antec. disting. conseq. non infertur ex eo præcisè, concedo; non infertur ex eo; & ex suppositione, quod alia causa aptiùs assignari nequit, nego conseq. Itaque ex majori Cœlorum perfectione optimè infertur, quod non repugnet, tales productiones ab ipsis fieri, ex defectu virtutis; & præterea, cum nulla alia causa congruentius assignabilis sit, ideò prædictæ productiones ipsis immediatè attribuere, necesse est.

6 Dicimus 2. corpora cœlestia aliquomodo concurrunt ad viventium, etiam hominum, productionem, nimirum disponendo materiam tali, vel tali modo, mediis suis influentiis, ut animam recipiat; productionem autem alicujus animæ nullatenus immediatè attingunt. Prima pars concl. prob. ex Arist. dicente, Solem, & homi-

mi-

minem generare hominem. Deinde ratione; non enim est dubium, quin Cęli habent virtutem productivam dispositionum, quæ conducunt ad fętus formationem; & experientia patet, quod vivens sub una costellatione genitum habet alias naturales inclinationes, quam aliud sub alia genitum costellatione; unde aliqua Astra censentur propitia, & alia noxia viventium generationi. Prob. 2. pars; quævis anima est perfectior corporibus cęlestibus; ergo nequit illa ab istis produci. Unde, si aliqua fiat viventis productio, & non adsit causa particularis, cui immediatè attribui possit, refundenda est immediatè in Deum, tamquam Auctorem naturæ; quod nullum est inconveniens. Si tamen aliquomodo possit probari, Cęlos esse perfectiores aliquibus animabus quorumdam animalium imperfectorum; & plantarum, poterit etiam illarum productio Cęlis immediatè attribui.

7 Dicimus 3. Cęli, & Astra nequeunt directè, & per se influere in intellectum, & voluntatem, sed tantùm indirectè, & per accidens. 1. pars, hujus concl. est Catholicum dogma, & definita in Conc. Bracar. 1. cap. 9. & 10. Prob. id, quod directè agit in aliud, debet virtualiter continere effectum, cujus passum est capax; ergo si Cęli agerent directè in intellectum, & voluntatem, virtualiter continerent formam, cujus istæ potentiæ sunt capaces, sed talis forma esset necessariò spiritualis, materialis enim recipi nequit in talibus potentiis, ut per se patet; ergo &c. Deinde, quia si Astra in voluntatem directè agerent, cùm hæc necessariò agant, labefactaretur libertatis usus, quod nullatenus admitti potest. Prob. 2. pars, nam pro hoc statu noster intellectus, & voluntas dependet à sensibus in operari; sed Cęli directe in sensus humanos influere possunt; videmus enim illos, qui ob aliquam influētiam habent læsum, deordinatum, & perturbatum organum sensus, ut amentes, non rectè operari

rari per intellectum; & deinde eos, qui à Cœlis habent appetitum sensitivum magis inclinatum ad unum obiectum, quàm ad aliud difficulter ab illo abstineri, & si liberè ab illo possit se abstinere: ergo Astra in intellectum, & voluntatem indirectè, & per accidens agere possunt. Et hæc sufficiant pro aliquali librorum de Cœlo notitia, si alia desiderentur, AA. qui de hoc latè agunt, consulantur.

DISP. II.

De Mundo.

POstquam de Cęlo, possibili egimus brevitate, modò de Mundo, etiam breviter agere libuit. Per quem nihil aliud intelligitur, nisi omnium rerum, pręsertim corporearum, quæ inter se quemdam ordinem, ac subordinationem habent, universitas; multitudo enim rerum, quæ huiusmodi ordine non gaudet, potiùs *Chaos*, quàm *Mundus*, nuucupari deberet. Qua in acceptione est in præsenti sermo de illo. Pro quo sit

QUÆSTIO I.

An sint possibiles plures Mundi.

1 IN præsenti non accipitur *Mundus* pro omnium rerum corporearum præteritarum, præsentium, & futurarum universitate: neque pro universitate omnium rerum possibilium; ut sic enim certum est, Mundum ita esse unum, ut sit impossibile esse alium; quia extra universitatem omnium rerum possibilem, nil restat, quod existere possit. Quare solùm est difficultas, an præter universitatem omnium rerum corporearum, quæ sub summo Cœlo continentur (pro his Mundus accipitur in præsenti) detur de facto alia universitas rerum extra

extra tale Cœlum? Vel, an saltim sit possibilis talis universitas rerum? Quo prænotato

2 Dicimus ad quæst. de facto tantùm datur unus Mundus; sed plures alii sunt possibiles. Prob. 1. pars, hujus concl. quia non debet concedi aliquarum rerum existentia de facto absque sufficienti ratione, experientia, auctoritate: sed nulla est assignabilis ratio, experientia, aut auctoritas alicujus momenti, ob quam teneamur concedere alterius Mundi, præter hunc existentiam, imò contrarium tenet uniformis omnium Philosophorum consensus: ergo non debet concedi dari de facto plures Mundos. Prob. 2. pars, quia nullam implicat contradictionem in hoc, quòd plures alii Mundi possibiles sint, ut patebit solvendo aliquas; quæ ab Arist. objiciuntur: ergo talis possibilitas non est deneganda.

3 Arg. contra hoc: si plures Mundi, ex hypothesi, quod possibiles sint, darentur, terra unius Mundi naturaliter moveretur versus centrum cujusvis Mundi; sicut hujus Mundi terra movetur de facto versus ejusdem Mundi centrum: sed hoc videtur omnino inplicatorium: ergo & quod sint possibiles plures Mundi. Deindè quia hic Mundus de facto existens omnem possibilem continet materiam: ergo non remanet materia, qua alius Mundus constet, proindeque nec iste alius possibilis est. Denique, nequit dari, nisi unicus primus motus; ergo neque dari potest nisi unicum primum mobile; ac per consequens unicus, tantùm Mundus. Resp. ad 1. neg. maj. terra enim hujus Mundi nullatenus versus centrum alterius moveretur; tales quippè Mundi nullam inter se haberent subordinationem, unde terra cuiusvis versus centrum illius, & non alterius, moveretur. Ad 2. neg. antec. quia Mundus de facto existens est finitus, & limitatus, ideòque non continet possibilem materiam; quia hæc possibiliter est infinita, in quo nulla apparet repugnantia. Ad 3. neg. conseq. & si

enim

enim tantùm dari queat unicus primus motor, plura tamen dari possunt prima mobilia inter se non subordinata, quorum quodvis esset in se primum negativè; omnia autem essent uni primo motori, utpotè infinitam habenti virtutem, subordinata.

4 Dubit. quænam sit unitas, quam hic Mundus habet? Resp. esse unitatem ordinis, & subordinationis. Prob. ex exclusione cujuslibet alterius unitatis. Non enim habet aliquam unitatem per se, quia non Metaphysicam, cùm partes Mundi non sint realiter identificatæ; nec physicam, cùm tales partes non sint entia physicè incompleta, & non se habeant, ut actus per se, & per se potentia. Neque habent unitatem continuationis; quia omnes ferè illius partes sunt disjunctæ, & discontinuatæ; neque aliquam aliam unitatem, præter unitatem ordinis, & subordinationis partium illius, ut per singulas unitates discurrenti patebit: ergo &c.

QUÆSTIO II.

An possibile sit fieri alium Mundum perfectiorem hoc existente de facto.

1 HUjus quæst. titulus supponit, & meritò, hunc Mundum modò existentem esse perfectum; sic enim exprimitur à Sacra Scriptura dicente: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Vndè solùm restat difficultas, an hic Mundus ita perfectus sit, ut perfectior esse nequeat. Vel ita ut non sit possibilis alius perfectior? Quæ difficultas coincidit cum alia, quæ in Theologia communiter solet controverti; nimirum, an Deus semper facere teneatur id, quod optimum est. Si enim pars affirmativa defendatur, necessariò fatendum est, Deum non posse facere Mundum perfectiorem isto, qui de facto existit, ut ex hypothesi patet. Si autem pars

pars negativa defensetur, nulla apparet ratio convincens, non posse fieri ab eo Mundum perfectiorem: unde illam Theologicam difficultatem breviter resolvere conabimur, cuius ex resolutione directè propositæ quæstioni fit satis. Pro qua

2 Dicimus 1. Deus semper facere optimum, nullatenus tenetur. Prob. hæc concl. nullum est assignabile caput, ex quo Deus necessitetur adhuc moraliter, ad faciendum optimum: ergo &c. Prob. antec. quia nequit sic necessitari ex bonitate, aut perfectione ipsius optimi producendi; cùm enim huius (quodcumque sit) bonitas sit creata, & finita, nequit habere virtutem, quæ alliciat Divinam voluntatem, ut necessariò illud efficiat. Neque potest necessitari ex infinitate bonitatis Divinæ voluntatis, quia maxima huius perfectio est illius libertas, qua facere, vel non facere: aut taliter facere, vel taliter non facere, quod ei placet, & prout illi libet, potest: ergo ex nullo capite potest Deus necessitari, ut semper optimum ad extra faciat. Confirm. nam, quoties adæquata causa alicuius effectus est necessitata, sive physicè, sive moraliter, ad producendum illum, si sit intra ipsius sphæram, nullumque adsit impedimentum, talis effectus necessariò producitur; & si non producatur, infertur evidenter, talem causam nōn esse necessitatam ad illius productionem, ut est per se notum; sed Divina voluntas ante huius Mundi productionem erat causa adæquata ad illum producendum tam sufficienter, ac fuit, quando illum in tempore actualiter producit; deindeque erat intra sphæram suæ infinitæ activitatis, nullumque erat excogitabile impedimentum: ergo necessariò tunc illum produxisset: atqui tunc non produxit illum; ergo ex hoc necessariò infertur, nullatenus fuisse ad illum producendum necessitatem; ac per consequens &c.

3 Arg. 1. Ex D. Aug. lib. de quantit. animæ, cap.

cap. 43. dicente, Justitia Dei factum esse ut non modò sint omnia, sed etiam sic sint, ut melius esse non possint; ergo nequit fieri alius Mundus perfectior isto, qui de facto existit. Resp. quòd D. Aug. & alii PP. si sic aliquando loquantur, tantùm intendunt, quòd Deus fecit meliora, & quòd non potuerunt fieri meliora, quàm ea, quæ de facto facta sunt, scilicet quantum ad hoc, quòd non omiserit in eorum effectione aliquam perfectionem, ex qua posset inferri, ipsum esse imprudentem, aut imperfectum artificem; aut quòd aliquem errorem moralem commiserit in tali rerum dispositione; hoc enim pacto omnia, quæ fecit, sunt perfectissima, eò quòd sunt satis apta, ut abigatur à Deo quævis suspicio imprudentis, aut imperfecti artificis, & rerum moderatoris.

4 Arg. 2. qui alium efficaciter amat, vult ei etiam omnem perfectionem, & bonum; & si fortè est necessitatus ad illum amandum, ex consequenti necessitatur ad volendum ei talem perfectionem, aut bonum; sed creatio Mundi est magna, & si extrinseca Dei perfectio, eò quòd cedit in magnum ipsius honorem, & Deus se ipsum amat necessariò; ergo, & necessariò vult Mundi creationem, consequenterque, &c. Resp. disting. mai. vult necessariò omnem perfectionem ejus intrinsecam, & etiam extrinsecam, quando sine ista illa stare nequit, aut qua indiget persona amata, admitto; vult necessariò perfectionem extrinsecam, qua persona amata non eget, sed æquè esset in se perfecta cum illa, ac sine illa, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Ratio hujus est; quia ideò persona sic amans vellet necessariò talem perfectionem personę efficaciter amatæ, quatenus esset medium necessarium, vel ab subsistentiam sui esse, vel ad ejusdem felicitatem. Cùm ergo creatio Mundi perfectissimi non sit talis perfectio, qua Deus indigeat, neque ad sui esse subsistentiam, neque ad ejus

felicitatem, hinc est, quòd non necessariò illam velit, & si necessariò se ipsum amet.

5 Dicimus 2. potuit Deus creare Mundum perfectiorem, nedum quoad accidentia, verum et quoad substantiam, quàm hic qui de facto existit. Hæc concl. apertè colligitur ex præcedenti; nam supposito, quòd Deus nullatenus tenetur, ut semper optimum necessariò faciat; & supposito etiam, nullam involvi repugnantiam in hoc, quòd Mundus possit esse perfectior, tam accidentaliter; auferendo scilicet aliqua accidentia noxia; & alia proficua ei tribuendo, & substantialiter, producendo nempè aliquas substantias perfectas, loco aliarum de facto existentium, quę non sunt tam perfectæ, ac illæ, evidenter infertur, quòd potuit Deus creare Mundum, tam substantialiter, quàm accidentaliter, perfectiorem, quàm hic, qui modò existit.

6 Arg. 1. species possibiles habent ordinem, seu coordinationem superioris, vel inferioris, cum his, quæ de facto in individuis existunt; ergo constituunt cum illis unum ordinem; sed iste ordo est hic Mundus; ergo nequit hic fieri perfectior, saltim quoad perfectiores species, quàm quæ de facto existunt. Resp. posse concedi consequentiam; non enim est contra nostram concl. nam adhuc Mundus, hoc non obstēte, posset reddi perfectior extensivè, & substantialiter, ut si fieret multò major, quàm nunc est, & in ipso aliquæ utiliores creaturæ multiplicarentur, servata proportione, quæ de facto est. 2. resp. neg. antec. quia ordo ibi assignatus est penes Mundum possibilem, quem Deus decernere posset; non autem penes hunc, qui de facto existit, & quem dicimus posse fieri perfectiorem.

7 Arg. 2. si Deus potuisset Mundum perfectiorem facere, & non sic illum fecisset, posset argui invidiæ; quod patet paritate argumenti, quo utitur D. Aug. lib. 83. QQ. q. 30. his verbis: *Si Deus Pater potuisset meliorem Filium gignere, & non*

non genuisset, esset invidus; si voluisset, & non potuisset, esset infirmus; ergo idem dicendum est modo proportionato, de Mundi creatione. Resp. neg. parit. Ratio disparitatis inter utrumque casum est, quod si Pater non produceret Filium perfectissimum, cum sic illum producere posset, id non posset alteri attribui, quam invidiæ, aut alicui bonitatis defectui, siquidem bonitas infinita, cujus Filius est capax, allicit Patrem ad perfectissimam Filii productionem. Quod autem Mundum perfectissimum Deus non producat tali defectui attribui nequit, eò quod Mundus non est capax infinitæ bonitatis, quæ Deum allicere posset ad perfectissimam talis Mundi productionem. Hoc equidem attribueretur, & Divinæ libertati infinitè perfectæ, & incapacitati, quam Mundus habet respectu bonitatis infinitæ.

QUÆSTIO II.

An Mundus potuerit esse ab æterno à Deo productus?

UT hæc difficultas melius percipiatur oportet advertere, quod Mundus ex duobus rerum generibus coalescit, nempè ex rebus successivis, cujusmodi sunt motus, & tempus, & ea, quæ per motum successivum producuntur: & ex rebus permanentibus, quæ simul, ac in instanti fiunt. Hujusmodi sunt Angelus, anima rationalis, materia prima, & alia his similia: unde, ut plenè propositam quæst. decidamus, illam per duas sequentes sectiones resolvemus, quarum sit

SECTIO I.

In qua deciditur quæstio circa res permanentes.

1 UT omninò certa ab his, quæ tali omnimoda certitudine non gaudent, segregemus

supponimus, quòd Mundus de facto non fuit ab æterno productus, sed in tempore, seu cum tempore creatus. Hoc suppositum est contra Arist. qui 8. Phys. cap. 1. & aliis in locis sustinet, Mundum de facto non fuisse productum, nec potuisse produci in tempore. Probatio pro tali supposito præsertim desumitur ex Sacra Scriptura: Gen. enim 1. dicitur; *In principio creavit Deus Cœlum, & terram.* Et 8. Prov. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et Joannis 17. inquit Christus, D. *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam Mundus fieret.* Quod idem aliis in locis sacer textus proclamat; sed in prædictis verbis apertè exprimitur, Mundum temporaneè fuisse productum, & in hoc sensu illa exponunt Concilia, PP. & Theologi; ergo, &c.

2 Supponendum est 2. etiam tamquam certum, posse dari aliquam creaturam corruptibilem, quæ usque in æternum duret. Cujus ratio est; quia virtus, qua Deus illam produxit, & illam modò conservat, nequit diminui successione infiniti temporis à parte post; ergo Deus potest conservare in æternum creaturam, etiam corruptibilem. Sic arguit Scotus in 4. dist. 48. quæst. 2. §. *ad quæstionem*, *Vers. Et possibilitas*, sub. litt. D. Deindè, quia talis creatura corruptibilis destruitur, vel per actionem contrarii, vel per cessationem actionis agentis naturalis illam conservantis; sed Deus potest impedire utramque causam; ergo, &c. prob. min. quoad 1. nam in fornace Babylonis suspendit concursum ignis. Prob. etiam quoad 2. quia potest Deus non condescendere ad cessationem actionis agentis naturalis, ut facit in Beatis, & damnatis; nam illi nequeunt ab actu beatifico cessare, nec isti potentia proxima se avertere à cõsideratione infernalis ignis, ut tenet Scotus in 4. dist. 44. q. 2. §. *ad quæstionem*, *Vers. Sed neutro modo*, lit. D. ergo potest Deus utramque illã actionem destructivam crea-

turæ

ræ impedire;& consequenter, &c. His suppositis.

3 Dicimus ad quæst. quoad res permanentes potuit Mundus ab æterno à Deo creari. Sic Scotus in 2. dist. 1. q. 3. licet enim ibi videatur problematicus, siquidem solvit argumenta; tam istius, quàm oppositæ sententiæ: tamen magis in nostram inclinari videtur, ut advertit Hug. Card. in Schol. ad §. *tenentes autem*, sub litt. E. prob. conclus. ex D. Aug. 6. de Trin. cap. 1. ubi inquit; si ignis esset æternus, splendor ab eo causatus esset illi coæternus; quæ Aug. sequela est necessaria, & naturalis; alioquin non esset efficax contra Arium (contra quem arguit ibi) ad probandum coæternitatem Filii cum Patre. Ex quo sic pro nostra conclus. efformatur ratio: sicut ex perfecta causa naturaliter agente infertur necessariò coexistentia sui effectus in eadem duratione; sic ex perfecta causa voluntariè agente valet inferre possibilem saltim coexistentiam sui effectus cum ipsa in durando; ergo sicut ex causa necessaria æterna infertur necessariò effectus æternus, ita ex causa libera perfecta, & æterna, ut est Deus, infertur æternitas possibilis sui effectus. Patet antec. à paritate, & conseq. prob. quia nullum est discrimen inter agens naturale; & liberum, nisi naturaliter, vel contingenter agere; non enim est differentia inter posse, vel non posse agere: quia quidquid potest naturale agens, potest, & agens liberum, stante tantum diversitate ex parte modi causandi, nempè, vel cum libero dominio, vel sine illo; ergo sicut infertur ex causa necessaria effectus existentia, ita & ex libera, possibilitas effectus illius; & consequenter, &c.

4 Confirm. 1. quia nulla perfectio est assignabilis in creatura, quæ non conveniat Creatori, modo sibi debito: sed est perfectio in aliqua creatura posse habere effectum sibi coevum, ita, quòd si illa esset æterna, ejus effectus esset etiam æternus, ut patet ex exemplo ignis, & splendoris posito à D. August. ubi sup. ergo non implicat;

creaturas ab æterno productas fuisse à Deo. Confirm. 2. quia in eo, quod Deus ab æterno res permanentes produxisset, nulla involvitur contradictio, ut ex argumentorum, quæ infrà opponentur, & aliorum, si fortè obiiciantur, solutione patebit: sed omne, quod contradictionem non involvit, concedendum est, esse Deo possibile, ut docet Scotus in 4. distin. 10. quæst. 2. §. *dico ergo ad quæst.* litt. F. ergo.

5 Argum. 1. plures ex SS. Patribus (qui citati apud nost. Merin. & aliis RR. possunt videri) asserunt esse impossibile, dari creationem ab æterno: ergo præjacta concl. sustineri nequit. Resp. neg. conseq. nam SS. Patres solùm intendunt, quod creaturæ esse ab æterno non potuerunt, eo scilicet modo, quo æternitas earum à Philosoph s defendebatur; & in eo sensu, in quo Filii productio dicitur æterna; nempè naturaliter, & necessariò; quod quidem in isto sensu verum est. Hinc tamen non infertur, quod creaturæ non possint esse ab æterno, & si non necessariò, liberè à Deo productæ, ut in 1. ratione pro nostra conclus. dictum manet.

6 Replic. ratione SS. Patrum directè ostendunt; creaturas nullatenus posse ab æterno produci: ergo nostra explicatio non subsistit. Prob. anteced. quia ex eo PP. inferunt, illas ab æterno esse non posse, quia cùm sint creaturæ, debent consequenter ex nihilo esse productas, & quod hoc modo est productum, nequit esse ab æterno, eo quod nihilum, ex quo esset productum, necessariò illud antecederet: sed quod est ab æterno, nequit habere aliquid, quod ipsum antecedat, ut ex terminis constat: ergo, &c. Conf. nam implicat, annihilationem esse ab æterno: ergo & creationem. Patet conseq. à paritate, & anteced. prob. nam annihilationem cujusvis rei antecedit necessariò ipsius productio pro aliquo instanti reali: sed habens aliquid, quod ipsum pro aliquo reali instanti antecedit, æternum esse non potest, ut ex se patet: ergo.

7. Resp.

7 Resp. ad arg. neg. antec. cujus ad probationem dicimus quod ad productionem æternam liberam sufficit, quod nihilum rei sic productæ præcedat, non positivè, sed tantum privativè, idest quod tale nihilum positivè antecederet; si non esset impedimentum, nempè æternitas productionis talis rei; quæ liberè sic producitur: quæ antecedentia privativa adhuc non daretur, si res producta necessariò ab æterno produceretur; quia nunquam nihilum posset antecedere id, cujus productionem non esse, implicat omnino. Unde rectè SS. Patres contra Philosophos, & Arianos asserebant, non posse dari æternam alicujus rei creationem in horum sensu, nempè naturaliter, & necessario: quia sic nullatenus posset antecedere illam, nec positivè, nec privativè, non esse illius: quod ad rigorosam creationem est indispensabiliter requisitum; ex quo nihil contra nos statuentes talem creaturæ productionem ab æterno non necessariam, seu naturalem, sed liberam omninò. Ad confirm. neg. conseq. Ratio disparitatis inter creationem, & annihilationem est, quod hæc necessariò præsupponit illam positivè præexistentem pro aliquo reali instanti; creatio autem sufficit, quod præsupponat nihilum rei creatæ privativè illam præcedens, ut ex dictis patet.

8 Arg. 2. sicut ens infinitum, & ens finitum contrariè, & contradictoriè opponuntur in suis essentiis, ità & in proprietatibus suarum existentiarum; utrobique enim adest omnino æqualis repugnantia essendi, & non essendi, per alterius essentiam; habendi, & non habendi modum existendi alterius: sed Deus ita est ens formaliter infinitum, independens, illimitatum, increatum; & æternum, ut finitudo, dependentia; limitatio, & inceptio, neque intrinsecè, neque extrinsecè, possint ei convenire: ergo creatura sic erit formaliter finita, limitata, dependens, & temporanea, ut ei æternitas convenire non possit, ne-

que extrinsecè, à voluntate Divina illam creante; neque intrinsecè, à propriis prædicatis, sicut ei nullo ex his modis infinitudo, independentia, & illimitatio convenire possunt. Ad hoc arg. & ad alia, quæ sic efformari possunt, resp. neg. paritatem inter esse infinitum, independens, &c. & esse æternum; esse enim infinitum, increatum, &c. ex suo conceptu formali involvit indefectibilitatem, & excludit omnem dependentiam ab alio; unde repugnat, quod hoc esse communicetur creaturis: cæterùm esse æternum, & si, prout est in Deo (nempè indefectibile ab intrinseco) repugnet etiam creaturis communicari; potest tamen dari alius conceptus æternitatis, qui hujusmodi independentiam, & indefectibilitatem ab intrinseco in se non involvat, & sic possit creaturis ab extrinseco convenire; sicut de facto ei convenire potest, juxta communem sententiam, æternitas à parte post: non enim est magis indifferens creatura ad æternitatem essendi à parte post, quam ad æternitatem essendi à parte antea.

9 Arg. 3. si ignis esset productus ab æterno, & etiam ab æterno applicatus stupæ v.g. illam combureret, & non combureret: sed hoc est implicatio: ergo, & quod ignis producatur ab æterno. Prob. maj. quoad 1. p. quia causa naturalis, debitè applicata necessariò suum producit effectum: ergo talis ignis necessariò combureret. Probat. quoad 2. p. quia ante inductionem formæ ignis in materiam stupæ præsupponitur forma stupæ positivè existens in eadem materia, ut est manifestum: sed nihil potest positivè præexistere ad illud, quod est ab æterno productum; aliàs hoc non esset ab æterno productum, ut supponitur: ergo combureret, & non combureret; & consequenter, &c. Resp. neg. maj. & ad probationem neg. 1. p. min. & si enim causa naturaliter agens, & ab æterno existens, si sit debitè applicata, necessariò, etiam ab æterno, suum

suum producat effectum, quando ad hoc nullum adest impedimentum; non tamen sic producet, quando tale impedimentum adest. Quod impedimentum in casu proposito adest, siquidem esset ab æterno forma stupæ, ut in illo supponitur, quæ est incompatibilis naturaliter cum forma ignis in eadem materia. Sicut enim ignis nequit inducere formam suam in materiam stupæ in illomet instanti reali, in quo forma stupæ est iu eadem materia; quia istæ formæ sunt naturaliter incompatibiles pro eodemmet instanti reali in eadem materia; sic, cùm in tali casu supponatur, formam stupæ esse ab æterno in illa materia, nequit ignis in illam inducere suam formam ab æterno; quia essent duæ formæ simul in illa, quod naturaliter repugnat.

10 Ut alia argum. quæ fieri possunt, contra præstabilitam concl. facilè solvantur, advertere oportet; primò, rem ab æterno productam duplicem habituram fuisse durationem, nempe aliam intrinsecam ei, quæ appellatur ævum, & hæc est realiter eadem cum ipsius rei existentia; essetque finita, & limitata, sicut & ipsa existentia: aliam extrinsecam, nimirum Dei æternitatem, cui coexisteret, & esset actu infinita. Secundò, quod talis res haberet quidem principium productionis, nempe Deum, à quo esset ab æterno producta, non tamen haberet principium durationis (si pro hoc intelligatur iucipere esse post non esse positivè) eò quod esset, ut supponitur, ab æterno producta: unde posse esse talis rei antecedet actuale esse ipsius, non prioritate durationis, sed tantùm naturæ prioritate; siquidem actum existendi in creatura præcedit necessariò aliqua prioritate possibilitas existendi: quæ naturæ prioritas non opponitur aliquomodo æternitati: quo etiam prioritatis genere, & non alio creatio talis rei antecederet ipsius conservationem; non enim ibi esset aliquod *nunc* prius, in quo crearetur; & aliquod *nunc* posterius, in quo

conservaretur, ſicut evenit in rebus in tempore productis; quia quævis prioritas, aut poſterioritas durationis pugnat cum æternitate, in qua aliquod primum *nunc* aſſignari nequit: niſi fortè dicatur talem rem ab æterno productam tempori imaginario infinito coexiſtere: ſed hoc noſtræ concluſioni nullatenus opponitur.

SECTIO II.

In qua dirimitur quæſtio quoad res ſucceſſivas.

11 DIcimus ad quæſt. omnino implicat, res ſucceſſivas fuiſſe ab æterno: unde nec de potentia Dei abſoluta potuerunt ab æterno exiſtere: Sic Scotus in 2. diſt. 1. quæſt. 3. §. *tenentes autem, verſ. Ad aliud*, ante litt. R. ubi expreſsè ait, quod non eſt ſimilis ratio impoſſibilitatis quoad hoc in rebus permanentibus. Prob. 1. iſta concl. nam de intrinſeca, & eſſentiali ratione entis ſucceſſivi eſt componi ex partibus prioribus, & poſterioribus, ita ut nulla pars entis ſucceſſivi dari poſſit, quæ partes priores, & poſteriores, in quas ſemper ſit diviſibilis, non includat, ut patet ex dictis lib. 6. Phyſic. loquendo de natura continui: ſed eſt omnino implicatorium, quod pars poſterior ab æterno exiſtat: ergo, & quod res ſucceſſiva ſit ab æterno. Prob. min. quia pars poſterior neceſſariò, qua talis præſupponit partem priorem: ſed omninò repugnat, illud, quod ab æterno exiſtit, præſupponere aliquod exiſtens prius ipſo, ut eſt per ſe notum: ergo implicat omninò, partem poſteriorem exiſtere ab æterno; & conſequenter, &c.

12 Dices, quod hæc ratio optimè probat, partem poſteriorem non potuiſſe eſſe ab æterno; non tamen probat, quod pars, quæ illam anteceſſit, ab æterno eſſe non potuit: unde licèt ens ſucceſſivum non potuerit eſſe ab æterno quoad partem poſteriorem, quæ aliam anteriorem præ-

ſup-

supponit; benè tamen ab æterno esse potuit quoad partem priorem, quę aliam antecedentem illam non præsupponit. Sed hæc responsio (præterquam quod supponit aliquod omninò falsum, nempè dari aliquam partem entis successivi, ita priorem, ut nullam aliam antecedentem illam præsupponat; nam de intrinseca ratione entis successivi continui, & cujuslibet illius partis determinatæ est includere partes priores, & posteriores divisibiles in semper divisibilia, ut in Physica loco nuper cit. manet ostensum) impugnatur sic:

13 Nulla pars entis successivi potuit ab æterno esse: ergo neque illa assignata pars prior. Prob. antec. quia non pars posterior, ut manet probatum; sed neque prior: erqo nulla. Prob. min. nam si talis pars prior esset ab æterno, duraret tempore infinito; sed hoc repugnat; alioquin pro toto tempore illo non flueret una pars post aliam, proindeque non daretur successio, quod est contra entis successivi essentiam; ergo talis pars prior non potuit esse ab æterno. Prob. maj. nam si illa pars prior rantum duraret tempore finito, alia pars, quæ immediatè illam subsequitur, etiam ab æterno existeret; sed repugnat talem partem immediatè subsequentem existere ab æterno, eò quod talis pars tempore distaret à Deo, siquidem præsupponeret partem priorem in tempore præcedente durantem, & id, quod pro tempore aliquo præsupponit Deum ab ęterno esse nequit, ut per se patet; ergo talis pars prior duraret tempore infinito; sed hoc repugnat, ut ostensum est: ergo, &c.

14 Prob. min. hujus syllogismi: nam quod non est æternum, infinitè distat in duratione ab illo, quod ęternum est; temporalis enim duratio, & duratio æterna infinitè inter se mutuo distãt: sed si prædicta illa pars prior duraret tempore finito, alia pars ipsam subsequẽs immediate, tantum distabit ab illa duratione finita, nempè ea,

in qua talis pars prior duraret, quæ, ut supponitur, esset finita: ergo pars posterior, quæ illam immediatè subsequitur, esset ab æterno, si altera ab æterno existeret; ac proindè talis pars prior non posset durare solo tempore finito; atqui neque posset durare tempore infinito, ut num. præced. probatum est: ergo nullo tempore posset durare, & consequenter implicat, quod ens successivum existat ab æterno.

15 Arg. 1. non implicat, quod detur ens successivum æternum à parte post.: ergo neque repugnat, dari ens successivum æternum à parte ante. Patet conseq. non enim videtur major repugnantia in uno, quàm in alio. Resp. neg. conseq. nam est maximum, & manifestum discrimen inter utrumque. Ratio hujus est: quia ex eo quod possit dari ens successivum æternum à parte post, solùm sequitur, tale successivum, v.g. motum, esse infinitum in potentia, quod posse dari, seu non repugnare, in Physica manet ostensum. Cæterum, ex eo quod daretur ens successivum æternum à parte ante, sequeretur posse poni de facto ens successivum infinitum actu, quod est omninò repugnans: siquidem fuisset actu successivè pertransitum, quod est proprium entis finiti, & repugnans rationi entis infiniti.

16 Instab. ideò non repugnat ens successivum æternum à parte post, quia non repugnat successivum, in quo non possit dari aliqua pars, quæ omnes alias supponat, & post illam non sint alia, & alia pars usque in infinitum, sed etiam non repugnat, dari successivum, in quo non possit dari aliqua pars, quæ antecedat omnes alias, & ante illam non sint alia, & alia pars usque in infinitum; ergo eadem non repugnantia est in utroque successivo. Maj. patet, & ex illa videtur immediatè inferri min. quia non facilè assignabitur disparitatis ratio. Resp. concessa mai. negando min. & conseq. Disparitas inter mai. & min. stat in eo, quod ens successivum

æter-

æternum à parte post numquam desinet esse, sed semper in essendo perseverabit, & sic non includet aliquam partem, quæ omnes alias præsupponere debet, sed post unam erit alia, usque in infinitum, taliter, quod numquam ad aliquam, quæ omnes alias præsupponat, perveniatur; at tamen ens successivum æternum à parte ante, & si numquam propriè, & rigorosè, inciperet, verè tamen produceretur, & acciperet esse, & cum tale esse accipere non posset secundùm omnes suas partes simul (ut patet ex eo, quod hoc repugnat quidditativè successivi rationi) necesse est, quod acciperet suum esse secundùm aliquam partem, quæ omnes alias præsupponeret, quod cum ratione æternitatis pugnat, & cum ratione infiniti, ut per se constat; ex quo liquet ratio, ob quam repugnet rebus successivis æternitas à parte ante, non autem æternitas à parte post.

17 Arg. 2. Datur tempus imaginarium æternum à parte ante: ergo & potest dari tempus rele sic æternum. Patet conseq. quia eædem implicantiæ, quæ inveniuntur in tempore reali æterno à parte ante, inveniuntur in tempore imaginario sic æterno; sed his non obstantibus admittimus hoc; ergo, & illud concedere debemus. Antec. autem prob. quia certum omninò est, quod præcesserunt per æternitatem à parte ante infiniti dies imaginarii; sed isti constituunt tempus imaginarium æternum à parte ante, ut per se patet; ergo datur tempus imaginarium æternum à parte ante, & consequenter, &c. Resp. neg. conseq. ad cuius probationem dicimus, quod dies imaginarii, & tempus imaginarium sunt in duplici differentia; alii nempè cum fundamento in re, seu verè possibiles, & qui possuut à nobis cogitari ut existentes pro illa adhuc mensura, in qua non extiterunt, sed tamen absolutè possent existere, ut de spatio imaginario in Physica loquebamur; alii autẽ sunt dies imaginarii omninò chimærici, & sine

fine aliquo fundamento in re. Ex qua doctrina

18 Resp. ad probationem conseq. quod si sermo sit de diebus imaginariis sine aliquo fundamento in re, verum est posse à nobis excogitari, illos ab æterno fuisse; sed ex hoc nihil contra nos, nam ex imaginatione, seu cognitione merè chimerica nulla ratio inferri potest contra conclusionem procedentem in sensu reali, ut nostra suprapoſita procedit. Si autem sermo sit de diebus imaginariis cum fundamento in re, falsa est illa major probationis, nam nullum prorsus est fundamentum ad imaginandum dies impossibiles, tamquam si verè possibiles essent pro illa mensura, in qua repugnat, illos existere. Verum quidem est, quod omnes dies reales, tam qui nunc fluunt, quàm qui sunt futuri, possibiles objectivè fuerunt ab æterno, eò quod in hoc nulla absolutè involvitur repugnantia; non tamen fuerunt possibiles ab æterno pro ipsa æternitatis mensura, sed pro alia infinitè ab illa distanti. Eo vel maximè, quia cùm æternitas sit tota simul, omne id, quod est potens existere ab æterno à parte ante, debet esse potens ad existendum totũ simul; cùm autem, dies, tempus, & quodlibet ens successivum sit impotens existendi totũ simul, siquidẽ essentialiter constat mutationibus penes partes priores, & posteriores; hinc est, quod etiã est impotens existendi ab æterno à parte ante.

19 Ex quo apertè deducitur, quod quamvis res successivæ ab æterno non potuerint esse propter rationes allatas; benè tamen sic esse potuerunt res permanentes, cùm enim istæ non constent partibus prioribus, & posterioribus sicut illæ; & earum intrinseca duratio non sit tempus, sed ævum, hinc est, quod potuerunt existere ab æterno, ut in præcedenti sectione manet demonstratum.

20 Arg. 3. ignis, & stupa potuerunt ab æterno produci, sunt entia permanẽtia: ergo potuerunt produci proximè applicata: sed in hac hypothe-

si,

si, ignis pro illo tunc combureret stupam, ut est manifestum: ergo pro illo tunc daretur vera generatio: atqui talis generatio esset successiva: ergo potest dari aliquod successivum existens ab æterno. Resp. concessis antec. & conseq. negando min. subsumptam; est enim omninò falsum, imò & implicatorium quod pro illo ipso *tunc*, in quo simul existerent ignis, & stupa, hæc comburatur ab illo. Cujus ratio est, quia penitus repugnat, quod aliquid simul existat, & non existat pro eodemmet instanti reali; est enim manifesta Contradictio. Cùm ergo in illo *tunc*, pro quo existit combustio stupæ, non existat ipsa stupa, ut per se patet; si esset talis combustio in ipsomet instanti reali, pro quo supponitur simul existere ignem, & stupam, esset verum, quod talis stupa pro illo *tunc* simul existeret, & non existeret. Existeret, quia ut supponitur, existit simul cum igne in tali *tunc*; non existeret, quia existit in ipsomet instanti, ut enim supponitur, illius combustio. In casu igitur proposito existerent ab æterno simul ignis, & stupam in eodem *tunc*, pro isto tamen *tunc*, non esset combustio stupæ, ut ostensum est, sed esset pro alio instanti, seu tempore sequenti; proindeque talis generatio ab æterno esse non posset. Vndè clarè patet solutio argumenti.

21 Pro aliorum autem solutione, & majori totius quæstionis intelligentia examinare oportet, quasdam operationes posse exercere res permanentes, v. gr. homo, si ab æterno produceretur. Et supponitur, tamquam certum, quòd non posset ab æterno exercere aliquas operationes, quæ involvunt necessariò mutationem, nam ad istam propriè sumptam requiritur, quod terminus à *quo* antecedat duratione terminum ad *quem*; ut in lib. de gener. dicemus: quæ mutationis prioritas, & posterioritas repugnat enti existenti ab æterno. Deinde, quia si Heva, v. g. fuisset ab æterno producta, & ab æterno generare potuis-

tuisset, vel hoc ita esset, ut in ipso instanti, in quo fuit creata, etiam simul generaret, vel generatio fuisset posterior creatione primum dici nequit, nam est prorsus absurdum, quod in unico reali instanti simul esset creata, suscepisset semen, efformaret fœtum, fovisset, & peperisset: sed neque potest dici secundum; quia talis generatio jam non esset ab æterno; nam nihil potest esse prius illo, quod existit ab æterno: ergo, &c. Hoc igitur supposito

22 Dicendum est, quod homo, v. g. ab æterno productus posset etiam ab æterno elicere aliquam operationem, quæ in suo conceptu non includit mutationem: unde talis operatio esset ab æterno simul cum homine, à quo, ut à sua causa, procederet. Hujusmodi operationes sunt intellectio, volitio, aut alia actio immanens, vel transiens, ut productio lucis, si luminosum existeret ab æterno, productio speciei visibilis, & aliæ similes. Hoc deducitur ex Scoto in 2. dist. 5. q. 2. §. *respondeo, vers. Si tamen*, litt. I. ubi supponit, quod Angelus in illomet instanti, in quo fuit creatus potuit intelligere, & velle. Ratio prò hoc asserto est; quia omnis potentia habens esse perfectum, & objectum, vel passum debitè approximatum, potest in actum exire; effectus enim non exigit necessariò, quod sua causa illum in tempore præcedat, ut in Physica sæpè dictum est: sed sic se haberet ille homo ab æterno productus: ergo &c. Advertere oportet, quod talis operatio elicita ab ęterno necessariò duraret per tempus infinitum: quia vel desineret esse ab æterno, & hoc non; quia implicat, illam esse, & non esse ab æterno: vel desineret esse in tempore; & sic: ergo duraret per infinitum tempus; quia ab æternitate, in qua recepit esse, usque ad illud instās, in quo desinit esse, intercedit infinita duratio, ut per se est manifestum; talis tamen necessitas durandi non esset ab intrinseco; sic enim tantū durat, seu existit Deus; sed esset ab extrinseco,

seco, hoc est ex suppositione Divinæ voluntatis decernentis, talem hominē habere esse ab æterno

23 Dubitab. 2. An Mundus sit in æternum duraturus? Resp. quod licèt posset Mundus in æternum durare ex natura sua cum eisdem qualitatibus, speciebus, serie, & successione rerum, & quamvis etiam posset à Deo de facto prorsus annihilari; est tamen quoad substantiam duraturus in æternum, innovandus verò quoad accidentia. Hujus resolutionis prima pars prob. nam Cœli sunt naturaliter incorruptibiles; & elementa ita sunt inter se proportionata quoad actionem, & passionem, ut numquam possit ad invicem totaliter destrui, eò quod corruptio unius naturaliter est generatio alterius, & è contra, siquidem nequit materia naturaliter manere absque omni forma: ergo potest Mundus ex natura sua in æternum durare. 2. pars, etiam prob. nam Mundus essentialiter pendet in suo conservari à libero Dei concursu, à quo etiam sic accepit esse: ergo poterit etiam Deus talem subtrahere concursum, & consequenter, &c. Prob. denique 3. pars, quæ conformis videtur menti Scoti in 4. dist. 47. quæst. 2. tum ex Sacra Script. nam Psal. 148. dicitur: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt; statuit ea in æternum, &c.* Et Eccles. 1. *Terra in æternum stat*. Et ibid. cap. 3. *Omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in æternum*. Tum ratione; nam supposito, quod finalis Mundi depuratio fiet per ignem, non videtur, posse ab eo Cœlos, aut ignis elementum comburi posse: undè solum manet, quod aer, aqua, & terra per illum corrumpantur, & hoc non apparet necessarium; sat enim erit, si aliquomodo renoventur, & perficiantur: quod quidem sic evenit, siquidem maximam mutationem tunc patietur Mundus. Quomodo autem hoc sit eventurū videri potest apud Scotum præcit. & D. Bonav. in 4. dist. 47. a. 3. q. 3.

24 Pro aliquarum auctoritatum, tam Scripturæ,

pturæ, quam SS.PP. quæ huic resolutioni opponi videntur oportet observare. 1. quod ex illis ad summum sequitur, hoc Cęlos, qui modò sunt, esse destruendos, non tamen sequitur, alios Cœlos non esse his successuros, potiùs enim videtur PP. oppositum existimare: & sic stat nost. concl. quia numquam erit aliquod tempus, aut instans, in quo Mundus non sit quoad Cęlum, & elementa, sive eadem, sive diversa; ut enim semper idem moraliter maneat (quam identitatem nos intelligimus in præsenti) non requiritur, quod semper easdem physicè partes habeat, ut contingit in fluvio, & aliis 2. quod PP. solum intendunt, terram, & Cœlum post diem judicii tantopere esse perficienda, ut jure dici possint Cœlum novum, & terra nova; erit quippe lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux istius erit septempliciter major, quam nunc est, ut innuit Isai. cap. 3. Et elementa, ablatis sordibus, quibus modo afficiuntur, in sua connaturali, ac perfectissima dispositione manebunt. Si alia circa hoc desiderentur consuli possunt nost. Ponc. supracit. qu. ult & Mast. tom. 3. disp. 1. qu. 5. art. 2. quapropter in hòc amplius non immoramur. Sufficiant dicta, & utinam cedant in laudem, & gloriam D.O.M. Beatissimæ V. MARIÆ absque peccati nævo conceptæ, ejus dilectissimi Sponsi JOSEPH, omniumque aliorum cælestis curiæ incolarum.

F I N I S.

IN-

INDEX TAM LIBRORUM,

Quàm Disputationum, Quæstionum, & Sectionum, quæ in hoc secundo Tomo Cursus Philosophici continentur.

DISP. VNICA
Proœmiales.

QVæst. 1. *An Philosophia naturalis sit scientia.* pag. 6.
Quæst. 2. *Quodnam sit objectum Philosophiæ.* 9
Quæst. 3. *An Philosophia sit scientia practica, vel speculativa?* 18

LIBER I. Physicorum.

DISP. I. De principiis corporis naturalis in communi.

Quæst. 1. *An rectè principia corporis naturalis ab Arist. definiatur.* 22
Quæst. 2. *Quot sint principia corporis naturalis?* 27
Quæst. 3. *An primò contraria sint prima principia.* 34

DISP. II. De materia prima primo principio corporis naturalis.

Quæst. 1. *An detur, & quid sit materia prima;* 38
Quæst. 2. *An materia prima habeat ex se aliquem actum?* 44
Quæst. 3. *An materia prima possit existere sine omni forma substantiali?* 58
Quæst. 4. *Quomodo ratio potentiæ subiectivè conveniat materiæ primæ?* 66
Quæst. 5. *An materia prima appetat formas substantiales, & quomodò?* 77
Quæst. 6. *An materia sit de essentia compositi?* 87
Quæst. 7. *An materia prima sit in omnibus eiusdem speciei?* 92
Quæst. 8. *An materia sit generabilis, & corruptibilis?* 94

DISP.

DISP.III. De privatione secundo princi
corporis naturalis.
Quæst. unica. *De pertinentibus ad privation*
99
DISP. IV. De forma substantiali tertio pri
pio corporis naturalis.
Quæst.1. *An detur, & quid sit forma substan*
lis?
Quæst. 2. *An formæ educantur de potentia m*
ria?
Sectio 1. *In qua proponitur ratio eductionis.*
Sectio 2. *In qua resolvitur quæst.*
Quæst.3. *An plures formæ substantiales non*
ordinatæ possint informare eamdem numero
teriam?
Quæst. 4. *An eadem numero forma substan*
possit informare simul plures numero mater
145
Quæst. 5. *Appendix quid sit dicendum de fo*
accidentalibus?
DISP. V. De pertinentibus ad unionem
Quæst. 1. *An detur unio inter materiam, &*
mam, & quid sit?
Quæst.2. *An materia, & forma uniantur per*
cam, vel per duplicem unionem?
DISP. VI. De pertinentibus ad composit
Quæst.1. *An compositum substantiale distingu*
realiter à suis partibus simul sumptis, & un
172
Quæst. 2. *An totum per se integrale, & totum*
accidens distinguantur realiter à suis part
simul sumptis, & unitis?
LIBER II. Physicorum.
DISP. I. De natura in communi.
Quæst. 1. *An definitio naturæ rectè sit tradita*
Arist.
Quæst.2. *An natura sit principium activum,*
passivum motus, & quietis?
Quæst.3 *In quibus propriè reperiatur ratio natu*
214

DISP

DISP. II. De causis in communi.
Quæst.1. *Quid, & quotuplex sit causa?* 223
Quæst.2. *Quid sit causalitas causæ?* 229
DISP. III. De causis materiali, & formali.
Quæst.1. *Quid, & quotuplex sit causa materialis? Qui eius effectus, & quæ eius causalitas?* 242
Quæst.2. *Quid, & quotuplex sit causa formalis qui eius effectus, & quæ eius causalitas?* 247
DISP. IV. De causa efficiente.
Quæst.1. *Quid, & quotuplex sit causa efficiens?* 250
Quæst. 2. *An causæ creatæ aliquid efficiant?* 254
Quæst. 3. *An substantia sit immediatè operativa?* 260
Sectio 1. *Resolvitur quæstio de productione substantiæ.* 262
Sectio 2. *Resolvitur quæstio de productione accidentis.* 281
Quæst.4. *An causa prima concurrat cum secunda ad suas operationes?* 286
Quæst. 5. *An Deus præmoveat creaturas ad operandum per aliquam Physicam qualitatem?* 294
Quæst.6. *An causæ secundæ possunt assumi à Deo ad quemlibet effectum præstandum?* 311
Quæst.7. *De pertinentibus ad causam instrumentalem.* 323
Quæst.8. *De pertinentibus ad causam exemplarem.* 334
Quæst.9. *De causis per accidens.* 341
DISP. V. De causa finali.
Quæst.1. *Quid, & quotuplex sit finis?* 346
Quæst. 2. *An finis sit vera, & propria causa realis?* 352
Quæst. 3. *An finis moveat secundum esse reale, vel secundum esse apprehensum?* 354
Quæst.4. *Quæ sit causalitas finis; & qui eius effectus?* 360
DISP.

DISP. VI. De causis inter se, & cum suis
ctibus comparatis.

Quæst. 1. *In qua comparantur causæ inter se.*

Quæst. 2. *In qua comparantur causæ cum sui ctibus.*

Quæst. 3. *An idem numero effectus possit prod mul à pluribus causis totalibus non subor tis?*

Quæst. 4. *An effectus productus ab una caus tuerit produci ab alia ejusdem rationis?*

LIBER III. Physicorum.

DISP. I. De motu.

Quæst. 1. *An motus rectè ab Arist. defini* 407

Quæst. 2. *An prædicta definitio, tam motui i taneo, quàm successivo conveniat?*

DISP. II. De infinito.

Quæst. 1. *Quid & quotuplex sit infinitum etiam aliquæ conditiones infiniti examina* 420

Quæst. 2. *An detur aliquod infinitum in* 425

Quæst. 3. *An possit dari supernaturaliter infi in actu secundum quantitatem?*

LIBER IV. Physicorum.

DISP. I. De loco.

Quæst. 1. *Quid sit locus?*

Quæst. 2. *Quibus rebus conveniat esse in* 452

Quæst. 3. *An duo corpora quantitativè exten sint esse simul in eodem loco?*

Quæst. 4 *An idem numero corpus possit esse sin duplici loco adæquato circumscriptivè?*

Quæst 5. *Quomodo formæ convenirent corpori stenti in duplici loco?*

DISP. II. De Vacuo.

Quæst. 1. *An detur, vel possit dari vacuum pe quam potentiam?*

Quæst. 2. *An, & quomodo moverentur corpor vacuum, si daretur?*

DIS

DISP. III. De Tempore.

Quæst. 1. *Quid sit tempus? Et quomodo distinguatur à motu?* 498
Quæst. 2. *Quibus rebus conveniat esse in tempore?* 506
Quæst. 3. *Quomodo tempus dicatur præsens?* 514

LIBER V. Physicorum.

DISPUT. UNICA.

Quæst. 1. *Ad quæ prædicamenta detur per se motus?* 518
Quæst. 2. *Unde motus unitatem, & distinctionem, & contrarietatem accipiat?* 524

LIBER VI. Physicorum.

DISP. I. De continuo.

Quæst. 1. *An continuum ex partibus indivisibilibus, vel divisibilibus in infinitum componatur?* 532
Sectio 1. *In qua aliqua necessariò scienda præmittuntur.* 533
Sectio 2. *In qua resolvitur quæstio.* 536
Sectio 3. *In qua respondetur ad argumenta.* 540
Quæst. 2. *In qua examinantur aliqua dubia.* 548

DISP. II. De inceptione, & desitione rerum; de magnitudine, & parvitate illarum.

Quæst. 1. *Quomodo res incipiant, & desinant esse.* 553
Quæst. 2. *An tam viventia, quàm non viventia habeant terminos magnitudinis, & parvitatis?* 558

LIBER VII. Physicorum.

DISP. VNICA.

De aliquibus ad motum pertinentibus.

Quæst. 1. *An gravia, & levia moveantur à se ipsis.* 556
Quæst. 2. *Quæ approximatio requiratur inter agens, & passum?* 571

LIBER VIII. Physicorum.

DISP. I. De primo motore.

Quæst. unica. *Omnia prædicta complectens.* 578

DISP.

DISP. II. De motu projectorum.
Quæst. 1. *Quanam sit causa proxima, & immediata motus projectorum?* 584
Quæst. 2. *Quanam sit causa motus projectorum quando resiliunt? Et an detur quies in puncto reflexionis?* 589
Quæst. 3. *Quare gravia, & levia velociùs, & fortiùs moveantur in fine, quàm in principio, & medio, motu naturali; projecta verò velociùs, & fortiùs in medio, quàm in principio, & fine, motu violento?* 594
BREVIS TRACTATVS in Libros Arist. de Cœlo, & Mundo.
DISP. I. De Cœlo.
Quæst. 1. *An Cœlum sit corpus simplex, an compositum?* 601
Quæst. 2. *An materia Cœli sit eiusdem rationis cum materia sublunarium?* 604
Quæst. 3. *An Cœli sint incorruptibiles?* 608
Quæst. 4. *Quomodo Cœli moveantur.* 612
Quæst. ultima. *Quomodo Cœli, & quid in hæc sublunaria influant?* 617
DISP. II. De Mundo.
Quæst. 1. *An sint possibiles plures Mundi?* 621
Quæst. 2. *An possibile sit fieri alium Mundum perfectiorem, hoc existente de facto?* 623
Quæst. 3. *An Mundus potuerit esse ab æterno à Deo productus?* 627
Sectio 1. *In qua deciditur quæstio circa res permanentes.* ibid.
Sectio 2. *In qua dirimitur quæstio quoad res successivas.* 634



FINIS.



